


Frater Christianus

Schorr



T  
SCE  
s. T  
seundi  
IN T  
in gratia  
causam  
CA  
F. TH  
ad. S. B.  
66. 11  
VOL  
N  
D  
TRIN  
rester ex  
fuerit de  
Comore  
G  
ad. H. H.  
Et J.  
G.

# THEOLOGIA SCHOLASTICA

Ad Mentem

S. THOMÆ AQUINATIS

Secundum Ordinem S. Facultatis Theo-  
logicæ Coloniensis

IN TRIA VOLUMINA  
DISTRIBUTA

In gratiam & commodum ejusdem Facultatis  
præsertim in Celebratissima Universitate Coloniensi  
CANDIDATORUM Publico data,

Operâ

F. THOMÆ SCHMITZ

Ord. S. Benedicti Abbatia Brauweilerensis pro-  
fessi SS. Theol. Doctoris & Seminarii Benedictini  
intra Coloniâ Regentis

VOLUMINIS I. PARS PRIOR

Complectens DISPUTATIONES XXVI.

IN I. PARTEM SUMMÆ,

De

DEO UNO,  
TRINO & CREATORE,

*In quibus*

*Breviter expenduntur ea, quæ de Essentiâ & Per-  
fectionibus divinis, Personarum Trinitate, præcipuisque  
Omnipotentia divina effectibus Angelo & homine  
in communi queri solent.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Hæredes THOMÆ Von COLLEN  
& JOSEPHUM HUISCH,

Anno M. DCCXXXIV.

*Cum Facultate & permisso Superiorum.*



1,1  
Reverendissimo, Perillustri, Eximio &  
Amplissimo Viro ac Domino

**D. CHRISTIANO  
STEINHEWER**

Ss.tæ Theologiæ Doctori ac  
publico Professori, Sacri Canonici Ordi-  
nis Præmonstratensis Ecclesiæ Steinfel-  
densis **ABBATI** ac Prælato Dignissimo  
per Provincias Westphaliæ, Iveldiæ, &  
Wadegotiæ, Vicario Generali, Archidia-  
cono in Comitatus Schleiden & Reif-  
erscheidt, Domino in Marmagen,  
Wehr & Wildenburg &c.

Patrono & Mecænati perquam Gratiofo  
inscripta oblata & dedicata.

*Reverendissime, Perillustris, Eximie &  
Amplissime Domine Mecenas omni  
observantiâ Colende.*



Ræsumptionis Notam merito  
timerem *Reverendissime &  
Eximie Domine*, quasi alienum tibi offerens, quod non dico debitum, sed summo jure tuum est, nisi gratiosa, qua singulos excipere soles, benevolentia timorem dissipasset, firmato igitur diu deliberato consilio Thomisticae Theologiae studentes praesertim in Alma Ubiorum Universitate, Religiosos oneroso & diuturno labore Tractatus Theologicos vel dictatos calamo excipiendi, vel ab aliis conscriptos describendi, ex parte exonerandi, tum ut tempus saepe satis augustum utiliùs Lectioni lectorumque meditationi impendi possit; tum ut materia typo data non tot admittat errores, quot descripta admittere consuevit, non ultrà sollicitus inquisivi, cujus Nomini Volumina, quo magis ab  
æmu-



## Dedicatio

æmulorum insectationibus immunia forent, inscriberem, ad Te enim, ut eximium Studii Thomistici Promotorem quasi digito monstrans, me direxit sacra Coloniensium Facultas Theologica, quæ ut latius flores suos in scientiis expanderet, sub Te non tantum in album Magistrorum de consilio Regentium relato, verum etiam autoritate Decanali præsidente virorem & vigorem suum enutrire voluit; direxit me florentissimum in Ubiorum Metropoli S. Norberti Collegium, quod tuum in promovendo studio Theologico zelum tot vivis comprobatis argumentis, quod sub tuâ directione numeravit Alumnos, testes exceptione majores compello, quotquot ex eodem Te Præside præclari scientiis ac virtutibus illustres Viri prodiêrunt, in quorundam capitibus fulgentes modo Abbatiales Mitræ, quid de reliquis sit judicandum, abundè testantur. Monuit me etiam laudatissimum Collegium illud Apostoli 1. Cor. 9. *Quis plantat vineam, & de fru-*

*Dedicatio.*

*Et tu ejus non edit ? quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat ?* Fructus enim Vineæ, quam nullis sat præconiis deprædicandi Antecessores tui plantarunt, est, quidquid in his Voluminibus proponitur: Cum inter Candidum sanctissimi Patriarchæ Norberti gregem versans vel in charta consignavi, vel ore tenus tradita didici ea, quæ sine invidiâ communico. Direxit me denique ad Te Reverendissime Præsul fœcunda scientiarum & virtutum Parens celeberrima Abbatia Steinfeldensis, quæ sub tuo regimine longævo prosperetur ac perennantia capiat incrementa. Numerabat complures, è quæis Dux fieri quilibet aptus erat. Veruntamen probè cognoscens tuum in conjungendis cum virtutibus scientiis ardorem Te sibi delegit in sponsum ac nutritium, ut plures scientiarum & virtutum fœtus edere possent, hæc inquam fiduciam firmavit, fore, ut sub Tuo Patrocinio securissimè in publicum prodeant Volumina unicè juvandis Religio-

*Dedicatio.*

ligiosorum Thomisticis studiis destinata;  
fufcipe igitur eâ , quâ soles, benevolen-  
tiâ oblata , eaque tuo favore dignare, ut  
eodem falva quò in plurium utilitatem  
cedant , eò plures Vota fua ad Deum  
dirigant pro diuturnâ confervatione *Re-  
verendiffime Dignitatis Tue* in Candidi  
Ordinis tui præcipuè concreditæ tibi Ab-  
batix florem ac totius Ubiorum Uni-  
verfitatis incrementum in omni corporis  
& animi profperitate


Ità vovet Coloniae 24. Novembris 1733.

*Reverendiffime , Perilluftris Eximie &  
Ampliffime Dignitatis Tue*

Infimus Cliens

F. Thomas Schmitz

Benedictinus Brauweilerensis.



LICENTIA ORDINARIIL

**T**Ria volumina Theologiæ Scholasticæ ad mentem Sancti Thomæ Aquinatis secundum ordinem S. Facultatis Theologiæ Coloniensis Authore Eximio Patre Thomâ Schmitz Ordinis sancti Benedicti celeberrimæ Abbatix Brauvveilerensis Professo, in almâ Universitate Coloniensi Sacrosanctæ Theologiæ Doctore &c. eruditissimè congesta, nihil orthodoxæ fidei aut bonis moribus adversantur, ideòque, ut in majorem utilitatem & commodam Theologorum publicam lucem aspiciant, hisce facultatem concedo. Coloniae Agrippinæ 24.ta 9.bris 1733.

JOANNES NEUMAN J.U.D. Collegiatarum SS. Severini & Cuniberti Canonicus, & ad Ss. Apostolos Decanus, Proto-Notarius Apostolicus, Serenissimi & Reverendissimi Principis Electoris Coloniensis Consiliarius Ecclesiasticus ac Lib. Censor ordinarius.

m.pp.

APPRO-

A P P R O B A T I O.

**T**heologiam Scholasticam ad mentem S. Thomæ Aquinatis secundum Ordinem S. facultatis Theologicæ Colonienſis in tria volumina diſtributam, elucubrationibus Admodum Reverendi ac Eximii P. ac Domini Thomæ Schmitz Ord. S. Bened. in celeberrima ad S. Nicolaum in Brauweiler Abbatia Profefſi ac Paſtoris in Widdersdorff, Ss. Theologiæ in Univerſitate Colonienſi Doctõris ac Profefſoris ordinarii ac Seminarii Benedictini intrâ Coloniam pro tempore Regentis in uſum Candidatorum Theologiæ accuratiſſimè elaboratam, utpote quæ occurrentes in ſtudio Theologico intricatiſſimas difficultates tam dilucidè quam ſuccinctè pertractat, profundè inveſtigat, ſolidè proponit, & fundatiſſimè reſolvit, ut propterea medullæ Theologiæ Titulum ſibi jure merito vindicare poſſet, luce publicâ digniſſimam cenſeo.

Dabam Tuitii 24<sup>tâ</sup> 9.bris 1733.

*F. Beda Grûnenvvaldt Ss. Theologia  
Doctõr Benedictinus & reſpectivè  
Paſtor in Tuitio m.pp.*

**T**heologia Scholaſtica ab Admodum Reverendo & eximio Domino Thoma Schmitz Ordinis S. Benedicti celeberrimæ Abbatia Brauweilerenſis Congreg. Bursfeldenſis Profefſo Ss. Theologiæ Doctõre, Seminarii Benedictini Regente Paſtore in Widdersdorff compilata & adornata brevi clarâ & facili methodo tradit doctrinam ſanam & ſolidam per principia verè Thomiſtica, pro ſtudioſorum & ſtudentium magna utilitate, commoditate & facilitate. Colonia 10. Decembris 1733.

*Ità cenſeo F. Joſephus Prickartz Can. Ord.  
Præm. Sacroſancta Theologia Doctõr  
Sem. Norb. Præſes m.pp.*

Ad

## Ad Lectorem.



haberis fortè tam benevole quam  
critice Lector post tot in lucem  
edita ingentia Theologiæ Scho-  
lasticæ volumina, post innume-  
ra Typis data magno studio  
compilata in sententias Petri Lombardi, in  
summam Aquinaticam commentaria in pu-  
blicum prodire quoddam Theologicæ scien-  
tiæ acquirendæ adjumentum, quasi verò hâc  
temporum serie quidquam videri possiet,  
quod à tot doctissimis pariter ac inquirendæ  
veritatis studiosissimis viris perspectum non  
fuerit; aut litterario orbi tradi, quod eidem  
nondum superfluè communicatum fuerit;  
vel novum quid inveniri, quod antecedenti-  
bus fuerit ignotum; verum mirari desines,  
quisquis hæc aut his similia tecum agitas, si  
finem exigui hujus operis à me intentum ex-  
pendere volueris; novum scribere nec volui  
nec debui, qui Patres & Majores meos inter-  
rogare jubeor, ut annuntient mihi, qui pro-  
bè teneo, omne novum si non falsum saltem de-  
falsitate suspectum esse. Verum optima &  
optimè scripta novo quodam à sacrâ facultate  
Theologicâ Colonienfi tum ad excludendas  
sententiarum novitates, tum ad præcavendas  
inutiles ac movendas necessarias & utiles  
Quæstiones electo modo publico transmittere  
volui. Communibus decretis vetuit laudata  
modo facultas alias publicis Disputationi-  
bus

*Ad Lectorem.*

bus in patente Theologiæ auditorio Theses proponi, nisi quæ forent resolutiones Quæstionum in ordinem redactarum desumptæ vel ex summâ Doctoris Angelici vel ex assertionibus Anno 1638. jussu facultatis Theologiæ editis, aut pro exigentiâ materiæ ex Concilio Tridentino vel jure Canonico. Quo decreto hoc certè obtinuit, ut quævis novitates procul à publicis Disputationibus abessent, ac nonnisi recepta majorum propugnarentur dogmata. Huic proposito conformiter è re fore judicavit tam communis quam privati per generales Disputationes augendi profectûs studiosi, si secundum sacræ facultatis ordinem obviæ singularum Quæstionum resolutiones & explicationes Candidatis exhiberentur, quod modo intendo, an assequar, aliis dijudicandum relinquo. Ducem in hâc methodo cum laude memoro Eximium Magistrum D. Annonem Schnorrenberg Canonicum Præmonstratensem Ecclesiæ Steinfeldensis piæ memoriæ, dum viveret Ss. Theologiæ Doctorem & Collegii Norbertini Præsidem, cui etiam maxima hujus Theologiæ Pars (ut fontem, ex quo hauris, coronare ingenuè te moneam) in acceptis est referenda, ut noverint ii, in quorum manibus hujus Viri verè Eximii scripta secundum Theologiæ facultatis Colonienfis ideam digesta adhuc dum versantur, ejus proinde relicta, quò pluribus servire possent, communicans ejusque

quam  
lucem  
Scho-  
nume-  
studio  
di, in  
in pu-  
scien-  
rò hâc  
posset,  
rendæ  
non  
idem  
erit;  
denti-  
efines,  
tas, si  
m ex-  
volui  
inter-  
ni pro-  
tem de  
ma &  
cultate  
dedas  
vendas  
utiles  
mittere  
audata  
rationi-  
bus

*Ad Lectorem.*

que plerumque doctrinam sectatus totum opus in aliquot Partes divisum ut æquè foris ac domi commodo sit usui , in Disputationes & Quæstiones dispertiar, respondebitque singulis Quæstionibus una , vel secundum quod res feret, altera Conclusio ex fontibus suprâ indigitatis desumpta, cum tali expositione , quæ sedulam tamen explicantis auscultationem non respuat , sed potius requirat, quin & calamum identidem explicata excipientem, ne, quod animadversum aliquoties fuit, Typus fœcordiam foveat. In sententiarum delectu ità medium tenebo , ut exoticas ac à studio Colonienſi alienas semper declinem, atque ità proprias stabiliam, ut contrarias minimè, nisi cum Ecclesiâ Catholicâ, damnem. Prolixitatem citationum, quas legentibus nauscam sæpè creare experientia docet, vitabo, non deerunt Authores , in quibus & propriæ & contrariæ opiniones latius videri poterunt. Utere igitur labore hoc humanissime Lector , & si quidem emolumento tuo cedat, quod post Dei gloriam unicè peto , id solum abundantis remunerationis loco reputabo , si verò minus arrideat opus , saltem intentionem improbare non poteris. Errores, si qui fortè diligentiam meam effugerint, ex antecedentibus & consequentibus ipsoque sensu prudenter colligere & corrigere poteris , ac memineris humana pleraque imperfectionibus laborare. Vale.

Elen.



ELENCHUS  
Disputationum & Quæstionum  
hujus Partis.

Numerus denotat paginam.

DISPUTATIO I.

*De essentiâ & objecto Theologia.* 1

*Quæstio I.* An Theologia sit scientia una, & naturalis & certior aliis? 3

Conclusio 1. est affirmativa.

Conclusio 2. est affirmativa.

Conclusio 3. est affirmativa.

Conclusio 4. est affirmativa.

*Quæstio II.* An Theologia sit simul speculativa & practica & subalterna? 15

Conclusio 1. est simul speculativa & practica, sed magis speculativa.

Conclusio 2. est non strictè sed latè subalternata scientiæ Dei & beatorum.

*Quæstio III.* Quodnam sit objectum Theologiæ? 23

Conclusio: Deus sub ratione Deitatis est objectum formale *quod*, revelatio virtualis est objectum formale *quo*, aliæ res revelatæ sunt objectum materiale.

Ubi de locis Theologicis. 27

*Quæstio IV.* An Theologia nostra maneat in patriâ? 31

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO II.

*De essentiâ Dei & ejus attributis in genere.* 33

*Quæstio I.* In quo formaliter consistit essentia Dei? 34

Conclusio: in actualissimo intelligere.

*Quæstio II.* An in Deo dentur aliqua attributa & quæ? 42

Con-

torum  
ue fori  
puratio  
ebitque  
cundum  
onibus  
exposi  
antis au  
is requi  
acata ex  
aliquo  
senten  
ut exo  
per de  
ut con  
tholica  
quas le  
perientia  
res, in  
ones la  
ore hoc  
emolu  
am uni  
neratio  
arrideat  
are non  
am meam  
nsequen  
lligere &  
humana  
Vale.  
Elen

*Elenchus*

Conclusio: dantur attributa in Deo tum ad esse, tum ad operationes pertinentia.

*Questio III.* An attributa inter se & à parte rei ab essentiâ distinguantur? 44

Conclusio est negativa.

*Questio IV.* An attributa inter se & ab essentiâ distinguantur ratione? 51

Conclusio: distinguuntur non objectivè sed formaliter ratione.

DISPUTATIO III.

*De attributis Dei in speciali.* 55

*Questio I.* An Deus sit unus & simplex? 55

Conclusio 1. est affirmativa.

Conclusio 2. est affirmativa.

*Questio II.* Quomodo Deus sit infinitus & verax? 59

Conclusio 1. est in omni genere infinitus.

Conclusio 2. est in cognoscendo & dicendo verax.

*Questio III.* Quomodo Deus sit immutabilis & æternus? 61

Conclusio 1. solus Deus est omninò immutabilis.

Conclusio 2. solus Deus est per essentiâ æternus.

*Questio IV.* An Deus sit immensus & omnipotens? 64

Conclusio 1. est affirmativa.

Conclusio 2. est affirmativa.

DISPUTATIO IV.

*De existentiâ Dei in rebus.* 68

*Questio I.* An & quot modis Deus sit præsens? 68

Conclusio: Deus est in omnibus rebus per potentiam, per præsentiam, per essentiâ.

*Questio II.* An operatio Dei sit formalis ratio existendi in loco? 71

Con-

*Disputationum & Questionum.*

Conclusio est affirmativa.

*Questio III.* An Deus sit præsens in spatiis imaginariis? 75

Conclusio est negativa.

*Questio IV.* An Deo sint res physicè præsentés in æternitate?

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO V.

*De possibilitate visionis Dei.* 84

*Questio I.* An clara Dei visio sit possibilis intellectui creato elevato? 85

Conclusio est affirmativa.

*Questio II.* An de potentiâ Dei absolutâ possit Deus quidditivè videri ab aliquo sensu corporeo? 88

Conclusio est negativa.

*Questio III.* An Deus possit clarè & intuitivè videri ab intellectu creato solis naturæ viribus? 90

Conclusio est negativa.

*Questio IV.* An de potentiâ Dei absolutâ possit dari substantia creata, cui sit connaturale videre Deum? 92

Conclusio est negativa.

DISPUTATIO VI.

*De medio visionis.* 95

*Questio I.* An sit possibilis species impressa creata, quâ Deus videatur? 95

Conclusio est negativa.

*Questio II.* An essentia divina uniatur intellectui creato per modum speciei intelligibilis? 99

Conclusio est affirmativa.

*Questio III.* An essentia ut unita concurret activè ad visionem? 101

Conclusio est affirmativa.

\* 2

Qua

*Elenchus.*

*Questio IV.* An in intellectu creato possit produci species expressa Deum quidditative representans? 102  
Conclusio est negativa.

DISPUTATIO VII.

*De lumine gloria.* 106

*Questio I.* An & quomodo lumen gloriae concurrat ad visionem? 106

Conclusio: requiritur ad visionem lumen gloriae intellectum creatum confortans.

*Questio II.* An ex intellectu & lumine gloriae constituatur unum principium adaequatum visionis? 109

Conclusio est affirmativa.

*Questio III.* An intellectus elevatus lumine gloriae sit causa principalis visionis beatæ? 110

Conclusio est affirmativa.

*Questio IV.* An visio Dei beatifica possit à solo Deo produci? 113

Conclusio est negativa.

DISPUTATIO VIII.

*De perfectione & objecto visionis Dei.* 117

*Questio I.* An perfectior intellectus cum æquali lumine gloriae clariùs Deum videat? 117

Conclusio est negativa.

*Questio II.* An intellectus cum lumine gloriae possit comprehendere Deum? 120

Conclusio est negativa.

Ubi; an visio sit simul speculativa & practica? 121

An sit complexa? 122

An sit reflexa? 122

An mensuretur æternitate participatâ? 123

*Questio III.* An divina essentia sine personis & una divina persona sine aliâ videri possit? 124

Conclusio est negativa. *Quæ*

*Disputationum & Questionum.*

*Questio IV. Quid vi visionis videatur & possit videri in Deo?* 127

Conclusio: non possunt videri in Deo omnes creaturæ possibiles.

Ubi an videantur omnes creaturæ futuræ. 130

DISPUTATIO IX.

*De essentiâ & divisione scientiæ Dei.* 134

*Questio I. An in Deo sit formaliter tam potentia intellectiva, quam actus intelligendi?* 134

Conclusio est negativa.

*Questio II. An in Deo sit scientia & respectu quorum?* 135

Conclusio: est respectu attributorum & creaturarum.

Ubi: an scientia Dei sit speciale attributum. 139

*Questio III. An scientia Dei ex immaterialitate rectè probetur & an sit discursiva?* 143

Conclusio 1. est affirmativa

Conclusio 2. non est formaliter discursiva.

*Questio IV. Quomodo dividatur scientia Dei?* 145

Conclusio: dividitur adæquatè in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.

DISPUTATIO X.

*De objecto scientiæ Dei.* 147

*Questio I. An sola essentia divina præcisè sumpta sit objectum primum scientiæ Dei?* 147

Conclusio est affirmativa.

*Questio II. An Deus cognoscat alia à se & quomodo?* 147

Conclusio 1. Deus cognoscit alia à se secundum esse formale & proprium quod habent in se.

Conclusio 2. sed non in ipsis sed in seipso.

*Part 1. Theol. Schol.*

\*\*

Con-

*Elenchus.*

Conclusio 3. ut in causâ priûs naturâ cognitâ,  
*Quaestio III.* An non entia & mala cognoscat Deus  
& quomodo? 154

Conclusio: Deus non entia & mala cognoscit  
per formas oppositas.

*Quaestio IV.* An & quomodo Deus cognoscat infi-  
nita? 159

Conclusio: in suâ essentiâ Deus cognoscit in-  
finita.

DISPUTATIO XI.

*De scientiâ Dei respectu contingentium  
absolutorum.* 160

*Quaestio I.* An Deus certò & infallibiliter cognoscat  
futura contingentia absoluta? 160

Conclusio est affirmativa.

Ubi de futuro in sensu thomistico & recentio-  
rum. 160

*Quaestio II.* An Deus præsciat infallibiliter futura  
contingentia in suis causis? 170

Conclusio est negativa.

*Quaestio III.* An Deus præsciat futura contingentia ab-  
soluta in eorum veritate objectivâ ante decre-  
tum? 172

Conclusio est negativa.

*Quaestio IV.* An Deus videat futura contingentia in eo-  
rum ideis an verò in decreto suæ voluntatis? 173

Conclusio: non in ideis præcindendo à de-  
creto sed in suâ essentiâ determinatâ per de-  
cretum.

Ubi de peccatis futuris. 175

DISPUTATIO XII.

*De scientiâ Dei respectu contingentium con-  
ditionatorum.* 176

*Quaestio I.* An Deus infallibiliter & certò cognoscat  
con-

contingentia conditionata? 176

Conclusio est affirmativa.

*Questio II.* An ponenda decreta ex objectis conditionata, in quibus Deus futura conditionata cognoscat? 179

Conclusio est affirmativa.

*Questio III.* Per quam scientiam Deus futura conditionata cognoscat? 186

Conclusio: alia à scientiâ simplicis intelligentiæ & visionis ad salvandam humanam libertatem & gratiæ infallibilitatem non est admittenda.

*Questio IV.* An & quæ scientia Dei sit causa rerum? 200

Conclusio: Scientia visionis ut est approbationis est causa rerum in actu secundo, simplicis intelligentiæ est causa in actu primo.

### DISPUTATIO XIII.

*De voluntate & libertate Dei.* 205

*Questio I.* An voluntas Dei habeat se per modum potentie vel actûs? 205

Conclusio: est in Deo voluntas habens se per modum purissimi actûs.

*Questio II.* An voluntas Dei ut libera distinguatur virtualiter à seipsâ ut naturali? 205

Conclusio est negativa.

*Questio III.* In quo consistit actus liber divini voluntatis & quomodo stet cum immutabilitate? 206

Conclusio: actus liber divini voluntatis est ipse actus necessarius connotans creaturam velut terminum, quæ potuissent non esse terminus.

*Questio IV.* An in divini voluntate sint virtutes virtualiter distinctæ? 211

Con-

*Elenchus*

Conclusio est affirmativa

Ubi de affectionibus in Deo admittendis 212

DISPUTATIO XIV.

*De objecto voluntatis divinae.* 219

*Quaestio I.* An sola bonitas divina sit objectum adaequatum divinae voluntatis? 215

Conclusio est affirmativa

*Quaestio II.* An Deus necessariò amet suam bonitatem? 217

Conclusio est affirmativa

*Quaestio III.* An & quomodo Deus amet Creaturas possibiles & actuales? 217

Conclusio : amat Creaturas possibiles amore inefficaci simplicis complacentiae, actuales amore efficaci.

*Quaestio IV.* Quomodo voluntas divina decernens futuritionem habeat se circa Creaturas possibiles? 219

Conclusio ; Idè non sunt futurae, quia Deus non determinavit earum futuritionem.

DISPUTATIO XV.

*De voluntate antecedente & efficaci.* 221

*Quaestio I.* An Deus velit omnes homines salvos fieri? 221

Conclusio ; vult omnes homines salvos fieri voluntate antecedente non consequente.

*Quaestio II.* An Christus sit pro omnibus passus & per Christum Deus det omnibus media sufficientia? 225

Conclusio 1. est affirmativa

Conclusio 2. Per Christum omnibus preparata sunt media sufficientia.

*Quaestio III.* An Deus praedèfinit actus liberos sine laesione libertatis? 231

Con-



*Disputationum & Quaestionum.*

Conclusio est affirmativa.

*Quaestio IV.* An & quomodo Deus ab aeterno praedestinat actus malos? 234

Conclusio: praedestinit Deus omnes actus malos ut actus sunt, non ut mali sunt.

DISPUTATIO XVI.

*De existentia & essentia providentia & praedestinationis.* 238

*Quaestio I.* Quid sit providentia, an & quid sit praedestinatio? 239

Conclusio 1. Providentia est ratio ordinis rerum in suos fines.

Conclusio 2. Datur praedestinatio & est ratio transmissionis Creaturae rationalis in finem vitae aeternae

*Quaestio II.* An praedestinatio sit actus divini intellectus? 244

Conclusio est affirmativa.

*Quaestio III.* In quo actu formaliter & essentialiter consistat praedestinatio? 245

Conclusio: consistit praedestinatio formaliter in actu imperii.

*Quaestio IV.* An praedestinatio sit in se certa & immutabilis? 247

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO XVII.

*De causis & effectibus praedestinationis.* 249

*Quaestio I.* An & quomodo praedestinatio sit facta ante praevisa merita? 249

Conclusio: electio ad gloriam est ante praevisa merita.

Ubi: an homines sint electi ante praevisionem peccati originalis? 255

*Quaestio II.* Qui sunt effectus praedestinationis? 257

\* \* \*

Con-

*Elenchus*

Conclusio: effectus sunt glorificatio, iustificatio, vocatio.

Ubi an permissio peccati sit effectus prædestinationis? 260

An substantia prædestinati? 262

*Quaestio III.* An ex parte prædestinati detur causa in ordine executionis respectu primi effectus prædestinationis? 263

Conclusio est negativa.

*Quaestio IV.* An merita puri hominis possint esse causa meritoria prædestinationis alterius quoad electionem & omnes effectus? 267

Conclusio est negativa.

DISPUTATIO XVIII.

*De reprobatione.* 270

*Quaestio I.* An in Deo detur reprobatio & in quo consistat? 270

Conclusio: reprobatio est providentia aliquos ab æternâ vitâ excludens & ob culpam ad pœnam ordinans.

*Quaestio II.* An & quomodo reprobatio ante prævisa demerita fiat? 272

Conclusio: reprobatio fit ante prævisa demerita personalia non originale, quo omnes homines in Adamo peccaverunt.

*Quaestio III.* Quinam sunt effectus reprobationis? 283

Conclusio: Permissio peccati æternâ pœnâ puniendi & ipsa æterna peccatoris damnatio sunt effectus reprobationis.

*Quaestio IV.* An ex parte reprobî detur causa primi effectus reprobationis? 285

Conclusio est negativa.

DIS.

*Disputationum & Questionum.*

DISPUTATIO XIX.

*De Mystero sanctissime Trinitatis.* 287

*Questio I.* An & quomodo mysterium sanctissimæ Trinitatis possit cognosci? 289

Conclusio : non potest cognosci per rationem naturalem.

*Questio II.* An & quare Processio in divinis verbi sit & Processio Spiritus Sancti non sit generatio? 290

Conclusio : quia prior est per intellectum posterior per voluntatem.

*Questio III.* An & quot relationes dentur in Deo? 292

Conclusio 1. est affirmativa.

Conclusio 2. Quatuor dantur relationes in Deo.

*Questio IV.* Quomodo relationes distinguantur inter se & ab essentiâ? 295

Conclusio 1. Paternitas filiatio & processio inter se distinguuntur realiter.

Conclusio 2. Spiratio activa à Paternitate & filiatione distinguitur tantum virtualiter.

Conclusio 3. Ab essentiâ divinâ relationes non distinguuntur realiter.

Conclusio 4. Sed ratione.

DISPUTATIO XX.

*De Personis divinis.* 309

*Questio I.* An & quot Personæ & quomodo reperiantur in divinis? 309

Conclusio 1. Ratio Personæ perfectiori modo reperitur in divinis

Conclusio 2. Tres sunt Personæ in divinis.

*Questio II.* De constitutivo & distinctivo Personarum. 310

*Elenchus*

Conclusio: relationes subsistentes constituunt  
& distinguunt Personas.

*Quaestio III. De subsistentiâ Personarum.* 314

Conclusio 1. In divinis sunt tres subsistentiæ  
relativæ.

Conclusio 2. In Deo est subsistentia absoluta  
tribus Personis communis.

*Quaestio IV. De Personâ Patris & Filii & Spiritûs  
sancti.* 317

Conclusio 1. Prima Persona est Pater sanctif-  
simæ Trinitatis principium.

Conclusio 2. Secunda Persona est verbum,  
proprie Patris Filius.

Ubi ex quâ cognitione verbum procedat? 320

An verbum procedat ex cognitione Creatura-  
rum actualium? 324

Conclusio 3. Tertia Persona est Spiritus san-  
ctus procedens ut perfectissimus amor.

Ubi an rectè dici possit. quod Spiritus sanctus  
procedat à Patre per Filium?

An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si  
ab eo non procederet?

An procedat à Patre & Filio ut ab uno princi-  
pio? 332

An exigit procedere à duabus Personis? 332

DISPUTATIO XXI.

*De nominibus, notionibus, aequalitate & missione Per-  
sonarum.* 334

*Quaestio I. De modo, quo nomina essentialia & per-  
sonalia prædicantur & supponunt in divinis?*

Conclusio: In propositionibus de divinis non  
tantum ad rem significatam, sed etiam ad  
modum significandi attendi debet.

*Qua-*

*Disputationum & Questionum.*

*Questio II.* De notionibus seu actibus notionalibus. 336

Conclusio: In divinis sunt quinque notiones.

*Questio III.* De æqualitate Personarum. 338

Conclusio: Divinæ Personæ sunt æquales.

*Questio IV.* De missione Personarum. 340

Conclusio: Missio dicit processionem Personæ missæ à mittente cum novo modo existendi in alio.

DISPUTATIO XXII.

*De creatione & mutatione Creatura.* 343

*Questio I.* An Creaturæ possit communicari virtus creandi? 343

Conclusio est negativa.

*Questio II.* De Paradiso, de animâ hominis & mutatione Creaturæ? 347

Conclusio 1. Paradisus est locus corporeus habitationi hominibus pro statu innocentie destinatus.

Conclusio 2. Anima est substantia spiritalis creata.

Conclusio 3. Omnes mutationes non implicatas Deus se solo in Creaturis potest efficere.

*Questio III.* An omnia sint in tempore producta & an potuerint ab æterno produci? 352

Conclusio 1. est affirmativa.

Conclusio 2. est affirmativa.

*Questio IV.* An omnia sint producta simul? an divisim & quomodo? 357

Conclusio: quoad materiam quodammodo informem omnia simul, sed quoad distinctionem & ornatum successivè sex diebus producta sunt.

DIS-

## DISPUTATIO XXIII.

*De substantiâ & loco Angelorum.* 361*Questio I.* An in rerum naturâ sint Angeli incorporei & incorruptibiles? 361

Conclusio 1. est affirmativa.

Conclusio 2. est affirmativa.

Conclusio 3. est affirmativa.

*Questio II.* An omnes Angeli specie distinguantur? 366

Conclusio est affirmativa de facto &amp; de possibili.

*Questio III.* Quomodo Angelus sit in loco & per quid? 372

Conclusio: Angelus est in loco per applicationem virtutis.

*Questio IV.* De motu locali Angelorum & assumptione corporum. 377

Conclusio 1: Angeli possunt moveri localiter motu continuo &amp; discreto.

Conclusio 2. Angeli assumunt corpora.

## DISPUTATIO XXIV.

*De cognitione, productione, custodia & locutione Angelorum.* 383*Questio I.* Quomodo Angelus seipsum Deum & Angelos cognoscat? 383

Conclusio 1. Angelus seipsum sine superadditâ specie impressâ, alias Creaturas etiam spirituales per species essentialis suæ superadditas cognoscit.

Conclusio 2. Deum ut Authorem naturæ Angelus per suam essentialiam cognoscit.

*Questio II.* Unde Angelus accipiat species rerum? 389

Con-

*Disputationum & Quaestionum.*

Conclusio 1. non à rebus cognitis acceptas  
sed à Deo ab initio creationis infusas species  
habet Angelus.

Conclusio 2. eò universaliores, quò Ange-  
li sunt perfectiores.

Ubi an Angelus semper intelligat actu multa? 394

An plura ut plura? 394

An omnia entia naturalia comprehendat? 394

*Questio III.* Quis status & gratia Angelorum in prima  
productione? 396

Conclusio 1. Angeli in beatitudine naturali  
non supernaturali creati sunt.

Conclusio 2. sunt creati in gratia.

*Questio IV.* An & quomodo Angeli loquuntur, illu-  
minant, custodiunt? 399

Conclusio 1. loquuntur Angeli per directio-  
nem conceptuum.

Conclusio 2. illuminant manifestando veri-  
tatem à se cognitam.

Conclusio 3. singulis hominibus singuli An-  
geli in custodes sunt deputati.

DISPUTATIO XXV.

*De peccato Angelorum & statu Daemonum.* 405

*Questio I.* An Angelus vel creatura aliqua sit vel esse  
possit impeccabilis ex naturâ suâ? 405

Conclusio est negativa.

Ubi: an Angelus relictus in puris naturalibus  
potuisset peccare? 406

An necessariò amet se & Deum magis  
quam se. 408

*Questio II.* An Angelus in primo instanti potuerit pec-  
care & quodnam primum peccatum? 410

Conclusio 1. est negativa.

Con:

XIII.

361  
incorpore  
361

366  
& de pos.

372  
per applica

377  
reli localiter

XIV.  
uisione Ab

381  
eum & An

389  
sine superad-

389  
n nature Ab

389  
Con

*Elenchus Disputationum & Questionum.*

Conclusio 2. primum Angeli peccatum fuit  
superbia.

*Questio III. De obstinatione & pœnâ Dæmonum.* 418

Conclusio 1. post plenam electionem arbitrium Angeli est inflexibile hinc Dæmones in malo obstinati.

Conclusio 2. Dæmones de facto vel in inferno vel in aëre caliginoso puniuntur.

*Questio IV. Quomodo Dæmones impugnant & tentant homines?* 422

Conclusio 1. impugnant homines ut noceant.

Conclusio 2. eodem modo tentant homines.

DISPUTATIO XXVI.

*De homine & variis statibus naturæ humana.* 425

*Questio I. De statu Innocentiæ.* 426

Conclusio: primi parentes conditi sunt in statu Innocentiæ cum variis gratiæ donis.

*Questio II. De statu naturæ integræ & reparatæ.* 431


Conclusio: in statu naturæ integræ fuit perfecta inferiorum virium ad superiores subordinatio quæ non est in statu naturæ reparatæ.

*Questio III. De statu naturæ lapsæ.* 432

Conclusio: lapsus Adæ nocuit etiam posteris.

*Questio IV. De statu naturæ puræ.* 438

Conclusio: potuisset homo in statu naturæ puræ creari.



PRIMA



# PRIMA PARS

De

DEO UNO, TRINO & CREATORE.

## Prooemium

Sive

### DISPUTATIO I.

*De Essentia & Objecto Theologiae.*



**T**HEOLOGIA Vox à Græco  
Theos id est Deus & logos id est  
sermo derivata in latissima ac-  
ceptione quamcunque de Deo  
notitiam sive actualem sive ha-

bitualem significat, & in hâc acceptione Theo-  
logia alia est increata: quâ Deus seipsum perfe-  
ctissimè cognoscit, alia creata: quâ Creaturæ  
Deum cognoscunt vel lumine naturali ex ef-  
fectibus creatis, & vocari potest Theologia  
naturalis, qualis est in Philosophis ex motu  
demonstrantibus existentiam primi motoris  
immobilis. Vel lumine supernaturali, quod  
duplex est: aliud claræ revelationis, quæ est  
in Beatis; aliud obscuræ revelationis, quâ non  
in propriis terminis sed in autoritate Dei re-  
velantis divinas veritates cognoscunt viatores  
sive creaturæ intellectuales ad aeternam beati-  
tudinem tendentes. Utraque latissimè ac-  
cepta Theologia supernaturalis dicitur & est  
duplex tam in Comprehensoribus quam in  
Viatoribus. Comprehensores enim veritates

*Pars I. Theol. Schol.*

A

su-

tionum.  
peccatum fit  
monum 4:1  
tionem arbi-  
ne Dæmones  
vel in infer-  
num.  
gnat & ten-  
4:2  
es ut uocant,  
tant homines.  
VI.  
wana. 4:1  
4:6  
sunt in statu  
onis,  
arate. 4:1  
græ fuit per-  
pentes sub-  
naturæ respa-  
4:1  
am posteri,  
4:8  
statu naturæ

PRIMA

supernaturales sine discursu simplici intuitu vident in divinâ essentiâ clarè repræsentante seipsam & alia à se; deinde extrâ essentiâ divinam per discursum ex iis, quæ in Deo vident, veritates divinas inferunt. Viatores itidem sine discursu veritatibus à Deo revelatis assentiuntur per fidem Theologicam, deinde per discursum ex veritatibus à Deo revelatis alias propter connexionem deducunt & hæc posterior tam in comprehensoribus, quam viatoribus est Theologia propriè & in communi sensu accepta & secundum diversam veritates divinas deducendi methodum varia est secundum substantiam tamen eadem; alia enim dicitur Symbolica, quæ secundum Catholicam Ecclesiæ & sanctorum Patrum interpretationem ex metaphoris & figuris procedit. Alia demonstrans quæ ex proprio sensu divinas veritates elicit, vel textum textui applicando alterum per alterum exponendo, & vocari solet Theologia positiva; vel morum regulas brevi & succinctâ ratione tradendo & dicitur Theologia moralis. Vel veritates fidei contrâ hæreticos defendendo & dicitur Theologia Polemica. Vel denique secundum leges Dialecticæ Scholasticæ formâ accuratiùs ex veritatibus à Deo revelatis alias per bonam consequentiam inferendo & est communi nomine Theologia Scholastica. De Theologiâ in ultimâ acceptione sit:

Quæ-

## QUÆSTIO I.

*An Theologia sit scientia, una, naturalis, & certior aliis.*

**Q**Uatuor resolvenda sunt 1. An Theologiæ notio Aristotelica scientiæ propriè conveniat? 2. An sit indivisa in plures partiales habitus aut sit collectio quædam plurium partialium habituum: non enim quæritur de unitate specifica, qua plura individua in eodem convenientia sunt unum, nec de numerica, quam habent accidentia ab eodem formaliter subjecto. 3. An sit qualitas, quæ omnis naturæ creatæ & creabilis exigentiam excedat sive supernaturalis? An verò sit facilitas intellectum secundum naturalem cognoscendū modum perficiens, licet aliquod supernaturale præsupponat. 4. An eliciat tales actus, quibus intellectus firmiter & immobilius objecto adhæret, ac aliis quibuscunque naturalibus? quoad primum negant Theologiam esse propriè dictam scientiam quotquot actualem principiorum evidentiam ad scientiam requirunt, quæ deest nostræ Theologiæ inferenti conclusiones suas ex articulis fidei necessariò obscuris, cum evidentia in se videantur & hinc credi non possint.

Quoad secundum, qui statuunt scientiam componi ex tot partialibus habitibus, quod partialia sunt objecta, quæ considerantur, vel scientiam esse aggregationem plurium specierum, idem asserere debent de nostrâ Theologiâ.

Quoad tertium Theologiam nostram intrinsicè & entitativè supernaturalem esse volunt nonnulli, qui moventur ex eo: quod Deus, qui est Theologiæ nostræ objectum, & articuli fidei, qui ejusdem principia sunt, entitativam habeant supernaturalitatem. Nostræ quoque Theologiæ tales convenientiæ prærogativæ, quæ videntur in naturalem scientiam cadere non posse.

Quoad quartum ; minorem Theologiæ respectivè ad alias scientias certitudinem inferre videntur negantes & in dubium vocantes principia & conclusiones Theologiæ, qui aliarum scientiarum principia & conclusiones indubitatè veras asserunt ; præterea intellectus sæpè fluctuat circa veritates Theologicas, qui tamen scientiarum naturalium veritatibus immobiliter assentitur. Pro resolutione Quæditorum.

DICO I. *Sacra doctrina est scientia.* S. Th. I. p. Q. 1. a. 2. O.

*Probatur* : Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus & inclinans in demonstrationes, & hæc propria notio est Aristotelicæ scientiæ ; atqui sacra Doctrina sive Theologia est habitus per demonstrationem acquisitus : quia ex veritatibus à Deo revelatis in hâc vitâ per fidem obscure & in alterâ vitâ clarè per intuitivam Dei ipsius visionem, intellectus per discursum certum alias veritates cum revelatis connexas deducendo facilitatem similes discursus eliciendi acquirit ; ergo est scientia tam prout est in nobis viatoribus quam prout est in beatis : licet non sit æquè perfecta in utroque statu : cum in statu, quem habet in beatis, conclusiones deducat ex principiis in se manifestis intellectui videnti clarè ea omnia, quæ in via creduntur, sed in statu viæ eadem principia in se obscura propter solam auctoritatem Dei dicentis certa ingrediuntur discursum Theologicum, quæ differentia tantum est accidentalis, igitur sicut discursus ex præmissis certis, quo propter necessariam connexionem extremorum cum uno medio infertur connexio extremorum inter se, est actus scientificus, ita habitus ad tales discursus facilitans est scientia.

*Obj. 1.* Scientia propriè dicta deducit conclusiones ex principiis evidentibus ; atqui Theologia viatorum non deducit conclusiones ex principiis evidentibus :  
quia

quia articuli fidei ex quibus Theologia viatorum deducit conclusiones sunt obscuri, quorum veritas intellectui non apparet, sed in autoritate Dei revelantis proponitur; ergo Theologia viatorum non est scientia propriè dicta.

2. Distinguendo maj. Scientiâ propriè dicta deducit conclusiones ex principiis evidentibus vel formali vel radicali evidentiâ Con. tantum formali evidentiâ N. Theologia viatorum procedit ex principiis radicaliter evidentibus. Explico; ad hoc in scientiis requiritur evidentiâ formalis ut intellectus firmiter adhæreat principiis ac propter principia conclusioni, quæ evidentiâ per fidem humanam fallibilem suppleri non potest; verum quia Theologia procedit ex articulis fidei, de quibus per autoritatem Dei revelantis certus redditur intellectus, ac quod eadem in scientiâ Dei & beatorum clarè ità esse cognoscantur, sicut in viâ creduntur, certius ex illis argumentatur, ac quælibet scientiâ naturalis ex principiis lumine naturali cognitis, ac proinde principia Theologiæ per motivum fidei divinæ intellectui applicata æquè determinant ad conclusionibus ex iis illatis firmiter assentiendum, ac si essent intellectui clarè propofita.

Obj. 2. Multa obstant Theologiæ, quo minus sit scientia, 1. Scientia est de universalibus sed Theologia est de singularibus, Deo, Christo, verâ Ecclesiâ. 2. Scientia est de necessariis sed Theologia est de contingentibus v.g. Præsentiâ Christi sub speciebus panis & vini. 3. Scientia non est de iis, quæ sunt credita; quia juxtâ Principia S. Thomæ idem non potest simul esse scitum & creditum; sed Theologia est de iis, quæ sunt credita: quia assentitur suis conclusionibus propter autoritatem Dei revelantis, propter quam intellectus assentitur articulis fidei, ex quibus istæ conclusiones deductæ sunt. 4. Scientia versatur circâ obje-

atum cognoscibile per causam; sed Theologia versatur circa Deum, qui est ens à se nullam habens causam.

82. ad 1. Scientia quæ procedit sub lumine rationis naturalis est tantum de universalibus: quia illa sola sunt immutabilis & æternæ veritatis de se Con. quæ procedit sub lumine divinæ revelationis infallibilis est tantum de universalibus N Theologia verò procedit sub lumine divinæ revelationis, unde singularia attingit prout huic substant.

Ad 2. Theologia est de contingentibus non in propriis terminis consideratis, sed à Deo, quem impossibile est falli aut fallere, revelatis, quæ ut talia sunt necessariæ veritatis.

Ad 3. negatur, quod ea, de quibus est Theologia, sint formaliter credita; ad probationem dicitur: Theologiam assentiri conclusionibus suis non propter auctoritatem Dei revelantis immediatè; sed propter connexionem cum præmissis revelatis & consequenter propter Auctoritatem Dei revelantis mediatè, quod non est credere sed scire; unde fidem Theologicam quidem præsupponit, ita ut deficiente fide & ipsa deficiat, & illaabilitas, quæ in hæreticis remanet & similis Theologiæ veræ apparet, est quasi cadaver Theologiæ; attamen est habitus discursivus à fide realiter distinctus.

Ad 4. objectum Theologiæ est cognoscibile per causam non formalem, ut bene probat objectio, sed virtualem sive rationem à priori, quia ex essentiâ demonstrat attributa & unum attributum ex alio tanquam prius cognito v.g. ex immutabilitate demonstrat æternitatem, ex perfectissimo intelligere perfectissimum velle, ex distinctione spiritus sancti à filio processionem ejusdem à filio.

DICO 2. *Omnia divinitus revelabilia communicant*

*cant in unâ ratione formali objecti hujus scientiæ: Et  
ideò comprehenduntur sub sacrâ doctrinâ, sicut sub  
scientiâ unâ, S. Th. 1. cit. a. 3. O.*

Explicatur & probatur: sicut scientia suam specifi-  
cationem desumit ab objecto non in esse rei spectato,  
sed prout substat rationi formali sub qua, ita & accipit  
unitatem aut diversitatem ab objecto prout eidem vel  
diversæ rationi formali substat, sed Theologiæ obje-  
ctum est unum videlicet Deus sive simplicissima Deitas:  
omnia enim, quæ Theologia tractat ordinantur ad  
Deum vel tanquam media ad finem vel tanquam effe-  
ctus ad causam; etiam substant omnia uni rationi for-  
mali sub quâ eidem videlicet abstractioni ab omni ma-  
teriâ etiam metaphysicâ, cum Deus, ad cujus cog-  
nitionem omnia in Theologiâ ordinantur, nullam  
omnino potentialitatem involvat; omnia quoque de-  
monstrat ex eisdem formaliter principiis revelatis, un-  
de sub eodem lumine virtualis revelationis sive deduci-  
bilitatis ex articulis fidei formaliter & immediatè reve-  
latis procedit; ergo est una scientia. Cui non obstat:  
quod in Theologiâ quoque adducantur principia natu-  
ralia; quia illa assumit ut extranea & à propriis prin-  
cipiis modificata.

*Obj. 1.* Una scientia attingit unum specie obje-  
ctum; sed Theologia attingit plura objecta specie di-  
stincta videt. Deum, Angelos, actus humanos, Sacra-  
menta; ergo dividitur in plures specie scientias, vel erit  
aggregata ex pluribus scientiis; cum enim eliciat de-  
monstrationes circâ enumerata objecta & quælibet de-  
monstratio generet scientiam, tot generantur scientiæ  
quot circâ objecta illa diversæ erunt demonstrationes,  
aut cur prima demonstratio generaret scientiam & non  
secunda, tertia &c.

*2.* Distinguendo mi. Theologia attingit plura ob-  
jecta specie materiali & in esse entis distincta Con. spe-  
cie

cie formali & in esse objecti distincta N. quia omnia illa attingit ratione Deitatis & sub lumine revelationis virtualis. Simile est in objecto potentiae visivæ colore albo, nigro &c. licet in his sit distinctio specifica materialis & in esse entis, non tamen in esse objecti potentiae visivæ sive quantum ad modum immutandi potentiam in quo omnes colores conveniunt. Ad id quod additur, responderetur, quod demonstrationes sub eadem ratione formali procedentes non generent novum habitum, sed sola prima generat habitum, cæteræ eundem perficiunt vel intendendo vel ad plura per applicationem objecti formalis ad novam materiam extendendo, non verò multiplicant, cum implicet idem subjectum habere plura accidentia solo numero distincta; ex hoc quod quælibet demonstratio habeat eandem efficaciam, sequitur, quod generaret in subjecto habitum scientiæ, si non esset generatus.

*Obj. 2.* Si Theologia sit una specie infimâ scientia, quia deducit suas conclusiones ex principiis revelatis, ergò si revelaret Deus alicui omnium scientiarum principia sine naturali investigatione, sicut fieri posse nemo dubitat, talis non haberet nisi unicum specie scientiam, quod videtur inconveniens.

*R.* Distinguendo seq. ergò si Deus revelaret alicui omnium scientiarum principia ità ut revelatio divina sit motivum & ratio formalis sub quâ assentiendi principiis & ratio assentiendi conclusionibus sit ipsa connexio cum taliter revelatis, non haberet nisi unicum specie scientiam Con. & hoc non est inconveniens. Ità ut revelatio se habeat tantum efficienter, ut Deus infunderet cognitionem principiorum quibus intellectus assentiretur propter ipsorum veritatem intellectui apparentem N. si Deus infunderet alicui omnes scientias, illud non tolleretur, quominus ipsarum principia adhuc essent cognoscibilia lumine naturali, ex quibus cogni-  
tis



tis deducerentur conclusiones, & consequenter diversitas formalium principiorum adhuc diversificaret scientias.

*Obj. 3.* Demonstrationes, quæ procedunt sub diverso specie lumine, generant diversos specie habitus; quia diversa specie lumina inferunt assensus specie diversos; atqui demonstrationes Theologicæ procedunt sub diverso lumine; aliquando enim procedunt ex duabus præmissis supernaturalibus, & ad illas solum lumen fidei concurrat, aliquando procedunt ex unâ præmissâ naturali & alterâ supernaturali, & ad illas concurrat simul lumen naturalis rationis; ergò hæc generant diversos habitus.

*R.* Negando mi. ad probat. dicendum: quod omnis demonstratio Theologica procedat sub eodem lumine naturali, siue enim una siue ambæ præmissæ sint de fide, fides tamen non concurrat proximè, sed remotè: quia concursus fidei modificatur per discursum naturalem propositiones fidei applicantem ad inferendam conclusionem connexam cum iisdem ut præmissis & itâ assensus ille est naturalis. Est simul assensus Theologicus licet una præmissa sit naturalis; quia propositio naturali lumine cognita assumitur ut conjuncta alteri, quæ est de fide & veritatem ab eâ participans, unde & idem habitus Theologicæ naturalis entitativè ad utrasque demonstrationes se extendit. De quo.

DICO 3. *Contingit aliquem judicare uno modo per modum inclinationis... alio modo per modum cognitionis... Secundus autem modus judicandi pertinet ad hanc doctrinam, secundum quod per studium habetur: licet ejus principia ex revelatione habeantur, S. Th. hic Q. 1. a. 6. ad 3. Sive Theologia est habitus intrinsecè & entitativè naturalis, sed extrinsecè & præsuppositivè supernaturalis.*

Prima pars probatur 1. ratione in textu S. Th allegata quod studio & diligentiam humana acquiritur est in se naturale; quia non excedit naturæ exigentiam, alias studio acquiri non posset; atqui Theologia studio acquiritur ut experientia docet, ergo probatur 2. omnis habitus entitativè supernaturalis vel pertinet ad gratiam gratum facientem & ita est cum eâ connexus, ut cum eâ obtineatur & amittatur; vel est connexus cum fide, ita ut in quovis habente fidem inveniatur, vel pertinet ad gratias gratis datas; ad nullum horum reduci potest Theologia, non ad primum; quia remanet in peccatore; non ad secundum; quia multi sunt fideles carentes Theologiâ; non ad tertium: gratiæ enim gratis datæ, quæ à Theologis ex Apostolo enumerantur, non comprehendunt Theologiam.

Secunda pars probatur: habitus, cujus objectum est supernaturale & principia sunt supernaturalia per lumen supernaturale cognita, est saltem extrinsecè & præsuppositivè supernaturalis; sed Theologiæ objectum est Deus secundum quod excedit omne lumen naturale, principia sunt articuli fidei, ex quibus ut fide divinâ creditis conclusiones suas deducit; ergo ad minus extrinsecè & præsuppositivè est supernaturalis. Pro meliore intelligentiâ & objectionum solutione.

Observa, dupliciter considerari possunt principia Theologiæ primò in ordine ad Deum revelantem prout substant divinæ revelationi, & sub hac ratione sunt supernaturalia: quia sunt propositiones de objecto supernaturali, quibus intellectus illustratus lumine supernaturali ex motivo supernaturali auctoritatis Dei revelantis assentitur & sic propositiones pertinent ad habitum supernaturalem fidei, & necessariò præsupponuntur ad assensum Theologicum, &

& propterea Theologia est scientia superioris ordinis respectu omnium scientiarum naturalium. Secundò possunt hæc principia spectari in ordine ad conclusiones, quæ per lumen naturale ex illis principiis inferuntur, & hac ratione concurrunt principia fidei ad assensum Theologicum & ad habitum Theologiæ v. g. hæc propositio: Christus est homo; in quantum est de aliquo divinitus revelato, pertinet ad habitum supernaturalem fidei & rationem naturalem excedit, in quantum verò ex eadem per lumen rationis hæc conclusio est deducibilis: Christus est risibilis: quæ cum eadem connexa est, intantum illa propositio pertinet ad habitum Theologiæ, nec rationem naturalem excedit.

*Obj. 1.* Actus Theologiæ sunt supernaturales videlicet conclusiones Theologiæ ergo & habitus. probatur ant. actus causati ab actibus supernaturalibus sunt supernaturales; quia sunt similes iis, à quibus causati sunt; sed conclusiones Theologiæ sunt causatæ ab actibus supernaturalibus videlicet assensibus præmissarum qui sunt actus fidei: cum præmissæ Theologiæ sint propositiones fidei.

¶ Distinguendo ult. probatur. propositiones fidei & assensus iis præstiti sunt supernaturales in ordine ad Deum revelantem & absolutè Con. in ordine ad conclusiones inferendas N. assensus propositionibus fidei datus est supernaturalis sed non causat assensum conclusionis Theologiæ, sed assensus præmissis benè dispositis præstitus, qui naturalis est, infert conclusionem,

*Obj. 2.* Ratio formalis quæ Theologiæ & ratio formalis sub quâ est supernaturalis: Deus enim ut author supernaturalis est ratio quæ & connexio cum articulis fidei est ratio formalis sub quâ, ergo & habitus Theologiæ qui specificationem suam ab obje-

cto formali desumit, est entitativè supernaturalis.

R. Negando ass: cujus probatio distinguitur: connexio cum articulis fidei est ratio formalis sub quâ Theologiæ secundum se N. prout substat lumini & discursui naturali Con. discursus enim naturalis principia Theologiæ modificat & deprimat ad ordinem naturalem & hinc conclusio ex iis deducta propter connexionem naturali lumine penetratam est entitativè ordinis naturalis & hoc est universale in omnibus scientiis, quod ad actus scientiæ concurrant duo habitus videlicet habitus principiorum, quo assentimur immediatè principiis & habitus scientiæ, quo assentimur immediatè conclusioni propter principia, primus habitus modificatur à secundo, ideoque principia non influunt in conclusionem secundum se, sed ut ab habitu scientiæ vel discursu modificantur.

Obj. 3. Ut aliquis actus sit supernaturalis non requiritur, ut omnes causæ ad eam concurrentes sint supernaturales ità v. g. actus contritionis, fidei, spei, qui elicitur à voluntate & intellectu naturali ex auxilio supernaturali, est supernaturalis; ergo licet ad discursus Theologicos simul concurrat lumen naturale, propter fidei principia supernaturalia sunt supernaturales, consequenter & generant habitum supernaturalem.

R. Distinguendo ant. non requiritur, ut omnes causæ proximè concurrentes sint supernaturales N. remotè concurrentes Con. potest actus supernaturalis remotè procedere à potentiâ naturali, dummodo ratio proxima secundum quam & virtus proxima à quâ procedit, sit supernaturalis, licet ergo habitus dependeat & originetur ab aliquo habitu supernaturali præbente principia, propterea non est supernaturalis, si per virtutem & modum naturalis  
potentiæ

potentiæ proximè generatur, & ità quamvis præmissæ, quæ sunt articuli fidei, influant in conclusionem Theologicam, quia tamen id fit mediante lumine naturali, dant quidem subordinationem & dependentiam conclusionis Theologicæ ab ipsâ fide & ex hoc majorem quâvis aliâ certitudinem, non tamen dant tendentiam supernaturalem Theologiæ in suum objectum nisi extrinsecè & præsuppositivè.

DICO. 4. *Hæc scientia alias speculativas scientias excedit secundum certitudinem S. Th. hic Q. A. 5. O.*

Probatur: certitudo quæ derivatur ex immutabili Dei veritate tam in dicendo, quam in essendo est major eâ, quæ derivatur ex lumine naturali; atqui certitudo Theologiæ derivatur ex immutabili Dei veritate tam in dicendo, quam in essendo: est enim de iis quæ deducuntur ex præmissis à Deo revelatis, & vera sunt propter veritatem revelatorum, & quæ sunt de Deo ente necessario & omnino ab intrinseco immutabili, à quo omnis creata essentia suam veritatem habet, certitudo verò aliarum scientiarum derivatur à lumine naturali; quia considerant ea, quæ per lumen naturale deducuntur ex naturaliter notis. Hinc etiam Theologia potiore jure est sapientia quam metaphysica; hæc enim Deum considerat ut cognoscibilem ex creaturis solo lumine naturali, Theologia verò judicat de ipsis rebus creatis per altissimam omnium causam nempe Deum, quem contemplatur sub lumine divinæ revelationis, quod magis certum & infallibile est, quam lumen naturale primorum principiorum.

*Obj. 1.* Multi de facto dubitant de principiis Theologiæ qui non dubitant de principiis aliarum scientiarum speciatim metaphysicæ: impossibile est  
idem

idem simul esse & non esse, quodlibet est vel non est. Ergo Theologia est minus certa. Deinde unum impossibile est æque impossibile ac aliud, ergo æque impossibile est, non esse vera principia aliarum scientiarum ac Theologiæ.

R. Ad 1. distinguendo ant. multi dubitant de principiis Theologiæ ob infirmitatem motivi assentiendi N. ob debilitatem intellectus nostri Con. ergo Theologia est minus certa quo ad se N. quo ad nos Con. solutio est S. Th. I. cit. ad 1. pro intelligentiâ sciendum: tripliciter habitus dicitur certior. Primò quo ad se, quando firmiores habet certudinis causas sive magis immutabilia assentiendi motiva. Secundò prout est in nobis quando illa motiva magis intellectui nostro sunt applicata, ut ex illis motivis firmiter objecto adhæreat. tertio Quoad nos quando motivum assentiendi intellectui est magis proportionatum & connaturale, & hoc modo Theologia est minus certa aliis scientiis: quia intellectui connaturalius est tendere in veritatem evidentem & in propriis terminis clarè propositam, per quam intrâ propriam lineam quietatur, ut etiam indeliberata hæsitatio & formido excludatur, quam tendere in veritatem obscurè & sub authoritate revelantis propositam.

Ad secundum Distinguitur ant. unum impossibile est æque formaliter impossibile ac aliud Con. quia si haberet aliquid de possibilitate non esset impossibile. æque fundamentaliter N. quia non omnia habent æquale impossibilitatis fundamentum e.g. majus est fundamentum: cur quatuor non possint esse mille quam ut non possint esse quinque; ita in præsentia magis repugnat esse falsa, quæ Deus per seipsum revelavit, prout ea habet in suâ cognitione, quam quæ per lumen naturale cognoscimus.

Obj.

*Obj. 2.* Multa traduntur in Theologiâ, quæ sunt contingentiâ, & consequenter fallibilia. deinde assumuntur ipsa principia metaphysicæ & logicæ à Theologiâ; ergo sunt magis certa.

*R.* ad 1. quod contingentiâ sint fallibilia secundum se Con. prout substant divinæ revelationi sub qua ratione ad Theologiam pertinent N. ad 2. Non quasi indigens assumit Theologia principia philosophica sed ut juvetur intellectus noster, qui promptius assentitur iis, quæ naturalibus principiis non repugnare ostenditur. Aliàs authoritas Dei revelantis est primum & solum Theologiæ principium.

## Q U Æ S T I O II.

*An Theologia sit simul speculativa & practica & subalterna?*

**S**uppono 1. Speculativum à speculando, practicum à praxi dicitur: est autem praxis actus alterius potentia ab intellectu distinctæ natus elici conformiter rationi rectæ sive quod idem est: ab intellectu regulabilis. Actus practicus est actus intellectûs regulans opus extrâ intellectum, habitus practicus per actum practicum dirigit opus extrâ intellectum. Habitus speculativus sistit in nudâ contemplatione veritatis, itâ ut scientia practica & speculativa maximè differant in fine intrinseco, qui in scientiâ practicâ est operari, in scientiâ speculativâ est cognoscere, scire & speculari suum objectum.

*Suppono 2.* Quod speculativum & practicum non essentialiter dividant scientiam ut sic, sed solum scientias inferioris ordinis, quarum aliqua tantum speculativæ aliqua tantum sunt practicæ, nulla autem simul est speculativa & practica, tum quia ratio speculabilis & practicabilis in nullo objecto inferioris ordinis simul inveniri potest; tum quia practica scientia diverso modo

do

do tendit in objectum & sub diversâ abstractione à materiâ, quam speculativa, scientia enim speculativa considerat objectum secundum quidditatem & ea, quæ quidditatem consequuntur, ideoque respicit veritatem abstrahendo ab exercitio existendi; econtrâ scientia speculativa respicit objectum ut ordinatum ad exercitium existendi & ut exequibile. Quia tamen ratio objecti superioris scientiæ est eminentior, utramque & speculabilis & practicabilis rationem in se adunat, atque eandem scientiam superiorem specificat. Simile est: anima rationalis simul est formaliter eminenter vegetativa & sensitiva, licet vegetativum tantum & sensitivum tantum sint differentiæ essentiales bruti & plantæ.

*Suppono* 3. Decisionem hujus Quæstionis: An Theologia sit scientia subalterna multum habere de nomine ac dependere à conditionibus, quas variè ad subalternationem requirunt; communius ad subalternationem propriè dictam requiruntur quatuor conditiones: 1. Ut scientia subalternata accipiat sua principia à scientiâ subalternante, ubi enim desinit subalternans, ibi incipit subalternata; exempla assignat S. Th. in perspectivâ, quæ procedit ex principiis notificatis per geometriam, & Musicâ quæ utitur principiis per arithmeticam notis: principia enim scientiæ subalternatæ sunt conclusiones scientiæ subalternantis 2. Ut principia scientiæ subalternatæ fiant tantum evidentia per lumen scientiæ subalternantis. 3. Quod scientia subalternata habeat objectum accidentalem habens differentiam superadditam objecto scientiæ subalternantis, vi cujus acquirat novam demonstrabilitatem passionum; sic musicæ objectum addit objecto arithmeticæ videlicet: numero: sonoritatem. Objectum perspectivæ addit objecto geometriæ videlicet: Lineæ: visualitatem, 4. Quod scientia subalternata non habeat statum perfectum, nisi jungatur in eodem intellectu scientiæ subalternanti. His suppositis,

DICO.



DICO. I. *Licet in scientiis philosophicis alia sit speculativa, & alia practica, sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque . . . magis tamen est speculativa, quam practica* S. Th. hic. Q. 1. A. 4. O.

Prima pars probatur : Illa scientia est formaliter simul practica & speculativa, cujus objectum tam formale quod, quam formale quo est formaliter practicum & speculativum ; atqui Theologiæ objectum quod & quo est formaliter practicum & speculativum ; objectum enim formale quod est Deus in ratione Deitatis, qui non tantum ut formaliter revelatus, sub quâ ratione est objectum fidei, sed etiam ut virtualiter revelabilis est simul prima veritas per scientiam speculabilis & ultimus finis per nostros actus assequibilis. Objectum formale quo sive principia Theologiæ sunt partim speculativa, partim practica : quædam enim principia revelata & per fidem cognita sunt formaliter speculativa : quia præcisè versantur circa Deum ut contemplandum v.g. istud : Deus est trinus & unus. Quædam sunt practica : quia dirigunt opus v. g. istud : Deus est super omnia diligendus ; ac proinde conclusiones Theologiæ aliæ sunt formaliter speculativæ & aliæ formaliter practicæ. Ergo Theologia quæ utitur talibus principiis & ex ipsis tales conclusiones deducit est formaliter simul speculativa & practica.

Secunda pars probatur : Theologiæ actus principales sunt speculativi : quia quamvis Theologia de actibus humanis agendo & illos ordinando ad ultimum finem sit practica, restamen divinæ mysterium sanctissimæ Trinitatis, incarnationis &c. Sunt objecta magis principalia, de quibus agit speculando, & ipse ultimus finis formalis sive æterna beatitudo consistit in intuitivâ cognitione Dei, ergo

Theologia ex utroque capite principalius & magis est speculativa quam practica.

*Obj. 1.* Scientia simul practica & speculativa debet habere actus, qui sint simul practici & speculativi; quia habitus specificatur ab objecto median-  
tibus actibus & ita quilibet actus debet participare rationem formalem habitus; atqui actus Theologiae non sunt simul practici & speculativi; alias omnes conclusiones Theologicae essent simul practicae & speculativae, quod patet esse falsum. Ergo.

*R.* Negando Maj. cujus probatio distinguitur; quilibet actus debet participare rationem habitus adaequatè N. habitus enim latius patet, inadaequatè Con. sufficit, quod aliquis actus Theologiae v. g. de Deo uno & trino ex formali objecto participet rationem speculativi, & alius actus v. g. de Deo super omnia diligendo participet rationem practici ex eodem formali objecto.

*Obj. 2.* Objectum scientiae practicae debet esse operabile; sed objectum Theologiae, quod est Deus, non est ab homine operabile. Deinde scientia practica dirigit operationem & est regula rectè operandi: atqui Theologia non est regula rectè operandi; multi enim habent Theologiam, qui non operantur rectè.

*R.* ad 1. Objectum Theologiae non est operabile physicè id est per actus producibile vel factibile Con. moraliter id est per praxes attingibile N. in scientiis practiciis inferioribus objectum est per actus à scientiâ regulatos producibile, sicut sanatio corporis in medicinâ, sed in Theologiâ objectum est finis ultimus per actus regulatos attingibilis & assequibilis, sub quâ ratione Theologia agit de actibus humanis, & est practica.

ad 2. Distinguitur Maj. Scientia practica dirigit

git operationem mediatè Con. immediatè N. proponit quidem scientia practica regulas rectæ operationis, ad quas in operando attendens semper operatur rectè, ut verò sequatur operatio recta, requiritur actus prudentiæ supponens tum intellectum instructum scientiâ, tum appetitum rectum per virtutes morales.

Inst. Si sufficiat ad scientiam mediatè ordinari ad operationem, ergo etiam metaphysica est scientia practica; quia agit de Deo ut fine naturali, ad quem acquirendum per actus Charitatis movere potest.

R. Negando sequelam; cujus probatio distinguitur metaphysica ad Deum ut finem naturalem acquirendum movere potest indirectè Con. manifestat enim ejus bonitatem, quæ ad amorem allicit, sed hoc ad scientiam practicam non sufficit, cum sit tantum indirecta & per accidens se habeat respectu scientiæ. Directè agendo de fine ultimo ut per media assequibili, & de ipsis mediis sicut Theologia N. metaphysica est quidem suprema inter philosophicas scientias, sed tamen ordinis inferioris, quæ habet objectum limitatum ad unam rationem.

DICO. 2. *Sacra doctrina est scientia; quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei & Beatorum.* S. Th. hic Q. 1. A. 2. O. Sive Theologia latè potest dici subalternata scientiæ Dei & Beatorum non verò strictè.

Ima pars probatur; scientia quoad evidentiam & manifestationem suorum principiorum dependens à scientiâ superiore eidem latè subalternata rectè dicitur; atqui Theologia quoad evidentiam & manifestationem suorum principiorum dependet à scientiâ Dei & Beatorum, quâ clarè videntur ea, quæ hic credimus & ex quibus conclusiones Theologicas discursu naturali deducimus.

2da pars probatur; conditiones ad subalternationem strictè dictam requisitæ in Theologiâ respectu scientiæ Dei & Beatorum deficiunt; ergo non est strictè eidem subalternata. Ant. ostenditur; principia scientiæ subalternatæ per se pertinent ad scientiam subalternantem tanquam ejusdem conclusiones unde etiam in scientiâ subalternante probantur; atqui principia nostræ Theologiæ pertinent ad fidem, quâ certissimè creduntur, neque in scientiâ Dei & Beatorum modo scientifico & probativo manifestantur, quòd est proprium scientiæ subalternantis, sed simpliciter modo intuitivo & ità visio beatifica se habet per modum habitûs principiorum respectu Theologiæ beatorum, sicut se habet fides respectu Theologiæ viatorum supplens defectum visionis beatificæ. 2. Lumen scientiæ subalternatæ manet cum lumine scientiæ subalternantis & ab illâ perficitur; atqui lumen fidei sub quo procedit nostra Theologia non perficitur; sed destruitur per lumen visionis beatificæ. 3. Scientia subalternans non penetrat conclusiones scientiæ subalternatæ; atqui conclusiones Theologiæ etiam clarè videntur à Deo & beatis per ipsam visionem beatificam. 4. Objectum scientiæ subalternatæ debet habere differentiam accidentalem objecto scientiæ subalternantis superadditam, in quâ fundatur novus modus demonstrabilitatis; atqui objectum Theologiæ nullam habet differentiam accidentalem objecto scientiæ Dei & beatorum superadditam; hæc enim non est inevidentia aut virtualis revelabilitas; tum quia inevidentia Theologiæ tantum convenit secundum statum præsentem non verò secundum essentiam, & scientia Dei & Beatorum æque se extendit ad virtualiter ac ad formaliter revelata, cum tamen scientia subalternans illam differentiam accidentalem

dentia-

dentalem non debeat attingere. Tum quia revelatio virtualis non tenet se ex parte objecti, quod attingitur, sed ex parte motivi & rationis formalis sub quâ, nec tam ad objectum terminativum, quam ad modum cognoscendi pertinet.

*Obj. S. Th. adductâ ratione perspectivæ ad geometriam & musicæ ad arithmeticam subjungit: Hoc modo sacra doctrina est scientia, sed enumeratæ scientiæ sunt propriè subalternatæ; ergo etiam Theologia respectu scientiæ Dei & Beatorum.*

*R. Hoc modo significat, quod in eis quæ S. Th. dixit paritas sit inter Theologiam & scientias propriè subalternatas; sicut enim scientia subalternata procedit ex principiis notis lumine scientiæ superioris, ita Theologia procedit ex principiis notis per visionem Dei. Deinde sicut habens scientiam subalternatam sine subalternante credit principia tradita à scientiâ superiore subalternante, ita Theologus credit principia, quæ Deus revelavit, fide divinâ; quia tamen hæc fides est infallibilis, ideo intellectus habitu Theologiæ certus est, quod sua principia à Deo & Beatis sint clarè cognita, quâ certitudine mediante evidentia scientiæ Dei & Beatorum est radix influens in certitudinem conclusionum Theologicarum, in quo deficiunt aliæ scientiæ subalternatæ à subalternantibus separatæ, hæ enim solum supponunt sua principia per subalternantes demonstrativè probari.*

Ex dictis sequitur 1. quod Theologia viatorum non sit propriè subalternata fidei; neque Theologia Beatorum lumini gloriæ aut visioni beatificæ; quia fides ad Theologiam viatorum & visio beatifica ad Theologiam Beatorum habet se ut habitus primorum principiorum ad alias scientias, quæ tamen hoc ipso non sunt propriè subalternatæ.

2. Multò minus Theologia viatorum subalternatur Theologiæ Beatorum ; cum sit idem formaliter habitus : quia manente eodem objecto formali manet idem essentialiter habitus ; atqui manet idem objectum formale Theologiæ Beatorum, quod est viatorum : videlicet deducibilitas conclusionis ex principio à Deo revelato ; in patriâ enim Beati per cognitionem vespertinam ( id est extrâ essentiam divinam clarè visam ) deducunt ex principiis formaliter revelatis non quidem obscurè sed clarè in Deo visis discursu naturali conclusiones. Nihil autem ad essentiam Theologiæ procedentem sub ratione virtualis revelationis interest , an principium, ex quo discurret, sit clarè vel obscurè revelatum.

3. Licet Theologia utatur principiis naturalium scientiarum, ex hoc tamen non sequitur, quod alicui scientiæ purè naturali subalternata sit : quia ad subalternationem propriè dictam requiritur : quod scientia ex principiis intrinsecis non possit resolvere conclusiones suas, sed pro earum evidentiâ recurrere debeat ad subalternantem, non verò utatur alicujus principiis velut extraneis & mutuatis & extraneorum istorum principiorum evidentiâ accipiat ab aliâ scientiâ ; atqui Theologia resolutionem & demonstrationem priorum principiorum, quæ sunt propositiones fidei, non petit à scientiâ purè naturali, sunt enim majoris certitudinis, quam quælibet demonstratio scientiæ naturalis. *Nec obest*: quod conclusio Theologica quandoque deducatur ex præmissâ fidei & alterâ præmissâ naturali; quia utitur Theologia præmissâ naturali ut extraneâ, & hæc non nisi ut per præmissâ fidei elevata influit in conclusionem, quæ habet certitudinem majorem quavis certitudine purè naturali, & habet se tantum ut applicativa principii supernaturalis accipiens ex ipsâ

con-

conjunctione cum principio supernaturali majorem certitudinem, quam secundum se non habet; cum enim Theologia possit judicare de propositionibus naturalibus eaque vel approbare vel corrigere, sequitur, quod, si illas approbet & assumat ad inferendam conclusionem perfectiorem, reddat illam certiozem, ac ita non subalternatur scientiæ naturali, ut ab illâ perficiatur, sed potius illam perficiat.

### QUESTIO III.

*Quidnam sit objectum Theologiae?*

**S**uppono: objectum formale scientiæ est id, quod per se & ratione sui consideratur à scientiâ. Objectum materiale est, quod ratione alterius à scientiâ attingitur sive quod istam quidditatem, cujus proprietates scientia cognoscit, in se non continet, sed aliquo modo ad eandem pertinet. Objectum formale duas rationes includit, rationem *quæ* & rationem *sub quâ* sive objectum formale *quod* vel *terminativum*, & objectum formale *quo* seu *motivum*; objectum formale quod & terminativum est illa ratio, quam per se considerat scientia, & ad quam cætera omnia, quæ in scientiâ attinguntur, sunt ordinata, hoc objectum vocatur aliquando *attributionis*, eò quod omnia in scientiâ cognoscenda ipsi aliquo modo attribuantur, vocatur etiam à S. Th. *subjectum*, quod alia de ipso vel in recto vel in obliquo prædicari possint. Objectum formale quo & motivum est illa ratio formalis per quam objectum attingitur sive principia sub certâ abstractione ut inferentia conclusionem, per quæ principia de objecto formali proprietates ejusdem demonstrantur.

**DICO.** *Omnia pertractantur in sacrâ doctrinâ sub ratione Dei... unde sequitur, quod Deus verè sit subjectum hujus scientiæ. Quod etiam manifestum fit ex*

*principiis huius scientiæ, quæ sunt articuli fidei S. Th. hic Q. 1. a. 7. O.* Sive objectum formale quod Theologiæ est Deus sub ratione Deitatis, ratio formalis sub quâ est revelatio virtualis, sive deducibilitas discursiva ex articulis fidei objectum materiale sunt res aliæ à Deo revelatæ.

Prima Pars probatur: Objectum formale quod sive ratio formalis, quam per se considerat Theologia est ea, quæ ratione sui attingitur à fide; cum enim Theologia sit scientia deducta ex principiis fidei, habet idem objectum formale, quod habet fides; atqui objectum formale quod fidei est Deus sub ratione Deitatis: illud enim per se creditur per fidem, quod ratione sui manifestatur per lumen gloriæ & videtur visione beatificâ; atqui visione beatifica attingitur Deus sub ratione Deitatis & reliqua, quæ videntur in Deo, videntur inquantum sunt aliquid Dei; quod autem Theologiæ objectum sit Deus non præcisè ratione aliquis attributi, sed ratione Deitatis; inde ostenditur: quia omnia attributa resolvuntur in ipsam Deitatem tanquam causam virtuales & rationem à priori: ergo Theologia Deum considerat per se primò ratione Deitatis sive tanquam primam in essendo veritatem, quæ propter se attingitur & omnia alia creata propter Deitatem tanquam causam formalem, attributa propter Deitatem tanquam causam virtuales sive rationem à priori.

Secunda Pars probatur: ratio formalis sub quâ sive motivum Theologiæ est illud quod movet intellectum ad assensum conclusionis Theologiæ; atqui revelatio virtualis sive discursiva connexio aut deducibilitas conclusionis vi connexionis inter præmissas quæ sunt articuli fidei, vel quarum una est revelata & altera naturalis intellectum movet ad assensum conclusionis Theologiæ; ergo revelatio virtualis est ratio formalis sub qua Theologiæ.

Con-



Confirmatur : ratio formalis sub quâ Theologia est illa formalitas , per quam Theologia distinguitur ab omni alio habitu intellectuali ; atqui per revelationem virtualemente Theologia distinguitur ab omni habitu intellectuali : Theologia enim non cognoscit Deum sub lumine purè naturali , quatenus ex Creaturis est cognoscibilis , sub hâc ratione enim pertinet ad Metaphysicam. Neque sub lumine gloriæ , quod est principium visionis in patria. Neque sub lumine revelationis immediatæ & formalis , aliàs Theologia non distingueretur à fide. Ergo tantum attingit Deum sub lumine revelationis mediatæ , quod est revelatio virtualis sive connexio discursiva principiorum fidei immediatè revelatorum apta ad inferendum conclusiones ; ità ut proxima ratio assentiendi conclusionibus Theologicis non sit testimonium Dei sed connexio præmissarum.

Tertia Pars probatur : objectum materiale Theologiæ sunt omnia quæ cadunt sub ratione formali sub qua Theologiæ & ab ea ratione objecti formalis attinguntur ; atqui omnes res à Deo revelatæ cadunt sub ratione formali sub qua Theologiæ videlicet sub revelatione virtuali , & à Theologia attinguntur in quantum dicunt ordinem ad Deum ; ergo sunt objectum materiale , cum omne , quod per demonstrationem Theologicam ex revelatis inferitur sit virtualiter revelatum & hoc sensu S. Th. in prolog ad 1. sent. a. 4. O. dicit objectum Theologiæ esse ens divinum sive per inspirationem cognoscibile.

*Obj. 1.* Contrà 1. partem : Scientia non probat existentiam sui objecti , sed illam præsupponit ; Theologia verò probat existentiam Dei ; ergò Deus non est objectum Theologiæ. Deinde scientia de objecto demonstrat proprietates ; atqui in Deo nullæ sunt proprietates : quia est ens simplicissimum.

*2. ad 1.* Distinguendo maj. Scientia non probat  
B 5  
existentiam.

existentiam sui objecti per medium proprium & ad ipsam scientiam pertinens Con. per medium ad aliam scientiam pertinens N. Theologia probat existentiam Dei ut Authoris naturalis per medium desumptum ex Metaphysicâ, Dei ut Authoris supernaturalis existentiam non probat, sed ex fide supponit.

Ad 2. In Deo nullæ sunt proprietates reales Con. virtuales N. ad demonstrationem sufficit quod detur in Deo essentia, à quâ alia prædicata virtualiter distinguantur, quæ sunt attributa.

*Obj. 2.* Objectum formale fidei est divina veracitas sive Deus ut est prima veritas in testificando; ergo etiam Theologiæ objectum formale est non Deitas sed prima veritas.

*R.* Distinguendo ant. Objectum formale quo fidei est divina veracitas Con. quia ideo revelata à Deo credo, quia Deus est verax, & ideò assentior veritati Theologicæ; quia est connexa cum propositione à Deo revelatâ. Objectum formale quod fidei est divina veracitas N. Quia fide divinâ credimus non aliquod attributum, sed ipsam Deitatem, ità quoque illud, de quo Theologia infert conclusiones, quibus ob virtualem revelationem assentitur, non est aliquod attributum, sed fons & radix virtualis attributorum videl. Ipsa Deitas.

*Obj. 3.* Contrà 2. partem. Non omnes conclusiones Theologicæ substant revelationi virtuali: illæ videl. quæ deducuntur ex unâ revelatâ & alterâ naturali præmissâ, quia causa adæquata illis assentiendi non est revelatio, sed simul præmissa naturalis, in quâ proinde conclusio sequens debiliorem partem continetur potius quam in propositione fidei.

*R.* Negando ass. cum probat: quia sola præmissa fidei continet conclusionem Theologicam & altera naturalis per accidens solum propter imperfectionem subjecti

jecti, quod indiget ministerio formalis discursus assumitur: unde Angelus non discurrens per cognitionem Theologicam in hac propositione: Christus est homo: velut causâ adæquatâ videt hanc conclusionem: Christus est risibilis.

*Obj. 4.* Contrâ 3. partem: omne ens supernaturale immediatè cadit sub ratione formali sub quâ Theologia: cum de eo possit aliquid demonstrari; ergo est objectum formale quod Theologiæ.

*R.* Distinguendo ant. Omne ens supernaturale immediatè cadit sub ratione formali sub quâ Theologiæ ratione sui N. Ratione Deitatis, ad quam ordinatur Con. posset quidem aliquid absolutè à Deo revelari independenter ab ordine ad Deum revelatum, sed hoc non crederetur fide Theologicâ, quæ immediatè & per se respicit Deum tanquam objectum specificativum, verum sicut hoc ad alterius rationis fidem pertineret, ità etiam scientia, quæ ex tali revelato absque ordine ad Deum deduceret conclusiones, non esset ejusdem rationis cum nostrâ Theologiâ, cujus finis essentialis & intrinsecus est cognitio solius Dei & aliorum objectorum minùs principalium propter Deum & in ordine ad Deum, qui etiam est finis fidei; ideoque si objectum aliquod revelaretur à Deo sed non in ordine ad Deum. Hoc non caderet sub nostram Theologiam sicut non caderet sub fidem Theologicam.

*Q. 1.* Quinam sunt loci ex quibus Theologia sua argumenta desumit?

*R.* Loci argumentorum alii sunt Theologiæ proprii & intranei alii sunt alieni & extranei. Deinde argumenta Theologica alia sunt demonstrativa alia sunt probabilia. Loci Theologiæ proprii continent principia ad solam Theologiam pertinentia videl. articulos fidei. Loci extranei ministrant ea, quæ ad inferiores scientias pertinent & à Theologiâ ad intellectus debilitatem adjuvando

dant

dam assumuntur, cum fidei non repugnent, verum enim non est contrarium vero. D. Ang. hic Q. 1. a. 8. ad 1. Tres enumerat generaliter locos sive sedes unde Theologia probationes desumit: 1. autoritatem sacræ scripturæ; 2. autoritatem doctorum Ecclesiæ; 3. Humanam rationem & Philosophorum autoritatem: *etiam (inquit) autoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt... sed tamen sacra doctrina hujusmodi autoritatibus utitur quasi extraneis argumentis & probabilibus. Autoritatibus autem Canonica scriptura utitur propriè ex necessitate argumentando. Autoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Igitur ex his tribus locorum generibus omnes tam probabiles quam demonstrativi discursus in Theologiâ formantur.*

Q. 2. Qui sunt loci contenti sub autoritate S. scripturæ.

R. 1. Omnes libri Canonici secundum editionem vulgatam sive ab Ecclesiâ Catholicâ in Canonem eorum, qui revelationem Dei scriptam continent, relati, ex quibus secundum sensum litteralem demonstrativè Theologia procedit, quia sensui litterali nunquam potest subesse falsum, cum eum per ipsas voces immediatè significare voluerit spiritus sanctus. Verum secundum sensum mysticum sive spirituales, quem res per voces significatæ significant, non argumentatur Theologia demonstrativè nisi talis sensus spiritualis ex alio loco litterali sit certus, sic locus ille Deut. 25. v. 4. *Non ligabis os bovis terentis in arçâ fruges tuas* spiritualiter de prædicatoribus Evangelii exponitur 1. Cor. 9. v. 9. & 10. *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit?* aut quando totius Ecclesiæ consensus vel unanimes Ss. PP. interpretatio eundem sensum mysticum approbat. 2.

2. Traditiones divinæ, quæ ab Apostolis non scripto sed verbo traditam revelationem divinam continentes à S. Scripturâ approbatæ sunt & non minus, quam ipsa sacra scriptura, suscipiendæ. Unde ex his discutrit Theologia certò:

3. Autoritas Ecclesiæ cui Christus infallibilitatem & permanentem Spiritûs sancti assistentiam promisit, ita ut nunquam sint contrà eam portæ inferi prævalitura per admixtionem alicujus erroris, quem in suâ doctrinâ fidelibus ut à Deo revelatum proponeret.

4. Autoritas summi Pontificis credenda universæ Ecclesiæ proponentis.

5. Autoritas conciliorum generalium legitimè congregatorum & cum capite summo videlicet Pontifice universalem Ecclesiam repræsentantium.

Q. 3. Quomodo argumentetur Theologia ex auctoritate Ss. Patrum & Doctorum Scholasticorum?

R. 1. Quando allegantur Ss. Patres, hoc nomine intelliguntur viri, qui sanctitate & doctrinâ in Ecclesiâ Dei floruerunt & sine methodo Scholasticâ ea, quæ scripturam sanctam diligenter ruminando & veritates fidei imploratâ Spiritûs sancti gratiâ conferendo ad fidem & mores pertinere judicârunt, Ecclesiæ scripta reliquerunt; quando verò nominantur Doctores Scholastici, veniunt ii, qui secundum regulas dialecticæ mysteria fidei & principia morum applicant ad deducendas ex iis veritates.

2. Unanimis sanctorum Patrum consensus in materiâ fidei, intellectu Scripturæ sacræ, principiorum moralium explicatione facit firmum & irrefragabile argumentum in Theologiâ, quia horum unanimis consensus est consensus totius Ecclesiæ, quam Deus per sanctos Patres docet & instruit, & cujus ipsi sunt præcipua pars, unde si omnes Sancti Patres in Sacrarum Scripturarum interpretatione errarent;

Eccle-

Ecclesia erraret Deo authore qui Ephes. 4. *de-*  
*dit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas*  
*alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Docto-*  
*res ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in*  
*edificationem corporis Christi & Jerem. 3. v. 15. pro-*  
*misit: dabo vobis Pastores juxta cor meum & pas-*  
*cent vos scientiâ & doctrinâ.*

3. in iis, in quibus sancti Patres non unanimi-  
 ter consentiunt, sed quæ unus vel alter vel etiam  
 plures aliis dissentientibus docuerunt, possunt face-  
 re argumentum magis vel minus probabile sed non  
 firmum & certum ut S. Th. hic ad 2. fundat in S. Aug.  
 dicente: solis scripturarum libris, qui Canonici  
 appellantur didici hunc honorem deferre, ut nullum  
 auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmis-  
 simè credam. alios autem ità lego, ut quantàlibet  
 sanctitate doctrinâque præpolleant; non ideo ve-  
 rum putem, quod ipsi ità senserunt, vel scripse-  
 runt.

4. Theologorum Scholasticorum autoritas non  
 facit argumentum aliud in iis, in quo diversa senti-  
 unt, nisi quod in ratione vel testimonio Scriptu-  
 ræ, cui innituntur, fundetur; sed quando in ali-  
 quâ sententiâ pertinente ad fidem vel mores commu-  
 niter Theologi scholastici ( licet uno vel altero dis-  
 sentiente ) concordant, contrarium asserere cen-  
 setur valde temerarium, quia nullo vel omnino levi  
 fundamento censetur niti illud, quod contrariatur  
 eorum judicio, qui rem intelligentes ex professo di-  
 judicarunt; accedit, quod in definitionibus con-  
 cilioꝝ generalium semper habita fuerit ratio opi-  
 nionum, quæ essent inter Theologos communio-  
 res. Denique omninò concors Theologorum scho-  
 lasticorum sententia in materia fidei & morum tam  
 firmum præbet argumentum, ut contrarium sit et-

ro-

zoneum vel errori proximum tum quia nullum assignari potest dogma falsum, in quo omnes Theologi scholastici consenserunt, quia in nullo ad fidem & mores pertinente omnes conveniunt nisi propter testimonia certa S. Scripturæ aut definitiones Ecclesiæ

§. Ad Theologos scholasticos reducuntur Canonistæ, quorum autoritas in materiis fidei & morum minor est, in his quippe Theologo potius quam juris perito credendum, sed in iis, quæ ad Ecclesiæ ritus, regimen, Pontificum sanctiones, pœnas, censuras, irregularitates, jurisdictionis Ecclesiasticæ exercitium aliaque ex legibus Ecclesiasticis dependentia pertinent, major est juris canonici peritorum autoritas.

Q. Ultimò qualia argumenta Theologiæ subministrat historia Ecclesiastica?

æ. Argumenta, quæ ex historiâ Ecclesiasticâ desumuntur, non sunt certa, eò quod innitantur tantum fidei humanæ, quæ incerta & fallibilis est, sed sunt duntaxat probabilia, quæ probabilitas eò major est, quo plures scriptores scientiâ & vitâ probati de eadem re sui temporis ex propriâ notitiâ testantur, & si omnes coævi, in quos nulla ignorantia vel suspecta fidei nota cadit, in eodem conveniunt, contrarium asserere valde temerarium est.

#### QUÆSTIO IV.

*An Theologia nostra maneat in patriâ?*

**S**uppono: cum gratia non destruat, sed perficiat naturam, habitus in hac vitâ infusi vel acquisiti non amittuntur in alterâ vitâ sed remanent vel ad ornatum, si materia, circâ quam operationes ad habitum pertinentes versantur, desit, ut fortitudo, temperantia, pœnitentia versantes circâ pericula,

pas-

passiones, peccata, defectu materiæ operari non possunt in Beatis. Vel ad exercitium: ut prudentia charitas &c. Ad utrorumq; remanentiam requiritur, ut non habeant repugnantiam cum statu beatitudinis, licet accidentales imperfectiones, cum quibus in hac vita reperiuntur, in beatitudinis statu non inveniuntur.

Hinc quæritur an Theologia nostra non quidem quoad accidentales imperfectiones, sed quoad entitatem suam maneat in cælo in iis, à quibus fuit acquisita in terris, aut an in sua essentia involvat imperfectionem statui beatitudinis repugnantem.

Occasionem huic quæstioni dat, quod principia Theologiæ sint principia desumpta ex fide, fides autem, ut alibi dicitur, non manet in patria.

DICO. *Scientia habet perfectiorem modum cognoscendi, qui non repugnat perfectioni beatitudinis, scilicet visioni, sicut repugnat ei modus fidei* S. Th. I. 2. Q. 67. A. 3. ad 1. sive Theologia quoad substantiam remanet in patria.

Probatur ratione in textu S. Th. inclusa: scientia imò sapientia hic in terris acquisita nullam habens repugnantiam cum statu patriæ in patria manet; atqui Theologia est scientia & sapientia per causas altissimas contemplans altissimum objectum & nullam habet repugnantiam cum statu Patriæ: cum objectum ipsius tam formale quod, quam ratio formalis sub qua in patria maneat: manet enim objectum formale quod, Deus revelatus & simul ipsa revelatio; ergo manet scientia Theologica quoad substantiam; quamdiu enim est conclusio discursivè deducta ex principio formaliter revelato, tamdiu est objectum Theologicum: atqui in patria sunt deducibiles conclusiones ex principiis formaliter revelatis non quidem revelatione obscurâ sed clarâ; nihil

In Esse  
habentem  
quodam  
(Non ma  
eum mater  
is, et quâ  
et etiam in  
entia in fide  
Negat  
in heretico  
quod Goupi  
modum in  
deducit p  
hæc p  
quod m  
me. in d  
entibus d  
Theologi  
non m  
dicitur  
hæc Non manet  
Theologi, quæ p  
in principia The  
fidei N. qui fide  
deducit p  
DISP  
Dignitas D  
Vid prædicam  
moderari prin  
dicit, et quo de  
tunc, inducitur  
quod in h  
quæ rati  
quæ rati  
Pari I. Theol. S.



hil tamen interest ad virtuales revelationem : sitne ex principio clarè, vel obscurè revelato.

*Obj.* Non manet Theologia in hæretico, ergo etiam non manet in beato. Consequentia patet: idè enim non manet in hæretico: quia per hæresin amittit fidem, ex quâ Theologia sumit sua principia certa; atqui etiam in beato non manet fides; ergo neque scientia in fide fundata: ut est Theologia.

*R.* Negando consequentiam; disparitas est, quod in hæretico non maneat fides, nec aliquid succedat, quod suppleat fidem, per quod veritates revelatæ certitudinem habeant tantam, ut ex illis demonstrativè deduci possit conclusio scientifica, homo autem ex viâ hâc perveniens ad Patriam omnes veritates revelatas, quas hic mediante fide cognoscebat obscurè in ænigmate, ibi clarè videt in speculo divinitatis, ex quibus veritatibus clarè in speculo divinitatis cognitæ per Theologiam hic in Patriâ acquisitam conclusiones lumine naturali longè perfectiori modo quam hic in viâ deducere poterit.

*Inst.* Non manet Theologia cessantibus principiis Theologiæ, quæ juxtâ dicta sunt articuli fidei.

*R.* Principia Theologiæ essentialia sunt articuli fidei, ut fidei N. qui fidei Con. Sed sunt veritates revelatæ sive obscurè pro statu viæ, sive clarè pro statu patriæ.

## DISPUTATIO II.

*De essentiâ Dei & ejus attributis in genere.*

**I**llud prædicatum, quod intellectui rem aliquam consideranti primò occurrit, velut proprium & peculiare; ex quo deinde cætera, quæ eidem rei conveniunt, deducuntur vocatur essentia ab essendo vel quod sit illud, quo res talis est, vel quod ultimus ejus actus sit existere, alia verò quæ ad primum consequuntur dicuntur attributa. Hinc quia per analogiam

*Pars I. Theol. Schol.*

C

ad

ad res creatas de Deo & divinis intellectus humanus alia prædicata ut ex primo aliquo consequentia intelligit, inquirat essentiam & attributa Dei.

### QUÆSTIO I.

*In quo formaliter consistit essentia Dei?*

**S**uppono 1. Licet in Deo omnia sint una & simplicissima entitas, ubi non intervenit oppositio relationum, quia tamen illa una simplicissima divina substantia æquivaleret pluribus perfectionibus, quæ in rebus creatis realiter distinguuntur, quam æquivalentiam nos vocamus distinctionem virtuale, hinc intellectus noster cum fundamento in re distinguit unam perfectionem ab aliâ, concipiendo unam perfectionem per modum naturæ sive essentiæ (in quo nullam facimus distinctionem) & alias per modum proprietatis & attributi, quæ secundum nostrum modum concipiendi ad naturam consequuntur.

*Suppono 2.* Perfectiones, quæ sunt in creatis, duobus modis inter se distinguuntur: aliquæ distinguuntur ex genere suo: quia respiciunt diversa objecta formalia & ista pertinent ad diversas lineas ex suâ formali ratione; sic intellectus, voluntas, justitia & misericordia ex genere suo distinguuntur: aliæ perfectiones distinguuntur inter se magis ob limitationem subjecti, quam ex suâ ratione formali: quia licet pertineant ad eandem lineam, cum tamen subjectum sit ita limitatum, ut non possit habere omnes actualitates ejusdem lineæ identificatas, inter se distinguuntur: sic in creatis realiter distinguuntur volitio & voluntas, essentia & existentia, intellectus & intellectio.

*Suppono 3.* Ut aliquæ perfectiones in Deo distinguantur virtualiter, requiritur, ut illæ æquivalent diversis perfectionibus creatis ex genere suo in Creaturâ distinctis vel pertinentibus ad diversas lineas: quoties  
enim

DE ESSEN. DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN, 35  
enim una formalitas præstat propria plurium actualita-  
tum ejusdem lineæ non æquivalet iis ut pluribus, sed ut  
unum sunt, quatenus spectant ad unam lineam; quando  
autem æquivalet pluribus ad diversas lineas pertinenti-  
bus, perfectiones in Deo multiplicantur virtualiter;  
cujus fundamentum est: quod quascunque perfectio-  
nes divinas debeamus concipere per modum purissimæ  
actualitatis in illâ lineâ, ut: si concipis unum, debes  
concipere omnem possibilem & infinitam perfectio-  
nem, quæ in lineâ unitatis haberi potest, si concipis  
essentiam, debes concipere omnem actualitatem lineæ  
essendi; ex quo sequitur: quod quamvis in creatis in-  
tellectus & intellectio distinguantur, quia tamen non  
pertinent ad diversas lineas, ideò in Deo intellectus &  
intellectio non distinguuntur formaliter, sed solâ di-  
stinctione rationis desumptâ ex ordine ad creaturas &  
ex modo concipiendi res divinas per analogiam ad res  
creatas. Item: quamvis in Creaturis conceptus essen-  
tiæ distinguatur à conceptu naturæ: quia conceptus  
essentiæ fit per ordinem ad esse vel existere: est enim  
essentia principium radicale existendi; naturæ concep-  
tus fit per ordinem ad operari: natura enim est princi-  
pium radicale operandi, quod operari in Creaturis  
realiter distinguitur ab existere, attamen in Deo natu-  
ra seu radix operandi non est virtualiter distincta ab  
ipsâ operatione, quia spectant ad eandem lineam. Item  
essentia vel radix existendi non est virtualiter distincta  
ab existentia ex eâdem ratione, ideoque nec natura in  
Deo distinguitur virtualiter ab essentiâ, cum ratio na-  
turæ & essentiæ in rebus creatis non distinguantur ex  
genere suo, quamvis etiam essentia actuata per esse  
adhuc sit in potentiâ ad operationem: eò quod essen-  
tia creata non sit actus purus, attamen Deus actus pu-  
rissimus in lineâ essendi non potest concipi cum poten-  
tia ad existentiam vel ipsam operationem & ex hoc nul-

lum potest esse fundamentum ponendi distinctionem virtuales inter essentiam Dei & naturam Dei.

*Suppono 4.* 3. requiruntur conditiones ad naturæ vel essentiæ divinæ constitutum 1. Ut sit prædicatum essentiale intrinsecum distinctivum ab omni alio. 2. dō. Ut sit prima radix non formalis sed virtualis, in quam per rationem nostram cum fundamento in re omnia alia prædicata ultimatè reducuntur non solum operationum sed etiam attributorum, à quibus virtualiter distinguitur, quemadmodum rationale in homine est radix formalis operationum & proprietatum, quæ hominis speciem consequuntur. 3. Ut exprimat gradum divinæ vitæ actualissimæ & perfectissimæ: quia natura viventis est ipsum radicale & substantiale principium vitæ, seu principium quò vivens per se vivit & movetur &c. Tandiu ergo non exprimitur specifica natura viventis, ut ab aliâ omni naturâ distincta, quamdiu gradus vitæ non exprimitur; atqui Deus vel natura Dei non tantum est natura primi entis, sed etiam primi viventis; ergo pro constitutivo non debet statui prædicatum, quod solum exprimit perfectionem & gradum entis increati, quí gradus est transcendens omnem perfectionem divinam, sed etiam gradum vitæ increatæ & perfectissimæ.

DICO. *In Deo... ex necessitate sequitur, quod ipsum ejus intelligere sit ejus essentia & ejus esse.* S. Th. hic Q. 14. 2. 4. in O.

Probat 1. Illud est formale constitutum naturæ divinæ, quod est primum & per se principium operationis propriæ Deo: quia natura est principium radicale motus & quietis vel operationum, & in Deo non distinguitur virtualiter ab essentiâ; atqui gradus intelligendi est principium propriæ & primæ operationis in Deo: quia propria & prima operatio in Deo est intelligere: propria quidem, quia est maximè spiri-  
tualis

DE ESSEN. DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 37  
tualis & segregata à potentialitate, prima etiam; quia  
operatio voluntatis supponit intelligere, liquidem ab  
eo regulatur & dirigitur; ergo gradus intelligendi est  
constitutivum divinæ naturæ.

*Adde*: gradus intelligendi habet omnes conditiones  
suprà expressas, nam 1. est prædicatum essentiale Dei,  
cum Deus sit substantia maximè spiritualis & immateria-  
lis cui essentiale est esse intellectivum. 2. Est prædica-  
tum primum ab aliis prædicatis in Deo virtualiter distin-  
ctum & cæterorum radix: quia in Deo non datur alius  
conceptus antecedens intellectualitatem & ad illam li-  
neam formaliter non pertinens & ità virtualiter à cæteris  
attributis est distinctus 3. Vita intellectualis est perfe-  
ctissima & gradus intelligendi est perfectior gradibus  
essendi & vivendi. Demum solæ Creaturæ rationales  
vel intellectuales sunt factæ ad imaginem Dei, quæ  
ratio imaginis Dei in hoc consistit, quod Creaturæ in-  
tellectuales imitentur Deum & illi assimilentur in in-  
tellectualitate, quæ est quasi ultima differentia Dei.

Pro meliori intelligentiâ conclusionis observandum;  
quod operatio dicat duo: 1. mò egressionem ab ope-  
rante 2. dò rationem actus ultimi seu secundi, per quam  
operans constituitur in ultimâ perfectione operandi;  
hæc duo etiam inveniuntur in actu intellectiois divinæ  
non formaliter sed eminenter hoc est: actus intellectio-  
nis divinæ æquivalet omni illi, quod habet operatio  
vel intellectio creata absque imperfectionibus, jam  
autem intelligere divinum non constituit naturam divi-  
nam sub ratione operationis vel quatenus æquivalet  
operationi secundum quod est egressio ab operante:  
quia sub hâc formalitate secundum nostrum modum  
conciendi præsupponit aliquid prius in Deo vid.  
principium intelligens, à quo operatio intellectiois  
egreditur; sed intellectio constituit naturam divinam,  
inquantum est intelligere actualissimum completum,  
per

per se subsistens in genere intellectuali : quia constitutum naturæ perfectissimæ intellectualis debet esse ultima actualitas lineæ intellectualis : cum actui puro & viventi infinite perfectio debeat tribui ultima & perfectissima actualitas in lineâ vitæ intellectivæ. Fundantur hæc in Doctrinâ S. Th. qui loc. cit. dicit : *in Deo intellectus & id, quod intelligitur, & species intelligibilis & ipsum intelligere sunt omnino unum & idem.* Igitur cum intellectus Dei sit ipsum intelligere : siquidem non nisi per modum actûs secundi concipi potest ; intellectum verò sive objectum connaturale per se primò specificativum & terminativum est essentia divina ut virtualiter ab attributis distincta, sequitur, quod absque ullâ distinctione virtuali in Deo identificentur essentia & intelligere & Q. 18. a. 3. ad 2. dicit : Deum ità esse suum vivere, sicut est suum esse & intelligere : sicut ergo formalissima est identitas inter divinam essentiam & esse, ità etiam inter essentiam & intelligere, ac proinde intelligere erit prædicatum summè intrinsicum ipsi essentia.

*Obj. I.* Ss. PP. docent nomen : *qui est* maximè esse proprium Dei : quia explicat divinam essentiam cumulando omnes perfectiones ; ergo divina essentia consistit in cumulo omnium perfectionum ; cum sit essentia vel ens in omni genere infinite perfectum ;

æ. Distinguendo aut. nomen, *qui est* : est maximè proprium Deo secundum essentiam physicè spectatam prout ab omni Creaturâ distinctam Con. Secundum essentiam Dei metaphysicè spectatam N. nomen *qui est*, si sumatur physicè, formaliter involvit totam perfectionem essendi, si sumatur metaphysicè vid. pro illo, quod in ente illo infinite perfectio est primum juxtà nostrum modum concipiendi & radix omnium perfectionum, sic continet omnes perfectiones radicaliter & implicitè, quamvis igitur essentia Dei sit for-

ma-

maliter infinita in omni genere, attamen in conceptu metaphysico dicit solùm explicitè infinitam perfectionem in genere & lineâ essendi, cæteras autem perfectiones aliarum linearum dicit solùm implicitè & radicaliter, ideoque malè dicitur, quod essentia metaphysica Dei consistat in cumulo omnium perfectionum, cum debeat constitui in aliquâ perfectione infinitâ explicitè, quæ cæteras perfectiones infinitas contineat implicitè.

*Obj. 2.* Scriptura & Ss. PP. exprimunt divinam essentiam per esse à se seu per rationem entis per essentiam. Ergo essentia constituitur bene in ente à se.

*R.* Ss. PP. loqui sapiùs de essentjâ Dei largius sumptâ quatenus habet rationem transcendentis & distinguitur à Creaturis non verò de divina essentia, ut est radix divinorum attributorum ab illis virtualiter distincta; nullum enim prædicatum transcendens potest constituere divinam essentiam; quia prædicatum constitutum essentiaæ strictè sumptæ debet illam non solum distinguere ab omni eo, quod non est Deus, sed etiam ab omni aliâ perfectione, quæ non est formaliter divina essentia; atqui esse à se est prædicatum transcendens omnes perfectiones omnesque lineas attributales Dei, & quidquid in Deo est, est ens à se; substantia igitur divina quatenus est ens increatum à Creaturis distinctum, constituitur formaliter per ens à se sive ens per essentiam independens ab omni causa, quatenus autem est natura & radix divinorum attributorum, sic non constituitur per rationem entis à se, cum hæc ratio sit communis naturæ, attributis & relationibus, sed per actualissimum intelligere divinum.

*Obj. 3.* Omnis operatio præsupponit principium operandi: sed intellectio est quædam vitalis operatio; ergo præsupponit suum principium radicale, quod est natura & essentia; ergo naturam & essentiam non formaliter constituit.

R. Distinguendo maj. Omnis operatio limitata & creata præsupponit principium Con. Operatio illimitata & increata N. Ratio enim emanationis comitatur operationem, quatenus est limitata, & tam in suo fieri quam in esse dependet à suo agente, quod in agente increato non reperitur.

Ob. 4. Sicut de essentia relationis est esse ad alium, ità de essentia operationis est dimanare ab alio tanquam principio vel formaliter vel virtualiter distincto; sed intellectio divina est vera operatio naturæ divinæ; ergo etiam de essentia ipsius est, quod sit à principio virtualiter; sed principium virtuale est ratione prius; ergo etiam natura divina est prior ratione quam intelligere.

R. Negando paritatem: cum enim esse ad alium non involvat imperfectionem, ideò relationis ratio in Deo manet, esse autem ab alio involvit imperfectionem dependentiæ, ideò prædicatum operationis vitalis in Deo non dicit esse ab alio; sicut ergo in divinis datur generatio, quæ non est mutatio, quia ratio mutationis solum convenit generationi viventis, quatenus involvit potentialitatem; ità etiam datur formaliter in divinis operatio quæ non est egressio tanquam à principio & actu primo: quia hæc ratio egressionis involvit oppositionem ad principium, à quo egreditur & procedit formaliter, ac solum convenit operationi creatæ, quæ est permixta potentialitate.

Obj. 5. Gratia sanctificans est participatio naturæ divinæ, & tamen non est participatio intellectiois divinæ: quia per visionem beatificam aut lumen gloriæ participat creatura divinam intellectualitatem & intellectioem; ergo divina natura non consistit in intelligere.

R. Distinguendo maj. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ adæquata N inadæquata Con tria habet in se intelligere divinum absque distinctione virtuali



DE ESSEN. DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN 41  
tuali simplicissimè identincata. 1<sup>mo</sup>. Quod sit actus  
secundus vel vita in actu secundo intellectiva. 2<sup>do</sup>.  
Quod sit virtus intelligendi proxima. 3<sup>to</sup>. Quod  
sit ipsa radix intelligendi nullam aliam præsupponens,  
quæ omnia in se intrinsecè omninò indistin-  
cta divisim & distinctè à creaturis participantur, &  
ideo per ordinem ad creaturas distinguuntur ratione,  
non fundatâ in Deo intrinsecè, sed extrinsecè fun-  
datâ in creaturis, in quibus inveniuntur distincta;  
actum autem secundum intellectiōis divinæ partici-  
pat visio beatifica, virtutem proximam intelligendi  
participat lumen gloriæ, virtutem radicalem intel-  
ligendi participat gratia sanctificans.

*Obj. 6.* Intelligere virtualiter præsupponit obje-  
ctum intelligibile, in quod tendat; sed illud non  
potest esse aliud, quam essentia vel natura divina;  
ergo intelligere divinum præsupponit naturam  
divinam.

*3.* N. Maj. cum enim objectum debeat uni-  
ri intellectui, quò intellectus est perfectior, eò  
majorem cum suo objecto postulat unitatem, &  
ideo intellectus divinus etiam absque ullâ distinctio-  
n. rationis cum fundamento in re est ipsum obje-  
ctum intellectum, est solutio D. Ang. cit. Q. 14.  
A. 2. O. cum Deus nihil potentialitatis habeat, sed  
sit actus purus, oportet, quod in eo intellectus & intel-  
lectum sint idem omnibus modis.

*Obj. 7.* Essentia divina debet esse radix omnium  
proprietas: atqui intelligere divinum non est  
radix omnium proprietatum in Deo: quia Deus est  
infinitus, æternus, non quia est intelligens, sed  
quia est ens per essentiam & immutabilis.

*3.* Distinguendo Maj. essentia debet esse radix  
proprietas vel mediatè vel immediatè Con. præ-  
cisè immediatè N. proprietatum, quæ pertinent

ad operationem ut : misericordiae, justitiae &c. est immediatè radix, proprietatum autem, Quae pertinent ad esse & quae sunt modi quasi transcendentales ut : infinitas, æternitas, harum non est radix immediatè sub respectu intellectiois, sed mediatè ratione entis increati & actus puri imbibiti.

Ex dictis sequitur : quamvis in Deo inter speciem intelligibilem, intellectum & intelligere ex parte rei significatae nulla prorsus sit distinctio virtualis, quia tamen juxtà nostrum modum significandi neque intellectus neque species intelligibilis expriment ultimam actualitatem linear & vitæ intellectualis : cum intellectus magis nomet actum primum quam secundum, species potius dicat formam constitutam quam constituentem, idè non sunt idoneum constitutum essentiae vel naturæ divinæ.

## QUÆSTIO II.

*An in Deo dentur aliqua attributa : & qua?*

**S**uppono I. nomine attributi intelligitur forma absoluta necessario & formaliter in Deo existens & ad ejus essentiam, juxtà nostrum modum concipiendi velut totalis proprietates virtualiter consequens.

Explicantur singulae particulae : dicitur Primò : forma vel perfectio absoluta : ad removendas relationes, quae cum explicite non dicant perfectionem, non sunt omnibus personis communes uti attributa. Secundò : necessariò & formaliter in Deo existens : quo excluduntur perfectiones creaturarum non simpliciter simplices, sed admixtae imperfectionibus ut : esse sensitivum, rationale ; quae in Deo non sunt necessariò & formaliter sed solum eminenter, item denominationes extrinsecae creatoris & gubernatoris à creaturis in tempore acceptae, item negationes

DE ESSEN DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 43  
nes & prædicata, quæ de Deo metaphoricè dicuntur ut ; dolere, pœnitere, irasci &c. Tertio. velut proprietas totalis ; nam inadæquatæ rationes ad eandem lineam pertinentes non constituunt distincta attributa : ut potentia creandi hominem & potentia creandi Angelum pertinent ad idem attributum omnipotentia, scientia simplicis intelligentia & scientia visionis pertinent ad attributum scientia. Quarto: juxta nostrum modum concipiendi ad essentiam consequens ; quia attributum non concipitur per modum formæ essentiam constituentis, sed per modum formæ advenientis, adjacentis & divinam essentiam ad aliam lineam trahentis.

*Suppono 2.* attributa in Deo quædam sunt positiva ut : esse bonum, justum ; quædam negativa, quæ per nomen negativum exprimentur ut : infinitus, invisibilis, incommutabilis, aliqua sunt absoluta, quæ nullum important respectum ad creaturas ut est : esse simplicem, unum ; quædam respectiva, quæ sine ordine ad creaturas non intelliguntur ut : omnipotentia, providentia, quædam pertinent ad substantiam Dei ut : simplicitas, bonitas, infinitas, quædam spectant ad operationes ut : voluntas, intellectus, scientia. His præmissis.

*DICO.* In nominibus, quæ Deo attribuimus... quantum ad id, quod significant hujusmodi nomina, propriè competunt Deo S. Th. hic. Q. 13. A. 3. O. sive dantur in Deo verè attributa vel perfectiones per voces de Deo prædicabiles significatæ ad lineam tum essendi tum operandi pertinentes.

Probatum ex Con. Florent. Sess. 17. & 18. de finiente, quod essentia & personalitas ( idem est de attributis ) differant ratione & intelligentiâ. Cujus ratio est : quod nomina significantia perfectiones Dei v. g. intelligens, volens, sapiens, justus, miseri-

misericors, æternus, immensus &c. Non sint synonyma omninò idem secundum eandem rationem significantia : quia in divinis reperitur distinctio, per quam tollitur omnis contradictio, quæ alias sequeretur ex prædictis contradictoriis, verificatur autem de Deo : v. g. Pater generat, essentia divina nongenerat, intellectus est principium generationis, voluntas non est principium generationis ; sed contradictionem non salvat sola distinctio rationis ratiocinantis, nam illa fit, quando intellectus absque ullo fundamento idem distinguit à se ipso, ut cum dicit : Petrus est Petrus : distinguendo Petrum subiectum à Petro prædicato aut cum nomina synonyma multiplicat, ut ensis est gladius, vel distinguit ex solo modo concipiendi ut : inter definitum & definitionem : quia totum, quod dicit definitum implicite dicit definitio explicite ; atqui hæc distinctio non sufficit ad salvanda prædicata contradictoria : tota quippe distinctio rationis ratiocinantis est secundo intentionalis & intrà intellectum, ideo non possum dicere : ensis est ferrum, gladius non est ferrum, sicut dico essentia communicatur, paternitas non communicatur, & si in perfectionibus divinis esset sola distinctio rationis ratiocinantis, omnia prædicata in Deo forent synonyma, quod est falsum, aliud enim significamus per omnipotentiam, aliud per misericordiam, aliud per essentiam, aliud per attributum, ergo dantur in Deo plures perfectiones quæ ad minùs ratione ratiocinatâ distinguuntur.

### QUESTIO III.

*An attributa inter se & à parte rei ab essentiâ distinguantur ?*

**E**ssentiam ab attributis & relationibus & relationes ac attributa inter se non distingui realiter est

DE ESSEN. DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 45  
est veritas fidei definita in Con. Rhemenſi, ut refer-  
tur in cap. damnamus de SS. Trin. difficultas in-  
ter Catholicos eſt : an attributa ex naturâ rei ante  
operationem intellectus inter ſe actu diſtinguantur  
ut vult Scotus, Contra quem.

DICO. *intellectus noſter, cum cognoſcat Deum ex  
creaturis formas ad intelligendum Deum conceptiones  
proportionatus perfectionibus procedentibus à Deo in  
creaturas, qua quidem perfectiones in Deo præexiſtunt  
unitè & ſimpliciter* S. Th. hic. Q. 13, A. 4. O.  
ſive attributa à parte rei nec inter ſe nec ab eſſentiâ  
diſtinguantur.

Probatur imò Deus eſt omninò ſimplex, omnis  
intriſecæ multiplicationis & compositionis expers,  
omnis autem multitudo repugnat ſimplicitati ; at-  
qui diſtinctio actualis ex naturâ rei inferit multitudi-  
nem & compositionem : multitudinem quidem :  
quia quatenus unum actu non eſt alterum eatenus  
ſunt multa ; compositionem autem : quia quæ ſunt  
multa aut ſunt unita aut non unita inter ſe, ſi unita,  
hoc ipſo ſunt compoſita, exceptis tribus perſonis di-  
vinis, quæ ſunt unitate formalis identitatis unitæ in  
& cum natura divina. Si non ſunt unita, ſunt forma-  
liter cumulus & aggregatum per accidens, quod eſt  
abſurdum.

2dò. Deus eſt ens infinîtè perfectum, & actus  
puriffimus ; diſtinctio autem actualis hanc infinî-  
tam actualitatem tollit : quia eatenus divina eſſen-  
tia eſt actus purus, quatenus in ſe formaliter conti-  
net & ſibi identificat omnem formalitatem & per-  
fectionem ſimpliciter ſimplicem, nam ſi vel unicam  
perfectionem ſibi non identificet, reſpectu illius eſt  
formaliter perfectibilis & actuabilis, & conſequen-  
ter non eſt actus purus, atqui per diſtinctionem for-  
malem ex naturâ rei nec divina eſſentia nec divina  
attri-

attributa formaliter sibi identificant omnem perfectionem, quia essentia non identificat sibi attributa, nec attributa essentiam, quorum quodlibet est summa perfectio, cum unum non sit alterum.

3<sup>ti</sup>o. Inter extrema, quæ dantur à parte rei, quorum unum à parte rei non est aliud, est distinctio realis: sicut enim quæ dantur à parte rei nemine cogitante, sunt vera entia realia, ità etiam, quæ dantur à parte rei, si illorum unum non sit aliud à parte rei, realiter distinguuntur, nec possunt Scoticæ sufficientem dare rationem, quare aliquid à parte rei distinguatur ante operationem intellectus & tamen non distinguatur ut res à re: si enim sit res & à parte rei non sit alia res, utique distinguitur ut res à re.

*Obj. 1.* Illa distinguuntur formaliter ante intellectum, quibus ante intellectum conveniunt diversæ definitiones: atqui attributis divinis conveniunt diversæ definitiones. Ergo.

2. Distinguendo maj. Illa distinguuntur formaliter ante intellectum, quibus conveniunt ante intellectum diversæ definitiones formaliter & adæquatè diversæ Con. fundamentaliter & inadæquatè diversæ N. sed essentia & attributis aut personalitatibus ante intellectum conveniunt diversæ definitiones non formaliter & adæquatè: quia omnia sunt una & simplicissima entitas æquivalens diversis, quam si vellemus adæquatè definire, conglobandæ essent omnes definitiones omnium prædicatorum.

*Obj. 2.* Illa distinguuntur ante intellectum ex naturâ rei, quibus independentè ab intellectu conveniunt prædicata realia contradictoria; atqui de essentiâ, personalitatibus & attributis affirmantur prædicata realia contradictoria, quæ ipsis conveniunt independentè ab intellectu: filius enim producitur, essentia

DE ESSEN, DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 47  
tia divina non producitur ; Pater generat intellectu,  
non generat voluntate , ergo distinguuntur inde-  
pendenter ab intellectu, non strictè realiter ut res à  
re , ergo formaliter ex naturâ rei ut formalitas à for-  
malitate.

R. Distinguendo Maj. illa de quibus affirman-  
tur duo contradictoria , distinguuntur ex naturâ rei  
virtualiter Con. actualiter N. sufficit enim distin-  
ctio virtualis ad hoc, ut de aliquo verificentur prædi-  
cata contradictoria ; nam eo ipso , quod illud de quo  
prædicantur prædicata contradictoria, sit virtualiter  
multiplex & æquivaleat pluralitati & distinctioni re-  
ali actuali, quæ possunt prædicari de distinctis actu-  
aliter, etiam possunt prædicari de distinctis virtua-  
liter, & quando taliter de distinctis virtualiter præ-  
dicantur, non prædicantur formalissimè de uno  
& eodem, ut unum & idem sunt, sed ut æquiva-  
lent multis, & ideo non sunt formalissimè contra-  
dictoria, ut in exemplo: intellectus generat, voluntas  
non generat, si in secundâ propositione intelligatur :  
nihil quod est voluntas generat, propositio est falsa.

Obj. 3. Quæ sunt essentialiter idem, illorum  
omnia prædicata sunt idem : ita, quia Petrus est  
idem cum seipso, omnia etiam realia prædicata Pe-  
tri sunt idem cum ipso ; atqui quorum prædicata  
sunt idem, de illis non potest unum negari, & al-  
terum affirmari : cum, ubi est identitas, non pos-  
sit negari identitas, ergo si attributa sint idem, &  
prædicata attributorum sunt idem, & consequen-  
ter de uno attributo non potest aliquid affirmari,  
quod de altero negatur.

R. Distinguendo Maj. quæ sunt realiter idem,  
illorum prædicata sunt realiter idem eâdem identi-  
tate, quâ illa sunt idem Con. diverso genere iden-  
tatis N. attributa sunt idem identitate reali actuali.  
&

& ideo etiam prædicata sunt idem identitate reali actuali, sunt autem attributa diversa virtualiter, ideoque etiam denominationes & prædicata sunt diversa virtualiter.

*Inst. 1.* Si hæc propositio: Deus non miseretur per justitiam: est vera in aliquo sensu reali, jam in sensu reali ante intellectum in Deo prædicatum miserendi est realiter diversum ab attributo justitiæ.

*R.* Distinguendo sequel. Ergo prædicatum miserendi ante intellectum est distinctum ab attributo justitiæ realiter virtualiter Con. actualiter N. & ideo ante intellectum in divinis non dantur actu & formaliter prædicata contradictoria ut: misereri & non misereri, produci & non produci, sed virtute & fundamentaliter; datur enim una simplex quidditas divinæ essentiæ fundans in nostro intellectu sub statu præcisionis ejusmodi oppositas denominationes.

*Inst. 2.* Ubi realis identitas semper est vera, ibi negatio identitatis semper est falsa; sed realis identitas inter justitiam & actum miserendi semper est vera; ergo negatio hujus realis identitatis est falsa & consequenter, si realiter sint idem misereri & justum esse, non possunt realiter negari.

*R.* Distinguendo maj. Ubi realis actualis & virtualis identitas est semper vera, ibi non potest realis identitas negari Con. Ubi realis actualis identitas est vera ibi realis virtualis non potest negari N. Sicut enim distinctio realis actualis præbet intellectui plures rationes objectivas correspondentes utrique membro contradictionis & facit, ut de diversis actualiter verificentur duo contradictoria, ita distinctio virtualis in unâ simplici essentiâ cuilibet membro contradictionis offert suam rationem objectivam, in quâ non exprimitur inclusio vel identitas unius rationis cum alterâ, & ita facit, ut correspondeat contradictoria eidem rei actualiter,

non



DE ESSEN. DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 49  
non autem eidem rei virtualiter, ac per consequens  
non manet formalis contradictio, cum non sit ejusdem  
de eodem secundum idem.

*Obj. 4.* Prædicata realiter contradictoria, quæ rei  
ante intellectum actu conveniunt, requirunt plus  
quam virtuales distinctionem, cum idem non possit  
esse actu & non esse actu, atqui communicari & non  
communicari sunt prædicata, quæ independenter à  
nostro intellectu dantur in divinis: nam nemine cogi-  
tante verum est: essentia communicatur, personalitas  
non communicatur, ergo est realis distinctio inter es-  
sentiam & relationes; idem est de attributis.

*R. N. m.* Nam actu à parte rei, priusquam noster  
intellectus præcisivo & inadæquato conceptu distinctio-  
nem format inter essentiam & personalitates, datur  
quidem fundamentum reale ipsius contradictionis vid.  
essentia æquivalens absoluto & relativo, nondum ta-  
men datur negatio non communicationis: hæc quip-  
pe primum superadditur ab intellectu creato unam  
rationem ab alterâ præscindente & mutuò oppo-  
nente.

*Obj. 5.* Distinctio illa virtualis Thomistarum vide-  
tur esse in re eadem cum distinctione mediâ Scoti: quia  
in Deo Thomistæ admittunt formalitates virtualiter di-  
stinctis ante intellectum, de quibus verificantur duo  
contradictoria, nec plus videntur velle Scotistæ.

*R.* Nomine distinctionis virtualis intelligunt Tho-  
mistæ eminentiam divinæ perfectionis, quæ simplici-  
ter in se complectitur & identificat omnes perfectiones  
simpliciter simplices, hæc distinctio non est formalis  
media Scotistarum: quia illa datur ante intellectum ac  
attributa & perfectiones in Deo actu distinguit; distin-  
ctio virtualis non distinguit, sed identificat omnes per-  
fectiones, præbet tamen intellectui fundamentum il-  
las distinguendi, ideoque sufficit ad salvanda contra-

dictoria : cum enim perfectiones actu distinctæ in Creaturis præbeant intellectui diversos conceptus objectivos & denominationes , hoc etiam præstant perfectiones in eminentissima radice divinæ simplicitatis contentæ respectu intellectûs non potentis infinitatem illam unico conceptu adæquare , unde ex duplici capite vocatur distinctio virtualis 1. Quia provenit ex virtute sive eminentia divinarum perfectionum. 2. Quia idem præstat , quod distinctio actualis perfectionum creaturarum subministrando diversos conceptus objectivos.

Ubi advertendum , quod distinctio virtualis in Deo sit duplex ; intrinseca & extrinseca : intrinseca est æquivalentia , quâ Deus æquivalere in simplicitate diversis perfectionibus ad diversas lineas pertinentibus : ut enim essentia divina præbeat nostro intellectui fundamentum intrinsecum aliquas formalitates actu distinguendi , debet dicere æquivalentiam respectu eandem ut plures sunt , non ut unum sunt , sed quando formalitates pertinent ad eandem lineam , æquivalent ipsis non ut plures sunt , sed ut unum sunt : quidquid enim in Deo cum fundamento ex parte ipsius concipitur , debet concipi per modum actus puri & infiniti in illâ lineâ , sed nisi concipiatur aliqua ratio simpliciter pertingens à primâ & infimâ usque ad ultimam actualitatem illius lineæ , non concipitur ut actus purus & infinitus in illâ lineâ ; distinctio virtualis extrinseca est eminentia & æquivalentia , quæ simplex Dei perfectio æquivalent diversis perfectionibus , quæ in Creaturis propter limitationem distinguuntur , nihilominus tamen ad idem genus pertinent & sub unâ aliquâ formalitate continentur. Sic omnes intellectiones , species expressæ & impressæ , principium radicale & proximum intelligendi , quia pertinent ad eandem lineam , non distinguuntur virtualiter intrinsecè sed extrinsecè , cum fun-

DE ESSEN. DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 51  
fundamentum potius detur ex parte nostri intellectûs  
conciipientis perfectiones increatas ad modum perfectio-  
num creaturarum, quam ex parte Dei.

#### Q U Æ S T I O I V.

*An attributa inter se & ab essentiâ distinguantur  
ratione ?*

**D**istinctio rationis est duplex objectiva & formalis ;  
objectiva est , per quam ex parte conceptûs ob-  
jectivi una formalitas excludit aliam tanquam potentia  
actum & gradus genericus differentiam ; distinctio for-  
malis rationis vel secundum conceptum ex- & implici-  
tum est , quando una perfectio cognoscitur alterâ ex-  
plicitè non cognitâ , bene tamen implicitè itâ ut una  
perfectio , quamvis alteram actu formaliter contineat,  
illâ tamen quasi suppressâ secundum sua solum forma-  
lia prædicata manifestetur & exprimatür intellectui , qui  
tantam perfectionum copiam simul cognoscere non  
potest. Hoc notato.

*DICO. Sicut diversis perfectionibus creaturarum  
respondet unum simplex principium representatum per di-  
versas perfectiones Creaturarum variè & multipliciter  
itâ variis & multiplicibus conceptibus intellectûs nostri  
respondet unum omnino simplex secundum hujusmodi  
conceptiones imperfectè intellectum S. Th. hic Q. 13.  
a. 4. O. Sive ; attributa tum inter se tum ab essentiâ  
divinâ distinguuntur ratione non objectivè sed tantum  
formaliter.*

Probatür : intellectui distinguenti attributa inter se  
& ab essentiâ divinâ respondet conceptus objectivus  
omnem divinam perfectionem includens sed non ex-  
plicans , atqui hæc distinctio non est objectiva sed  
tantum formalis ; ergo. Probatür maj. De ratione actus  
puri est , ut in se formaliter contineat omnem perfe-  
ctionem sive formam aut quidditatem formaliter per-

D 2

fectam

fectam & simpliciter simplicem; sed divina essentia & omnia attributa, quæ de Deo formaliter dicuntur, sunt & intelliguntur esse actus purus, ergo quælibet perfectio debet in se reliquas formaliter includere & continere.

Ex quo sequitur 1. Non dari in Deo compositionem metaphysicam vel logicam, utpote repugnantem simplicitati & perfectioni actus purissimi: quia ad talem compositionem requiritur distinctio rationis objectiva excludentis & exclusi, vel ut una formalitas sit in potentiâ ad alteram & perfectè objectivè ab alterâ præscindatur tanquam nihil illius actu & formaliter continens.

Sequitur 2. Quod si in divinis attributis consideratur ratio implicita entis increati & infiniti, quam transcendentaliter includunt, omnia sunt æqualia: cum illa ratio entis increati sit unica simplicissima & indivisibilis & eodem modo in omnibus attributis inclusa; si verò concipiantur rationes explicitæ per analogiam ad similes perfectiones repertas in Creaturis, sub hâc ratione attributa sunt inæqualia secundum quid, quatenus unum attributum majorem perfectionem exprimit, quam alterum ut: intellectus majorem perfectionem exprimit quam voluntas, sapientia quam scientia, & illa, quæ pertinent ad lineam intellectualem omnium perfectissimam, quam illa, quæ pertinent ad voluntatem & se habent velut affectiones ad lineam intellectualem consequentes.

*Obj. I.* Quod est posterius & sequitur ad aliud non potest in priori includi, aliàs secundum eandem rationem esset prius & posterius; sed divina attributa secundum nostrum modum intelligendi consequuntur ad essentiam, & sunt ratione posteriora essentiâ; ergo non includuntur in divinâ essentiâ.

*R.* Distinguendo maj. Quod est posterius, non po-

DE ESSEN DEI & EJUS ATTRIBUT. IN GEN. 53  
potest includi in priori explicitè Con. implicitè N. idem  
sub conceptu explicito est posterius secundum rationem  
seipso sub conceptu implicitè considerato, sic proprie-  
tates entis virtualiter ad ipsius essentiam consequun-  
tur, & tamen in eâ implicitè includuntur.

*Obj. 2.* Idem non potest simul esse pars & totum,  
continens & contentum; atqui si attributum includa-  
datur in essentiâ & econtrâ attributum includat essen-  
tiam, continetur in essentia tanquam pars & aliquid  
ipsius & rursus includit essentiam tanquam partem  
sui.

*R.* Distinguendo mi. Si attributum includatur in  
essentia tanquam pars constituens in constituto &c.  
continetur in essentiâ tanquam pars Con. tanquam  
simplicissimè idem N. Attributa continentur in essen-  
tiâ per modum simplicitatis non per modum partis.

*Obj. 3.* Si attributa implicitè contineantur in con-  
ceptu essentiæ, ità ut ab illâ objectivè præscindi ne-  
queant, jam omnia prædicata in Deo sunt transcenden-  
tia contrâ divisionem suprâ datam, quâ divina præ-  
dicata dividuntur in transcendentia, quæ per omnes  
perfectiones vagantur uti: esse æternum, increatum, in-  
finitum, & non transcendentia quæ important perfe-  
ctiones non vagas sed determinatas, quæ proprie  
sunt attributa ut: esse sapientem, omnipoten-  
tem &c.

*R.* Distinguendo sequelam: omnia prædicata sunt  
in Deo transcendentia quoad rem significatam Con.  
& hoc est de ratione actûs puri; quoad modum signi-  
ficandi N. Divisio prædicatorum in transcendentia  
& non transcendentia potius pertinet ad modum signi-  
ficandi per comparisonem ad perfectiones creatas,  
quam ad rem significatam. Sicut actus purus includitur  
in unoquoque conceptu cujuslibet attributi; ità etiam  
cæteræ perfectiones, cum esse divinum vel actus purus

D 3 up. an. non. sit

sichabere omnes perfectiones simpliciter simplices. Quoad modum significandi autem & per comparationem ad perfectiones creatas, sicut esse ens, verum, bonum transcendunt quamcunque perfectionem creatam, non tamen cætera prædicata, licet à parte rei sint idem, ita in divinis esse divinum, infinitum juxtà nostrum modum concipiendi quasi imbibitur in quolibet attributo, non tamen alia prædicat, ut esse sapientem

*Obj. ult.* Si unum attributum includatur in aliis jam omnia prædicata divina etiam in sensu reduplicativo possunt de se invicem affirmari, adeoque dici: intellectus ut intellectus vult; quia enim ens transcendit inferiora, potest in sensu reduplicativo dici: substantia ut substantia est ens.

*R.* Essentiam & attributa non tantum identicè sed etiam formaliter & in abstracto de se mutuò prædicari posse uti etiam essentia de relationibus & vicissim, nisi ex parte subjecti vel prædicati significetur explicitè & reduplicativè ratio essentiæ vel attributi; itaque istæ propositiones: Deus est sua sapientia, in Deo sapientia est justitia, intellectus Dei est voluntas Dei, non minùs sunt formales prædicationes, quam istæ: bonitas est ens, bonitas est veritas: quia abstracta, quæ formaliter sibi identificantur & in se mutuò formaliter continentur, etiam de se mutuò formaliter prædicantur: sed ita se habent prædicata divina. Econtrà istæ propositiones sunt falsæ: Deus est ubique per æternitatem, Essentia est attributum, ratio misericordiæ est ratio justitiæ: quia in his prædicationibus adhibentur termini significantes reduplicatum explicitum conceptum formalitatis, ut virtualiter distinctæ, quatenus autem exprimitur & reduplicatur ista virtualis distinctio, eâtenus identitas unionis cum altero exprimi nequit, aliàs secundum eundem explicitum conceptum conciperetur idem & non idem, quod implicat. DIS-

DISPUTATIO III.

De attributis Dei in speciali.

QUÆSTIO I.

An Deus sit unus & simplex.

Suppono 1. Unum est ens indivisum in se & divisum à quolibet alio, ita ut superaddat enti negationem divisionis secundum nostrum intelligendi modum, unde tot modis aliquod dicitur unum, quot modis potest esse divisum, quam divisionem unitas excludit, non autem quæritur hic de unitate quantitativâ, quæ est principium numeri quantitativi, hæc quippe solis corporibus propria est, sed de unitate transcendentali, quæ est convertibilis cum ente.

Suppono 2. Simplicitas est unitas expers compositionis. Dicitur: Unitas: per quod excluditur multitudo incomposita vel plura per accidens aggregata: dicitur: expers compositionis: per quod excluduntur, quæ sunt quidem unum, sed dicunt ordinem ad aliam compartem vel sunt unum compositum ex pluribus partibus, siquidem compositio est distinctorum unio.

Suppono 3. Simplicitas dividitur in absolutam & respectivam; absoluta opponitur compositioni intrinsecæ, à quâ denominatur aliquid compositum in semetipso, quod tripliciter fieri potest. 1. Physicè ex materiâ & formâ, ex partibus integrantes, ex subiecto & accidenti. 2. Metaphysicè ex essentiâ & existentiâ, ex supposito & naturâ. 3. Logicè ex genere & differentiâ. Simplicitas respectiva est, quæ opponitur compositioni extrinsecæ, quæ duplex est vel hujus cum his, à quâ denominatur aliquid activè componens cum alio à se distincto, sic forma substantialis v.g. Anima rationalis quamvis in se physicè simplex,

inter simplices  
per comparatio-  
nis verum, bo-  
tionem creatam,  
à parte rei sine  
fructum iustâ no-  
tionem in quoli-  
bet, ut esse fa-  
  
cludam in aliis  
su reduplicativo  
ne dici: inle-  
transcendit in-  
; substantia  
  
n identicè  
utud prædicat  
& vicissim, in  
tur explicat  
uti; in  
in Disputa-  
tas Disputa-  
m in bonitate est  
et, quæ formal-  
emitter continen-  
educatur: sed ita  
ita propositiones  
minam. Essentia  
est ratio iustitæ;  
ur remota signi-  
ceptum formæ  
nus autem expi-  
lincio, etiam  
nequit, alio-  
m concipere  
Dis-

tamen venit in compositionem cum materiâ primâ à se distinctâ. 2. Compositio extrinseca in his hoc est conjunctio extremorum in aliquo medio dante non accipiente unitatem ab illis, ut est in Christo conjunctio duarum naturarum in personâ verbi.

DICO. 1. *Deum esse unum ex tribus demonstratur* S. Th. hic. Q. II. A. 3. O.

Probatur adducendo rationes S. Th. 1. demonstratur unitas Dei ex omnimodâ identitate & simplicitate, eodem enim formalissimè est Deus & hic Deus, sicut ergo natura humana esset immultiplicabilis, si eadem ratio formalis qua est homo, sit etiam qua est hic homo, ita maximè unus est Deus ob omnimodam hanc simplicitatem. 2. Ex infinitate perfectionis, si enim Deus esset multiplex, esset in uno aliqua perfectio, quæ non esset in alio, & ita non esset infinitè perfectus. 3. Ex unitate mundi, plura enim diversa in unum ordinari & reduci non possunt, nisi per unum.

DICO. 2. *Deus nullo modo compositus est, sed est omninò simplex* S. Th. hic. Q. 3. A. 7. in O.

Probatur 1.º. ens primum & à se non potest esse compositum, quia omne compositum est natura posterius suis partibus velut elementis & principiis à quibus componitur; requirit etiam causam, quæ illas partes inter se uniat; atqui Deus est ens à se primum; ergo.

2.º. Omnis compositio dicit imperfectionem actui puro infinitè perfecto repugnantem: quia quælibet pars intrinsecè componens est imperfectior suo toto, cum totum sit aliquid, quod non est pars & pars est in potentiâ ad totum & pars non est ipsum totum; atqui in Deo nihil potest esse, quod non sit Deus, alioquin jam esset ens creatum.

3.º. quidquid est perfectius debet de Deo dici;



DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIALI, 17  
ci; sed esse simplicem ceteris paribus est perfectius  
quam esse compositum, omnimoda enim simplici-  
tas, qualis est divina, ex parte rei significata est  
summa perfectio simpliciter simplex: quia dicit mo-  
dum habendi suas perfectiones perfectissimum & u-  
nicissimum soli enti increato proprium non minus,  
quam infinitas & immensitas sunt modi essendi so-  
li Deo proprii, quamvis quoad modum significandi  
non exprimat positivam perfectionem sed potius ne-  
gationem compositionis, compositio autem vel di-  
stinctorum unio est quid positivum.

Sequitur 1. non esse in Deo admittendam ali-  
quam compositionem ex materiâ & formâ, ex par-  
tibus quantitativis integrantes, ex potentiâ &  
actu, siquidem est actus purus omnis materiæ &  
potentiæ expers.

2. Non dari in Deo compositionem ex subjecto  
& accidente: quia nihil est Deo accidentale, sed  
totum, quod de Deo prædicatur, est essenziale.

3. Nec dari in Deo compositionem ex essentiâ &  
existentiâ, siquidem est formalissimè suum esse irre-  
ceptum & ens à se exclusivum omnis causæ essentialis  
& existentiam conjungentis, nec esse compositio-  
nem ex naturâ & supposito: quia natura supposita  
supponit potentialitatem, quæ repugnat actui  
puro.

4. Nec compositionem logicam ex genere & dif-  
ferentiâ: quia hæc compositio importat finitatem  
& dicit ex parte conceptûs generici potentialitatem,  
in Deo autem nullum datur fundamentum finitatis,  
limitationis & potentialitatis.

5. Nec Deus potest venire in compositionem ali-  
orum per modum partis materialis vel formalis in-  
completæ: quia conceptus partis est inseparabilis à  
dependentiâ 1. à causâ uniente 2. à se mutuo in-

vicem 3. à toto composito, quæ repugnat enti à se & actui puro.

6. Potest tamen Deus per modum formæ totalis & termini intrinsecè actuantis & complementis venire in compositionem extrinsecam in his, ità natura divina & humana uniuntur in personâ verbi, quæ compositio ex parte Dei non dicit rationem partis sed termini vel extremi perficientis & actuantis, quod non repugnat actui puro.

7. *Mysterium SS. Trinitatis* non obest divinæ simplicitati: vel enim divinæ personæ ad se invicem comparantur, & sic non componuntur sed opponuntur; vel comparantur cum divinâ essentia & perfectionibus absolutis & sic non componuntur sed simpliciter identificantur.

*Obj. 1.* Datur in Deo fundamentum compositionis rationis essentiæ cum attributis, sicut enim simplicissima entitas æquivalens variis perfectionibus est fundamentum illas distinguendi, ità etiam est fundamentum illas distinctas componendi.

*R.* Negando antecedens: quamvis enim unitas divinarum perfectionum in nostro intellectu sit fundamentum perfectiones divinas de se mutuo prædicandi adeoque conjungendi, non tamen propriè componendi, siquidem ejusmodi prædicatio v.g. Deus est justus: non significat resultantiam alicujus tertii ex duobus illis extremis se invicem excludentibus, sed simplicem utriusque identitatem.

*Obj. 2.* Compositio nihil aliud est, quam distinctorum unio; sed intellectus per actualem prædicationem unit attributa & relationes cum essentia, quas antea per simplicem apprehensionem distinguerat; ergo facit compositionem intellectus in Deo.

*R.* Distinguendo maj. compositio est distinctorum objectivè, quorum unum non includit aliud,

unio

DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIALI 59  
unio Con. est distinctorum formaliter per distincti-  
onem formalem unio N. ad compositionem requi-  
ritur, ut unum extremum non involvat aliud, quod  
non fit, nisi per præcisionem objectivam; facit qui-  
dem noster intellectus in Deo aliquam compositio-  
nem secundò intentionalem ex parte modi cognos-  
cendi dicendo: Deus est iustus, sed absque funda-  
mento in re ex parte rei conceptæ, eò quod compo-  
sio nequeat esse absque aliqua imperfectione.

## QUÆSTIO II.

*Quomodo Deus sit infinitus & verax?*

**I**nfinum est quod sine vel termino caret, aliud  
est infinitum simpliciter & in toto genere entis,  
aliud est infinitum secundum quid, hoc est: in  
certo genere entis, ut: si daretur infinita linea; illa  
esset infinitum in lineâ quantitatis.

Veritas est triplex in essendo, cognoscendo, di-  
cendo, prima dicit perfectionem cuiuslibet rei debi-  
tam, quâ talis est: secunda dicit adæquationem  
rei cum intellectu cognoscente, si loquamur de in-  
tellectu divino, à quo res ipsæ mensurantur. Vel intel-  
lectûs cum re cognitâ, si loquamur de intellectu  
creato, qui mensuratur à rebus: tertia significat con-  
formitatem revelationis, cum re revelatâ.

DICO. I. *Cum Deus sit ipsum esse subsistens, ni-  
hil de perfectione essendi potest ei deesse* S. Th. hic  
Q. 4. A. 2. O.

Probatur ex illo Pl. 144. v. 3. *Magnitudinis  
ejus non est finis* Baruch 3. v. 25. *Magnus est &  
non habet finem, excelsus & immensus. Ratio est.  
Ens, quod caret limitationibus & terminis essentia,  
est infinitum simpliciter in genere entis; atqui De-  
us caret terminis essentia; omnis enim terminus,  
quo potest actualitas essentia limitari aut est extrin-  
secus*

secus aut intrinsecus, Deus non habet terminum extrinsecum, qui est causa producens rem, Deus autem est ens à se; non habet etiam terminum intrinsecum: ille enim vel est ex parte materiæ sive subjecti, vel ex parte formæ: hæc enim duo rem physicè constituentia essentiam terminant, forma enim reducit per suam actualitatem determinando potentialitatem subjecti rem ad certam speciem, e contra materia vel subjectum limitat formam: quia unumquodque recipitur ad modum recipientis, atqui in Deo ex nullo horum potest esse limitatio: quia esse divinum est esse irreceptum, in quo convenit cum aliis formis, quæ carent materiâ vel subjecto sicut Angeli, differt autem ab illis formis; quia illæ, quamvis non recipiantur in subjecto, ideoque non limitentur ex parte materiæ, attamen possunt in se recipere aliam formam & ex hâc parte non carent omni formâ receptâ, & ita habent esse limitatum ex parte formæ receptæ; sed essentia divina est actus formalissimus, terminus ultimus incapax recipiendi aliam formam, ideoque ex omni parte est infinita, cum nec in alio recipiatur, nec potentialitatem habeat aliud recipiendi.

*Obj.* Accidens separatum à subjecto: ut quantitas separata in Eucharistiâ: non recipitur & tamen non est infinita; item materia prima in nullo recipitur & tamen non est infinita.

*R.* Accidens in Eucharistiâ separatur actu à subjecto non aptitudine, & ideo limitatur per ordinem, quem dicit ad subjectum; anima separata limitatur per ordinem ad corpus; Angelus quidem caret omni ordine ad materiam, & ex hâc parte habet quandam infinitatem, sed non est simpliciter infinitus in genere entis: quia receptam in se habet existentiam, & ita per ordinem ad esse limitatur; materia

De attritu  
ria panis non  
Est diluigitur  
identitas, qui  
capitur videtur  
finitur etiam  
nulle rationem  
torem Dei prob  
parvo enim ubi  
quod est deo infini  
ten ex modo op  
is & consequen  
victus, debet e  
gens infinitam  
nullo: cum e  
stanti si inprop  
tiam debet esse  
nle rursus, quan  
cin ad effectum de  
45. A. 1. prob  
vultum creatur  
DICO. 2. P  
dem quod apper  
nem quod habet  
atem maxime in  
6. A. 1. O.  
Probatur in De  
implet; atqui ver  
plex: quæ res cog  
consumitur ad iter  
quæ res non cogno  
ne hanc a. 2. dis  
QU  
Quædam Deus  
N On i. mutat  
de consuetudine

DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIALI. 61  
ria prima licet non sit recepta, non tamen est actus.  
Ex dictis colligitur rationem hanc, quod Deus sit  
ideo infinitus, quia caret terminis essentiae tam me-  
taphysicis videlicet genere & differentiâ quam phy-  
sicis videlicet actu & potentiâ, receptivo & recep-  
tibili, esse rationem à priori; aliæ rationes, quæ in-  
finitatem Dei probant, sunt rationes à posteriori;  
quæ tamvis enim infinitas Dei non possit probari ex ali-  
quo effectu infinito, cum talis implicet, probatur ta-  
men ex modo operandi, qui exigit infinitatem virtu-  
tis & consequenter essentia, ad quam sequitur talis  
virtus, debet esse infinita, hic modus operandi exi-  
gens infinitam virtutem est creatio sive productio ex  
nihilò: cum enim inter nihil & ens sit infinita di-  
stantia & improportio, virtus vincens talem distan-  
tiam debet esse infinita: tantò enim major debet  
esse virtus, quantò maiorem improportionem vin-  
cit ad effectum & hæc est ratio qua S. Th. hic Q.  
45. A. 5. probat nulli creaturæ posse convenire  
virtutem creativam.

DICO. 2. Veritas invenitur in intellectu secun-  
dum quòd apprehendit rem ut est: & in re secun-  
dum quòd habet esse conformabile intellectui. Hoc  
autem maximè invenitur in Deo. S. Th. hic Q.  
16. A. 5. O.

Probatur; in Deo est omnis perfectio simpliciter  
simplex; atqui veritas est perfectio simpliciter sim-  
plex: quia res cognoscere easque aliis proponere  
conformer ad mensuram suam est absolutè melius  
quam eas non cognoscere; ergo. De hac perfectio-  
ne latius 2. 2. disp. II. & III.

### QUÆSTIO III.

*Quomodo Deus sit immutabilis & æternus?*

**N**Ota 1. mutatio latissimè accepta est transitus  
de contradictorio in contradictorium, quo  
res

res jam intrinsecè aliter se habet, quam antea; quare tria ad mutationem requiruntur 1. subjectum mutabile & susceptivum diversarum formarum, ad quas fit mutatio, saltem in aliquo priori rationis constitutum in potentiâ ad suum terminum, quamvis in mutatione metaphysica, qualis est creatio, non requiratur subjectum, sed solum fit transitus ex termino à quo ad terminum ad quem. 2. terminus à quo debet esse amissibilis, vel privatio, quæ habet se ut terminus à quo. 3. Requiritur terminus ad quem acquisibilis. *Dixi* intrinsecè; quia si res susceptiva contradictoriorum in se ipsâ nihil intrinsecè acquirat vel perdat, oppositæ denominationes non oriuntur ex aliquâ mutatione illius rei in se, sed alterius extrâ ipsam, quomodo verbum denominatur unitum humanitati Christi, quod ante non erat unitum, non ex acquisitione novæ formæ & relationis à verbo, sed ex acquisitione novæ formæ, perfectionis & relationis ab ipsâ humanitate, ut tota mutatio sit ex parte humanitatis.

Nota 2. res potest esse mutabilis dupliciter 1. intrinsecè ex principiis intrinsecis, idque vel in ordine ad terminum substantialem: ut corpora sublunaria in se habentia materiam, quæ est radix corruptionis; vel in ordine ad terminum accidentalem: ut corpora cœlestia in ordine ad motum & Angelus in ordine ad suas operationes. 2dò. potest res esse mutabilis extrinsecè à principio extrinsecò, quod fit in illis naturis, quæ in se nullum habent principium suæ destructionis, sed potius intrinsecam exigentiam suæ conservationis: ut Angeli, quia tamen ab aliquâ causâ extrinsecâ in esse & conservari dependent, ab eâdem quoque absolute destrui possunt.

Nota 3. Triplex est rei duratio: æternitas, ævum

DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIALI. 63  
vum, & tempus. Prima est immutabilis rei in esse  
permanencia, non habens prius & posterius nec  
in substantiâ nec in accidentibus, ævum est duratio  
rei secundum substantiam immutabilis, sed muta-  
bilis secundum accidentia; tempus verò est duratio  
rei & secundum substantiam & secundum accidentia  
mutabilis, ac involvit prius & posterius.

DICO I. *Solus Deus est omninò immutabilis S.*  
Th. hic Q. 9. A. 2. O.

Constat ex Scripturâ Malach. 3. v. 6. *Ego Do-*  
*minus & non mutor.* Num. 23. v. 19. *Non est De-*  
*us quasi homo ut mentiatur: nec ut filius hominis,*  
*ut mutetur* Jac. 1. v. 17. *Apud quem non est trans-*  
*mutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ratio est. Quia  
in Deo omnes conditiones ad mutationem requi-  
sitæ deficiunt; nam 1<sup>o</sup>. cum sit actus purus, caret  
omni potentialitate & consequenter caret privatio-  
ne formæ, quæ se habet ex parte termini à quo  
2<sup>o</sup>. Cum sit summè simplex, non potest compo-  
nere cum aliâ formâ sibi de novo adveniente per mo-  
tum vel mutationem. 3<sup>o</sup>. Cum sit infinitus, non  
potest Deo advenire de novo aliquid, & consequen-  
ter non potest accipere de novo aliquam formam  
nec moveri ad aliquem terminum & ita est incapax  
motus vel mutationis ex defectu termini ad quem.

Obj. Per unionem hypostaticam verbum divinum  
de novo unitum & incarnatum intrinsecè denomi-  
natur: item in Deo dantur libera decreta, quæ potuis-  
sent à Deo abesse: potuit enim Deus æquè nolle, quam  
velle creare mundum; ergo Deus potest mutari.

2. Verbum de novo denominari unitum intrinse-  
cè non aliquid intrinsecè recipiendo, sed naturam  
humanam intrinsecè perficiendo, adeoque non  
passivè sed activè vel perfectivè. Divina etiam decre-  
ta sunt Deo contingentia & abesse potuissent ter-  
minas

ininativè non verò subjectivè, de quo plura in disputatione XIII.

*Inferitur esse impossibile, quod aliqua creatura sit simpliciter tam intrinsecè quam extrinsecè immutabilis: quia sicut Deus est ens à se, actus purus, infinitus, simplicissimè suum esse & operari, sic contra creatura essentialiter est ens ab alio, ex nihilo, ens potentiale constitutum ex essentiâ & existentiâ habens potentiam obedientialem & operari à se distinctum, ergo sicut ex priorè ratione inferitur omnimoda immutabilitas Dei, sic ex posteriori rectè inferitur essentialis mutabilitas creaturæ tam extrinseca quam intrinseca.*

DICO. 2. *Cum Deus sit maximè immutabilis, sibi maximè competit esse æternum.* S. Th. hic. Q. 10. A. 2. O.

Conclusio constat ex dictis, & pro solutione eorum, quæ pro æternitate creaturarum objici possent observandum, quod eo modo, quo creaturæ participant immutabilitatem quandam, etiam participant æternitatem.

#### QUÆSTIO IV.

*An Deus sit immensus & omnipotens?*

**S**uppono 1. Immensus est virtus Dei repletiva omnis loci sive virtus diffusiva sui per omne spatium. Ubiquitas vel omnipræsencia est actualis diffusio & repletio loci.

**S**uppono 2. omnipotentia dicit potentiam infinitam tam intensivè quam extensivè, infinitas extensiva respicit numerum seu multitudinem rerum producibilium; ità, ut quocunque numero dato possit plures & plures producere, infinitas intensiva respicit graduationem majoris & majoris perfectionis sine termino tam in eadem specie seu genere, quam

in



DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIALI. 65  
in diversis, ita, ut in qualibet specie v. g. specie  
humanâ perfectiores & perfectiores producere pos-  
sit, & datâ quâlibet specie quantumvis perfectâ  
possit species perfectiores producere.

DICO. 1. *Quotcunque loca ponantur etiam si pone-  
rentur infinita prater ista, qua sunt, oporteret in om-  
nibus esse Deum S. Th. hic. Q. 8. A. 4. O.*

Explicatur conclusio: esse actu ubique non est  
attributum immensitatis; quia non competit Deo  
necessariò & ab æterno sed ex tempore per ordi-  
nem & connotationem ad creaturas existentes, de  
quo disput. seq. sed potentia sive virtus, quâ po-  
tuit esse præsens ubique & de facto est in locis ex-  
istentibus, ut ab illis non contineatur, sed ad infi-  
nita, si existerent, loca operando se extenderet po-  
test; est attributum immensitatis de quo S. Athana-  
sius in symbolo: immensus est Pater, immensus  
Filius, immensus Spiritus Sanctus, iisdem verò pro-  
batur rationibus, quibus omnipotentia, de quâ.

DICO. 2. *Deus dicitur omnipotens secundum po-  
tentiam activam S. Th. hic Q. 25. A. 3. ad 1.*

IV. Constat ex Script. Matth. 19. v. 27. *apud De-  
um omnia possibilis sunt* Mar. 10. v. 27. *omnia pos-  
sibilia sunt apud Deum* Luc. 1. *non erit impossibile a-  
pud Deum omne verbum.*

Rationes à priori sunt 1ma ex infinitâ essentiâ se-  
quitur infinita potentia, quæ est proprietas essen-  
tiæ; ergo ad essentiam simpliciter infinitam sequi-  
tur vis operativa simpliciter infinita.

2da: Tanta est potentia, quanta est essentia in  
ratione participabilis ad extrâ: sed essentia divina  
infinitis modis est participabilis & imitabilis idque  
secundum singulos gradus rerum, qui sunt: esse,  
vivere, sentire, intelligere; cum igitur Deus ha-  
beat esse, seu essentiam infinitam infinitis modis

*Pars I. Theol. Schol.*

E

imi-

imitabilem & participabilem, ità ut nulla perfectio finita, nec ullus finitus numerus perfectionum possit adæquare infinitam perfectionem & essentiam, quam Deus habet, potentia Dei est simpliciter infinita.

3tia : Tanta est potentia, quanta est sapientia; quidquid enim per suam sapientiam potest concipere ut operabile, per suam potentiam potest efficere, sicut perfectus Pictor, quidquid potest imaginari, potest exteriùs depingere; atqui infinitas rationes & species rerum infinita illa sapientia concipit; ergo potest omnes illas producere.

Rationes à posteriori sunt 1ma. Deus totum hoc universum omnia rerum genera complectens fecit; ergo alia similia sine fine facere potest; sicut Architectus, qui unam ideam Palatii potest animo concipere & opere exhibere, potest etiam alias qualvis.

2da. Ex modo faciendì, quo hunc mundum condidit probatur omnipotentia; imprimis ex parte facientis fuit summa facilitas, quia produxit solo verbo & jussu; ipse enim dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt, nihil facilius verbo. Deinde ex parte termini: quia ex nullà materià condidit, si enim non indiget materià, ex parte formæ res infinitum multiplicari possunt, ut si Architectus posset extruere domos sine materià, vel ipsam materiam primitus excitare, nullus posset arti poni terminus, sed sine fine plures & plures domos posset extruere.

Demum: non potest concipi major potentia, quam quæ totum ex nihilo condidit, quia quò res longiùs distat ab esse, eò majori opus est potentià, ut trahatur ad esse: atqui distat longissimè ab esse, quod non latet in potentià materiæ, sed in puro nihilo & solà potentià objectivâ; ergo opus est maximâ potentià, quæ est omnipotentia. *Obj.*

DE ATTRIBUTIS DEI IN SPECIALI 67

*Obj.* Vitiosus est circulus: Deus est omnipotens, quia potest omnia possibilea producere, & omnia sunt possibilea, quia Deus illa potest producere: cum enim nihil sit res possibilis extrâ Deum, res dicitur possibilis, quia Deus illam potest producere, & Deus dicitur illam posse producere, quia est possibilis.

R. In objecto divinæ omnipotentiae duplex potest considerari possibilitas intrinseca & extrinseca: intrinseca possibilitas est aptitudo ipsius rei, seu non repugnantia ad existendum, ratione cujus dicitur res intrinsecè esse possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia, quâ possit produci; sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus, qui possit illum videre. Hanc possibilitatem intrinsecam habet res à Deo non per actionem aliquam liberam aut necessariam qua Deus rem illam in esse possibili producat, sed habet illam à Deo tanquam à causa exemplari: quia essentia divina quatenus est tali modo imitabilis & communicabilis est ratio per modum ideæ radicalis, cui v. g. natura humana sit possibilis & habeat tale esse objectivum & potentiale; essentia igitur divina est prima radix omnis esse objectivi & possibilitatis intrinsecæ omnium rerum possibilitium: quia omne esse objectivum rerum possibilitium pendet ab essentia divina velut prima & originali omnium idea, à qua singulæ res possibilee suam speciem & rationem conceptibilem in suo gradu & ordine variè limitatam habent. Possibilitas extrinseca est, quam res possibilee habent ratione omnipotentiae divinæ, per quam possunt produci & accipere esse actu; vocatur extrinseca: quia non concipitur quid intrinsecum rebus, sed ut denominatio extrinseca sumitur à potentia Dei effectrice. Possibilitas extrinseca præsupponit divinam omni-

potentiam, quia ideo est aliquid possibile extrinsecè, quia divina potentia potest illud producere, divina autè potentia præsupponit possibilitatem intrinsecam, quia divina omnipotentia potest producere, quidquid non involvit contradictionem, quidquid autem non involvit contradictionem, ab eo est imitabilis & participabilis divina essentia, quæ continet virtualiter & eminenter omne esse conceptibile non involvens contradictionem, unde Luc. I. dicitur: *non erit impossibile apud Deum omne verbum*, hoc est nulla res quæ animo concipi potest aut verbo exprimi.

## DISPUTATIO IV.

*De existentia Dei in rebus.*

**D**Eum in omnibus rebus esse eadem certitudine nititur, quâ certum est, omnes res à Deo ex nihilo esse factas & in suo esse conservari, testatur illud innumeris locis S. Scriptura Ps. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades.* Sap. I. v. 7. *Spiritus domini replevit orbem terrarum* Jerem. 23. v. 24. *nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.*

## QUÆSTIO I.

*An & quot modis Deus sit præsens.*

**S**uppono I. Operatio Dei alia purè est immanens, alia virtualiter transiens; quamvis enim omnis operatio Dei sit formaliter immanens, utpote actus intellectus vel voluntatis non solum in Deo sed penitus idem cum Deo, aliqui tamen actus nullum relinquunt effectum creatum, ut sunt actus necessarii, quibus Deus seipsum amat, cognoscit; aliqui relinquunt effectum creatum, ut est creatio mundi & ideo dicuntur virtualiter transeuntes non ratione sui & ex parte Dei sed ex parte effectus producti.


DI-

DICO. Oportet dicere, quod Deus sit in omnibus per potentiam suam... per suam presentiam... per essentiam S. Th. hic. Q. 8. A. 3. O.

Explicatur: esse alicubi per potentiam est habere potestati suæ subdita ea, quæ ibi sunt, per presentiam, in quantum cognoscit & videt res, per essentiam, si verè adsit ipsius substantia, atqui Deus est in omnibus rebus ut potestati ipsius subditis, deinde ut eas cognoscens & videns ac demum per essentiam. ut ulterius

Probatur: agens, quod operatur in omnibus rebus per virtutem non diffusam à se sed sibi intrinsecam & identificatam, est omnibus rebus presentis per essentiam & potentiam: quia hæc est differentia inter agens per virtutem diffusam & per virtutem intrinsecam immanentem, quod illud non debeat esse immediatè & secundum suam substantiam presentis subjecto, in quod agit, sed mediatè tantum & ratione virtutis, quam medio aliquo supposito in subjectum patiens transmittit: sic sol per virtutem à se diffusam causat in visceribus terræ metalla, ignis per calorem à se diffusum calefacit subjectum distans, at per calorem intraneum non nisi subjectum, quod tangit, calefacit; atqui Deus operatur in omnibus per virtutem non à se diffusam, sed sibi intrinsecam, operatur autem in omnibus quia per se primò producit & conservat esse omnium ac singularum rerum; idque per virtutem sibi intrinsecam, quia virtus, quæ attingit esse, debet esse creativa: cum in ipsâ existentia duo considerari possint 1. ipsa ratio ultimæ actualitatis, secundum quam esse correspondet enti ut ens est 2. specificatio vel limitatio existentia, secundum quam pertinet ad talem naturam, ut v. g. est existentia lapidis vel hominis; existere secundum rationem ul-

le exinlet, re divina au- inatiofecam, tate, quid- itiquid a rem ostimitabilis conmet virtu- ibulum invol- I. dicitur: non s, huc et nul- erbo equini. IV. u. certudine ni- res à Deo et ari, testatur 138. Si ad- videro in refec- domini rati- 4. v. quæ ut m. l. r. immanens, alia in omnis ope- t, apote actu in Deo sed peie- ctus nullum re- ctus necessari- scit; aliqui- reatio mundi non ratione sui roduat. De-



tinz actualitatis, quæ correspondit enti ut ens est, est proprius effectus Dei; secundum id, quod habet per restrictionem ad talem naturam est effectus agentis creati vel causæ secundæ, hæc autem est differentia inter causam primam & secundam, quod prima sit purè efficiens, causa secunda non est purè efficiens, sed efficit transmutando, unde solum efficit id, quod est producibile per transmutationem; esse prout correspondet enti ut ens est, non est producibile per transmutationem sed per causam pure efficientem: quia quod est producibile per transmutationem debet aliquam formam contrariam habere vel privationem in materia, per cujus mutationem materia transeat de privatione ad actum, esse verò per se loquendo non habet formam sibi contrariam sed solum opponitur nihilo, ideoque esse vel ex stentia sub hoc conceptu ut est ultima actualitas, non producitur à causa secunda per mutationem, sed à sola causa prima per influxum creativum aut conservativum, quo suspenso res reducitur in nihilum.

*Obj. 1.* Quod agens debeat esse conjunctum cum illo, in quod agit, est verum in agente corporeo, quod operatur per contactum quantitativum vel conditionem requisitam, non autem in causis spiritalibus, quæ non operantur mediante contactu.

*R.* Omne agens sive operetur dependenter à materia sive non, debet esse conjunctum vel cum passo immediato vel cum effectu immediato, quia non potest stare effectum egredi ab agente vel ejus virtute & esse absentem seu distantem ab ipsa operatione vel virtute.

*Obj. 2.* Non est aliqua repugnantia, quod Deus aliquem effectum per communicationem & diffusionem suæ virtutis causet: quando enim opera-

ur

Deus  
 erit modo aliquo  
 inquam spiritus  
 Deus operatur  
 alium non ut  
 prout ungeret  
 ad omnia est  
 sic, se conlequ  
 tum sic predece  
 r. Deus pu  
 rari aliquem et  
 v. g. volente  
 docere per in  
 tas voluntate et  
 qua virtus ut  
 vel effluvia  
 Deus operatur  
 an vel alium est  
 effectum virtutis  
 servando in esse  
 Deus facere ne  
 creata diffusa  
 subiecto forma  
 anima mediante  
 Q  
 An operatio Dei  
 Dico. Deus  
 que esse omne  
 S. Th. hic Q. 8  
 virtutis est ratio  
 loci.  
 Probatur; Deus  
 nisi factus que  
 us emittit comp  
 illas commu, a

tur medio aliquo instrumento, tunc per virtutem impressam ipsi instrumento, quæ est virtus extrâ Deum, operatur effectum & non se ipso immediatè, alias enim non uteretur instrumento, si immediatè per se attingeret effectum; ergo non est necesse, quod omnis effectus immediatè exeat à substantia Dei, & consequenter, quod Deus per suam substantiam sit præsens omnibus rebus, in quibus operatur.

32. Deus potest per aliquod instrumentum operari aliquem effectum proprium virtutis infinitæ Dei v. g. suscitare mortuum, non tamen potest producere per instrumentum effectum proprium virtutis infinitæ ex parte modi universalissimi operandi: quia virtus universalissimo modo procedens non potest esse nisi increata, unde præter virtutem, quam Deus imprimit instrumento ad producendam gratiam vel alium effectum, requiritur, quod in ipsum effectum influat immediatè per se ipsum illum conservando in esse & ipsam conservationem non potest Deus facere mediante instrumento vel virtute aliqua creata diffusa extrâ se, quamvis possit educere de subjecto formam aliquam superiorem: ut gratiam ex anima mediante instrumento creato.

## QUÆSTIO II.

*An operatio Dei sit ratio formalis existendi in loco.?*

**D**ICO. Deus . . . per hoc replet omnia loca, quod dat esse omnibus locatis, quæ replent omnia loca S. Th. hic Q. 8. A. 2. O. sive actio virtualiter transiens est ratio formalis per quam Deus est in loco.

Probatur: Deus non existit formaliter in rebus, nisi secundum quod facit illas à se dependere: Deus enim non comparatur actu ad creaturas, nec actu illas connotat, nisi quod terminet dependentiam

illarum à se ; atqui ratio , per quam facit Deus creaturas actu à se dependere in essendo vel operando , est actio virtualiter transiens , per quam illas producit aut conservat in esse , vel illas movet & applicat ad operandum ; ergo actio virtualiter transiens est ratio formalis , per quam Deus existit in creaturis , sicut igitur præsentia specialis , quâ Deus præsens est Justis per gratiam , Beatis per gloriam , Christo per unionem hypostaticam , fundatur in hoc , quod speciali modo distincto à communi perficiat creaturas infundendo illis gratiam & charitatem vel uniendo illis suam essentiam per modum speciei vel per modum substantiæ vel termini , ità similiter generalis Dei præsentia in omnibus rebus fundatur in operatione perficiente creaturam & producente aut conservante in ea existentiam , vel eas movente & applicante ad operandum. Hæc ratio est S. Th qui in I. dist. 57. Q. 1. A. 2. dicit : *essentia Dei , cum sit absoluta ab omni creaturâ , non est in creaturâ nisi in quantum applicatur sibi per operationem , & secundum hoc , quod operatur in re , dicitur esse in re.*

Obj. 1. Deus est præsens in hoc loco per formam intrinsecam ; nam esse physicè & realiter præsentem est denominatio intrinseca , sicut esse ubicatum est denominatio intrinseca , atqui destructâ creaturâ & cessante operatione Dei non tollitur in Deo aliqua forma , ergo destructâ creaturâ & cessante operatione Deus est præsens in loco ; ergo Deus per ipsam operationem non est formaliter in loco.

2. Distinguendo maj. Deus est præsens in loco per formam intrinsecam absolutè ut in se est N. prout immutat creaturam mutatione temporali Con. licet enim contactus divinus quantum ad entitatem sit aliquid intrinsecum ex parte Dei , tamen quan-



tum ad relationem & denominationem aliquid extrinsecum supponit & connotat, & sine tali extrinseco mutato in se non dicitur Deus habere præsentiam, unde nulla mutatio ponitur ex parte Dei, sed tota ex parte creaturæ, quæ tangitur à Deo per actionem mutantem illam, non se; quando autem aliquid creatum dicitur ubicatum, hoc habet per mutationem sui & non solum per mutationem extremi in quo ubicatur, Deus autem non habet contactum per aliquid intrinsecum mutans se sed solum mutans creaturam, quam tangit, & ideo Deus est semper in se, non tamen semper in creatura.

*Obj. 2.* Operatio Dei præsupponit præsentiam Dei: quia operari præsupponit esse, ergo operari hic præsupponit esse hic; ergo operatio non est ratio formalis, quare sit Deus præsens.

*R. N.* Antecedens, disparitas est: quia operatio egreditur à causa ut existente, ideoque operari præsupponit esse, non tamen est necesse, ut egrediatur à causa ut præsentem vel ab ipsa præsentia, quam habet cum suo effectu, sed potius præsentia cum effectu sequitur ad positivam productionem effectus.

*Obj. 3.* Antequam Deus operatur, est ibi, ubi postea operatur: quia antequam operatur, erat immensus; ergo erat ubique, imò si per impossibile daretur aliquod ens non productum à Deo, illi Deus esset præsens, & tamen in illo non operaretur; ergo operatio non est ratio cur Deus sit præsens.

*R.* Distinguendo maj Antequam Deus operatur est ibi, ubi operatur postea, positivè & formaliter *N.* Ibi erat virtute præsens & in seipso existens cum potestate ponendi ibi Creaturam *Con.* Deus ergo antequam quidquam faceret, erat in seipso formaliter, extrà se verò ubique virtualiter & in potentia: quia

ubique poterat exercere potentiam suam, non tamen de facto positivè erat ibi: quia positivè non mutabat, si autem per impossibile daretur ens non productum, illi Deus minimè esset formaliter præsens, sed solum virtualiter vel negativè; sicuti si Deus à vino in vase auferret quantitatem, vinum non maneret formaliter præsens per ultimam superficiem, sed negativè & ut indistans in vase.

*Obj. 4.* In illo, per quod Deus formaliter est præsens, fundatur attributum immensitatis; sed attributum divinæ immensitatis non fundatur in operatione Dei: quia immensitas necessariò immutabiliter ab æterno Deo convenit, operatio autem virtualiter transiens est libera & solum convenit in tempore; ergo operatio transiens non est ratio formalis, per quam fiat præsens.

*R. N. maj.* Quia attributum immensitatis non consistit in actuali præsentia in rebus, cujus ratio formalis est operatio Dei libera sed in aptitudine & potentia, quam habet ad existendum in rebus & in vi repletivâ omnis loci existentis & possibilis ut dictum est, talis autem aptitudo convenit Deo ab æterno & necessariò, quamvis actualis Dei præsentia sit temporanea & dependens à libero decreto voluntatis divinæ ejus omnipotentiam applicantis ad illarum productionem & conservationem; ratio ergo, cur Deus existat in rebus actu, est ejus operatio; ratio, cur existat in rebus potentialiter & virtute est omnipotentia, nam si Deus nihil actu operaretur in rebus, sed solum posset operari in illis, esset præsens non quidem per essentiam & substantiam, sed per virtutem & potentiam & hoc vult S. Th. dum hic a. 3. dicit: Deum esse in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur, & in omnibus per essentiam, in quantum ad est omnibus ut causa efficiendi.

*Nec*

*Nec dicas*: ergo attributum divinæ omnipotentiae non distinguitur ab attributo immensitatis: quia utrumque consistit in virtute infinitæ operandi.

*Contra enim est*: quod operatio Dei pertineat quidem tam ad immensitatem Dei, quam ad omnipotentiam, diversimodè tamen: nam ad omnipotentiam pertinet, ut ratio agendi in genere causæ efficientis. Ad immensitatem verò ut ratio formalis reddens Deum actu præsentem & existentem in rebus.

Ex his colliges 1. Operationem virtualiter transeuntem non esse Deo rationem essendi in rebus præcisè, ut se tenet ex parte ipsius & est ejus substantia, nec præcisè, ut se tenet ex parte Creaturæ: alioquin esset in rebus per aliquid creatum formaliter, quod dici nequit, sed ut infert & connotat immutationem passivam Creaturæ, adeoque ratio formalis existentiae Dei in rebus est aliquid divinum, conditio verò vel connotatum est aliquid creatum, immutatum & derivatum ex tali increato.

Colliges 2. Attributum immensitatis ad duo attributa consequitur & habet respectum ad illa secundum duplicem ejus considerationem; si enim immensitas consideretur quantum ad extensionem virtuales, ratione cujus potest cuique rei creabili usque in infinitum coexistere, sequitur ad attributum infinitatis; si consideretur, secundum quod importat modum tangendi Creaturas per operationem virtualiter transeuntem dantem & conservantem esse in omnibus, ita sequitur ad attributum omnipotentiae.

### QUÆSTIO III.

*An Deus sit præsens in Spatiis imaginariis?*

**S**uppono. Spatium est corpus, quod potest ab alio corpore impleri: sic in vase est spatium, quod, quando vas est vacuum, impletur aëre, & dum affunditur

ditur vinum, expulso aere repletur vino; supra cœlos, quia nullum est corpus, quod impleri possit, nullum est reale spatium, sic etiam ante creationem mundi, quia nulla existebant corpora, nullum erat spatium: nos tamen nobis imaginamur spatium supra cœlos: quia Deus supra cœlos, ubi modò nihil est, potest plures mundos creare, uti de facto creavit mundum, ubi ante nihil erat, & hoc spatium nominamus spatium imaginarium, de quo certum est, quod Deus non existat in illo, quasi illi coexistens tanquam terminus suæ præsentia, quia enim spatia imaginaria nihil sunt, idè Deus non potest illis esse præsens, sed quod in præsentia quæritur est: an sit taliter præsens in spatiis imaginariis, ut in quâcunque parte spatii sit designabilis ejus præsentia, ità, ut si aliquod ens poneretur in illo spatio, etiamsi illud non fieret à Deo, adhuc Deus diceretur illi præsens ratione immensitatis: sicut si Deus crearet hominem supra cœlum Empyreum, ille quidem non coexistere præsens spatio imaginario: quia illud nihil est, si tamen Deus crearet etiam supra cœlos lapidem, homo ille esset lapidi præsens.

*DICO. Deus dicitur esse in omnibus per essentiam... Quia substantia sua adest omnibus ut causa essendi S. Th. hic Q. 8. A. 3. ad 1. Sive cum in spatiis imaginariis nihil sit, quod habeat à Deo esse, Deus non est actu præsens in spatiis imaginariis.*

*Probatur:* Non potest intelligi aliquid adeste & substantiam suam præsentem facere spatio, nisi quia vel replet illud formaliter per suam extensionem, vel effectivè per suam virtutem aliquid efficiendo, quod in illo spatio sit; atqui neutro modo Deus est præsens in spatiis imaginariis; non primo modo: quia non potest divina substantia imò nec aliquis spiritus creatus per extensionem spatiis imaginariis adeste: quia non habet partes nec extensionem seu distantiam, ratione cuius

pos.

possit occupare & reddere plenum illud spatium, quod erat vacuum, sicut facit corpus, quando in illo ponitur & replet vacuum, ideoque divina substantia non respicit spatia tanquam media seu intercapedinem à se replendam & cui dicatur adesse, sicut plenum adest vacuo; non etiam secundo modo; quia Deus, nec efficit ipsum spatium imaginarium: cum illud nihil sit; nec efficit aliquid in spatio imaginario: cum etiam in spatio imaginario nihil sit; Deus igitur ante omnem creaturam à se productam existit quidem in se, ad quod non requiritur præsentia, sed sufficit existentia, quâ in se est existens, respectu verò spatii imaginarii nullam habet præsentiam absolutam & actualem, quâ dicatur adesse illis spatiis per præsentiam, sed solum habet virtutem infinitam & immensam respicientem infinita spatia mediâtè, quatenus potest in quâcunque designatione spatii producere rem aliquam, & inexistendo in illâ per contactum immutativum, mediâtè quoque Deus erit in spatio illo.

*Obj. 1.* Deus juxtâ communem modum loquendi Ss. PP. ratione suæ immensitatis ità est in mundo, ut non contineatur mundo, sed sit extrâ & suprâ illum; atqui extrâ & suprâ mundum non sunt nisi spatia imaginaria. Ergo

R. Deus est suprâ & extrâ mundum virtualiter in potentiâ Con. Actualiter N. Deus est suprâ omnem creaturam & suprâ mundum; quia non limitatur ad existendum in illo, nec dependet ab illo, & potest esse in omnibus spatiis extrâ mundum mediâtè quatenus potest esse in Creaturis, quas in illis spatiis potest producere, atque ità extra mundum est in seipso, virtualiter autem & mediâtè in omnibus spatiis imaginariis quatenus habet virtutem ad producendas Creaturas in quâcunque parte spatii.

*Obj. 2.* Qui ab æterno necessario fuit præsens præsens

180

sentiâ infinitâ, fuit præsens in quâcunque parte designabili alicujus spatii; atqui Deus ab æterno necessario fuit præsens præsentia infinitâ: quia fuit immensus, immensitatis autem effectus formalis est reddere Deum præsentem præsentia infinitâ; ergo fuit præsens in quâcunque parte designabili spatii imaginarii.

R. Deus fuit præsens in quâcunque parte designabili virtualiter & mediatè Con. actualiter & immediatè N. In quâcunque igitur parte designabili spatii imaginarii ab æterno Deus erat virtualiter: quia Deo erat virtus ibi producendi creaturam, quâ mediante & per effectum in ipsâ dicitur etiam in spatio esse, in quo est creatura, non formaliter quasi immediatè per se applicatus & commensuratus spatio; Immensitas igitur non habet pro effectu formali facere Deum præsentem per immediatam comparisonem & applicationem ad spatia, sed effectus formalis illius est reddere Deum contactivum & potentem agere in omnem creaturam extrâ se in quâcunque parte spatii; sicut effectus formalis omnipotentia non est producere res effectivè, sed reddere Deum potentem producere.

Obj. 3. Præsentia Dei est denominatio intrinseca Deo conveniens ab æterno; atqui illa præsentia ab æterno non fuit in spatiis veris; ergo in imaginariis.

R. Distinguendo maj. Præsentia Dei formaliter vel relatio præsentia Dei ad res ab æterno est intrinseca Deo N. Præsentia Dei fundamentaliter sumpta est ab æterno in Deo Con. Est enim contactus Dei immutantis rem, cui est præsens, qui non respicit immediatè spatia; quia cum sit præsentia activa & contactus effectivus, immediatè respicit effectum & mediante illo spatium, in quo est effectus, sicut anima respicit immediatè corpus, quod informat & mediante illo locum, in quo est corpus, & quia actio in Deo potest esse enactivè sine hoc, quod sequatur effectus nisi suo tempore

porē, ita stat bene esse realiter & entitativè præsentiam illam immutativam in Deo fundamentaliter, nec tamen esse Deum de facto præsentem denominativè, donec ponat extremum, cui est præsens, non per mutationem Dei sed effectus.

*Obj. 4.* Deus: quia est actu æternus, omnes res facit sibi præsentēs; ergo etiam quia immensus est, debet ab æterno esse præsens rebus omnibus & spaciis.

*3.* N. consequentiam: Disparitas est: Æternitas est immediata & proxima ratio divinæ infinitæ durationis actualis, quæ proinde omnes differentias creatæ durationis eminenter continet; at immensitas non est proxima & immediata ratio ipsius actualis ubicationis: hanc quippe denominationem non nisi in tempore mediante contactu immutativo creaturarum consequitur, quo non tam Deus ipse se rebus quam res sibi præsentēs efficit, non ut in iis contentus, sed ut ipsas ex se & in se continens.

*Obj. ult.* Ex doctrinâ nostrâ plurima absurda sequuntur 1. Si Deus novum mundum crearet, reverà mutaretur: quia fieret præsens spatio illi, quod mundus novus replet, cui antea non erat præsens.

*3.* Mutatio fieret ex parte Creaturæ, quæ transiret de non esse ad esse, non autem ex parte Dei: quia Deus non fit præsens Creaturæ, nisi agendo in illam eamque suâ actione immutando; ex hoc autem, quod Deus causet & immutet aliquid, non movetur nec mutatur: quia non agit ut motus ab alio neque ut transiens de potentia ad actum, sed ut purè movens & actus purus; itaque Deus non fit præsens rebus accedendo ad ipsas, sed ipsas sibi attrahendo & applicando, in quantum ipse immotus eas ex nihilo creat & conservat.

2. Absurdum: sequeretur Deum posse moveri successivè; si enim projiceretur per spatium imaginatum

tium

rium lapis, Deus, quo veniret lapis, esset præsens, & ubi fuisset lapis, non esset amplius præsens.

32. N. consequentiam; ad hoc enim, ut aliquid etiam per accidens moveatur, duo requiruntur: 1. ut circumscriptivè vel saltem definitivè sit in corpore, quod movetur 2. ut in ordine ad terminum motûs variet distantiam ac proinde antea termino motûs non fuerit substantialiter præsens, sic quando una manus movetur ad alteram non movetur anima: tum quia non est definitivè in unâ manu, sed in toto corpore: tum etiam quia est substantialiter in termino motus vid. alterâ manu, ad quam hæc movetur;

33. tertium absurdum; sequitur, quod Deus quoad suam præsentiam possit esse divisus, si enim in spatio imaginario produceret duo corpora distantia, esset præsens in duobus corporibus, & non in medio.

34. Esset præsens medio virtualiter non autem actu, ex quo non est divisus à se ipso: id enim non tenet in substantia spirituali, quæ est independens à loco, & magis continet quam continetur ab illo.

Ex dictis sequitur; quod nulla creatura possit esse ubique: nam aut est alicubi per quantitatem molis ut corpora; vel per quantitatem virtutis hoc est operationem: ut angeli. Si primum, tunc habet certos terminos dimensionis, ut proinde in infinitum extendi nequeat; si secundum, habet limitatam spheram suæ activitatis, ac proinde sicut nec in infinitum operari, sic nec ubique esse potest.

#### QUÆSTIO IV.

*An Deo sint res physicè presentes in aternitate?*

**S**uppono 1. Inter durationes supra enumeratas perfectissima est æternitas. Quam definit Boëtius: *possessio interminabilis vita tota simul & perfecta. dici-*  
*mus 1. possessio ad significandam omnimodam indefici-*  
*entiam*



entiam & stabilitatem divinæ durationis : quæ enim firmiter & quietè habemus, possidere dicimur. 2. *Vna* per quod exprimitur ultima actualitas divinæ essentia. 3. *Interminabilis* sive carentis omni termino tam à parte ante, quam à parte post, tam potentia, quam actu. 4. *Tota simul* : quia nullam habet divisionem, nullam habet successionem. 5. *Perfecta* : quo excluditur simultas imperfecta, quæ est in indivisibili nunc nostri temporis, cui non nisi momentanea existentia convenit ; æternitas soli Deo convenit tanquam enti à se & infinito & immutabili i modo, tanquam enti immutabili, quia quod est simpliciter immutabile quoad esse & operari, nec incipere nec desinere potest. 2dò tanquam infinito enti, quia infinitum in omni genere perfectionis habet durationem perfectissimam, qualis est æternitas. 3tiod tanquam enti à se, quia ens à se habet esse per essentiam & est ens necessarium carens principio & fine essendi ac proinde est æternum.

*Suppono 2* æternitas Dei nihil aliud est quam essentia divina sine initio & sine semper necessario & indivisibiliter existens ; huic coexistit, quidquid existit, existit & existet. Hæc essentia est causa rerum omnium creaturarum possibilium in potentia, præteritarum, præsentium, futurarum actu idque semper & ab æterno : cum in Deo nulla sit variatio, sed idem semper existat, non tamen pro omni tempore, sed pro illo tempore, in quo creaturæ à Deo producuntur, atque ita omnes creaturæ præteritæ, præsentis & futuræ sunt, fuerunt & erunt Deo semper præsentis physice, eò quod Deus ab æterno sit causa eorum præsentia physica in hoc tempore, atque ita quamvis creaturæ præteritæ & futuræ non sint de facto præsentis in propria mensura temporis : quia futuræ nondum existunt in tempore, præteritæ fuerunt in tempore, sunt

tamen præsentis in mensurâ æternitatis, quia Deus ab æterno est causa earum præsentis physice in tempore futuro vel præterito vel præsentis.

*Suppono 3.* Deus creaturas secundum esse particulare, quod habent extrâ ipsum, dum actu sunt in naturâ propriâ, non cognoscit immediatè in seipsis, sed tantum mediatè in seipso velut medio prius cognito: ut dicitur in Disput. X. de objecto scientiæ Dei ac ità Deus creaturas pro quavis temporis differentiâ existuras ab æterno cognoscit intuitivè & invariabiliter in præsentialitate physica, non quam habent in mensurâ propriâ temporis, quam vel habuerunt creaturæ præteritæ, vel nondum habent creaturæ futuræ, sed in mensurâ æternitatis sivè in essentia divina semper indivisibiliter & invariata permanente creaturas efficienter faciente & formaliter repræsentante. Hæc fusius explicata, ut facilius intelligatur ænigma Thomisticum de præsentia physica rerum in æternitate.

*DICO.* *Omnia, qua sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia... quia ejus intuitus ferunt ab æterno suprâ omnia, prout sunt in suâ præsentialitate S. Th. hic Q. 14. A. 13. in O.*

Probatur ex illo Rom. 4. *Qui vocat ea, qua non sunt, tanquam ea, qua sunt,* quasi diceret: sic intuetur facienda sicut facta, nec minus futura sunt ipsis præsentia quam ea, quæ sunt facta. *Ratio est:* quia præsentia rerum in æternitate non se tenet ex parte modi essendi ipsorum contingentium in se ipsis, sed ex parte modi essendi; quo sunt in divina & æterna essentia, ad quem modum essendi sequitur modus cognoscendi: Deus enim non aliter scit facta quam facienda, quantum est ex parte scientis, non habet plenioram cognitionem de rebus factis, quam de rebus faciendis, sciebat res factas antequam fierent quantum ad omnes circumstantias, secundum quas fieri debebant, ut nihil  
ejus

ejus scientiæ accreverit ex factione rerum ; attamen quantum est ex parte rerum scitarum , aliter scit facta , aliter facienda : facta scit esse facta , & facienda scit esse facienda ; alias enim deciperetur in sua sapientia. Itaque physica rerum in æternitate præsentia non aliud est , quam esse eminentiale creaturarum futurarum in Deo prout est objectum divini intuitus ab æternitate mensurati ; hoc est : Deum ab æterno cognoscere suam essentiam & in sua essentia omnes creaturas præsentis præteritas & futuras quo ad suam præsentialitatem in tempore in divina essentia contentas & ab eadem formaliter intellectui divino repræsentatas. Hæc explicatio videtur conformis discursui D. Ang. quem format L. cit. in conclusione : *licet contingentia sint in actu successivè , non tamen Deus successivè cognoscit contingentia prout sunt in suo esse , sicut nos , sed simul : quia sua cognitio mensuratur aternitate , sicut etiam suum esse. Aternitas autem tota simul existens ambit totum tempus. Unde omnia , quæ sunt in tempore , sunt Deo ab aeterno præsentia , non solum eâ ratione , quâ habet rationes rerum apud se præsentis ut quidam dicunt , sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia , prout sunt in suâ præsentialitate. Unde manifestum est , quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoscantur in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem , & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata. In quo discursu S. D. pro dilucidatione tria dici advertendum est. 1mo. Quod futura non sint ideo solum Deo præsentia , quod habeat rationes rerum apud se præsentis ; ita enim etiam possibile essent Deo præsentia : cum essentia divina eminenter contineat tam possibile , quam aliquando existentia. 2do. Quod futura conspectui divino subdantur secundum suam præsentialitatem , quam habent in æternitate Dei , sive in essentiâ divinâ æternitate*

nitate mensuratâ earum præsentialitatem in tempore causante. 3tio. Quod futura comparata suis causis secundis in mensurâ propriâ temporis sint futura, & præsentiam in tempore accipiant.

*Obj. 1.* Creaturæ futuræ sunt tantum in Deo eminenter; ergo non cognoscuntur in suâ præsentia physica & formali sed solum eminentiali.

*R.* Deus eminenter creaturas continens eas & quidquid in eis causat & efficit in esse suo eminentiali cognoscit formaliter æquè clarè & intuitivè, imò clariùs & perfectiùs, quam si illas in seipsis cognosceret, ut dicitur in disput. X. de objecto scientiæ Dei.

*Obj. 2.* Ex hac explicatione sequi videtur, quod creaturæ solum habeant ab æterno esse objectivum in Deo: non enim explicatur, quomodo habeant esse physicum vel præsentiam physicam in æternitate, quæ est veritas Thomistica ab omnibus ferè extra schoolam S. Th. acriter impugnata.

*R.* Præsentia creaturarum in æternitate à nobis explicata non consistit in puro esse objectivo Deo intrinseco & à Deo immediatè cognito, ut est Petrus existens Romæ à me cognitus, qui per cognitionem mihi solum objectivè est præsens, sed in esse creaturarum physico Deo intrinseco & realiter identificato formaliter repræsentativo creaturarum ab æterno priusquam sint in seipsis. Sive in ipsa creatrice essentia divina immutabiliter creaturas continente.

## DISPUTATIO V.

*De possibilitate visionis Dei.*

**V**ARIè in sacris litteris accipitur visio Dei 1. dicitur Deus videri, quando aliquo signo creato manifestatum fuit antiqui testamenti patribus aliquid ad divinitatem pertinens 2. quando perfectiones Dei cognoscuntur in creaturis, quo sensu loquitur Apost. 1. Cor.

DE POSSIBILITATE VISIONIS DEI. 85  
13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate* &  
Rom. 1. v. 20. *invisibilia ipsius à creaturâ mundi,*  
*per ea qua facta sunt, intellecta conspiciuntur.* 3. In  
natura assumpta visus est ab Apostolis aliisque cum  
Christo conversantibus juxtâ illud Joan. 1. v. 14.  
*Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi* &c. 4. hic acci-  
pitur pro clara & intuitiva cognitione essentia divina  
in se.

### Q U Æ S T I O I.

*An clara Dei visio sit possibilis intellectui creato  
elevato?*

**S**uppono 1. Est veritas fidei definita à Con-  
Florentino & Tridentino Sess. 25. de in-  
vocat. Sanctorum. Non tantum posse Deum videri  
sed etiam de facto animas sine labe peccati decedentes  
immediatè ad Dei visionem recipi, loca S. Script.  
quæ Deum indicant homini esse invisibilem, intel-  
ligenda sunt vel de visu corporeo vel de visione, quæ  
fit viribus vel lumine naturæ, vel in hac vitâ secundum  
legem ordinariam Dei, vel de visione comprehensivâ  
Dei.

**S**uppono 2. Possibilitas hæc visionis beatificæ non  
potest ratione naturali positivè demonstrari; non à prio-  
ri: quia principia visionis ut: essentia divina in ratione  
speciei, lumen gloriæ &c. Æquè nobis sunt incog-  
nita, quam ipsa visio; non à posteriori: quia nul-  
lus datur in naturâ effectus à clarâ visione Dei dependens  
aut necessariam cum illâ habens connexionem, ideo-  
que meritò Apost. dicit 1. ad Cor. 2. v. 9. *Ocu-  
lus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis  
ascendit, que præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*  
Attamen suppositis principiis fidei.

**DICO.** *Si nunquam essentiam Dei videre potest in-  
tellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit,*

vel in alio ejus beatitudo consistet, quam in Deo, quod alienum est à fide S. Th. hic. Q. 12. A. 1. O.

Probatur; quamvis enim possibilitas visionis Dei positivè demonstrari nequeat, attamen homo elevatus adjutorio supernaturali per fidem vel discursum Theologicum ex propositione revelatâ cognoscit possibilitatem claræ Dei visionis, quâ suppositâ appetit naturaliter illam beatitudinem supernaturalem saltem implicite, & ità inest homini appetitus connaturalis ad beatitudinem supernaturalem homini proportionatam suppositâ elevatione ad finem supernaturalem.

*Obj. 1.* Inter visum & visionem debet esse proportio; atqui inter Deum & intellectum humanum nulla est proportio: quia finiti ad finitum nulla est proportio.

*R.* Distinguendo maj. inter visum & visionem debet esse proportio in ratione entis N. in ratione actus & objecti *Con.* quamvis igitur nulla sit proportio inter Deum & creaturam in ratione entis: quia esse & actualitas Dei infinites excedit omne esse & actualitatem creatam, est tamen proportio in ratione causæ & effectûs, actûs & objecti, termini & terminabilis, perfectivi & perfectibilis.

*Obj. 2.* Intellectus finitus non potest videre objectum infinitum: quia tantò est perfectior cognitio intuitiva objecti, quantò est perfectius objectum, ideoque cognitio intuitiva objecti infiniti videtur esse finita.

*R.* Juxtâ perfectionem objecti crescit perfectio visionis juxtâ conditionem suæ lineæ & secundum proportionem geometricam, non juxtâ conditionem objecti & proportionem arithmeticam, adeoque cognitio intuitiva objecti infiniti est finita.

*Obj. 3.* Implicat intellectum creatum videre omnes creaturas posibles; ergo etiam essentiam divinam: cum essentia divina sit infinitè perfectior, quam omnes creaturæ posibles.

R.

R. Distinguendo ant. implicat intellectum creatum videre omnes creaturas posibles ob earum perfectionem N. ob incomprehensibilitatem Dei Con. si enim viderentur in Deo omnes creaturæ posibles, ipsa divina omnipotentia & essentia, in quâ videntur, deberet comprehendi.

Obj. 4. Angelus non potest videri oculo corporeo; ergo nec Deus ab intellectu humano: quia major est distantia Dei ab intellectu creato; quam angeli à visu corporeo.

R. N. consequentiam: quia licet distantia in esse entis sit major in Deo respectu creaturæ, attamen distantia inter visum corporeum & Angelum in esse objecti est major, quam inter intellectum humanum & essentiam Dei: cum Angelus sit extrà objectum adæquatum visus corporei, Deus autem contineatur intrà objectum adæquatum intellectûs creati.

Q. An in hâc mortali vitâ, sicut est in se, Deus videri possit.

R. I. Juxtâ legem ordinariam videri non potest: quia juxtâ legem ordinariam homo cognoscit dependenter à sensibus, & homini pro hoc statu vitæ convenit Deum cognoscere per fidem; sed clara Dei visio saltem permanenter habita non compatitur fidem.

2. Per legem Dei extraordinariam homo etiam in hoc statu vitæ posset Deum videre intuitivè. Ratio est: quia anima humana Christi, quamvis uteretur ministerio sensuum ad alias functiones, attamen à primo instanti suæ creationis habuit scientiam beatam, cum ergo humana natura & anima Christi sit ejusdem rationis cum nostrâ, constat impossibile non esse, ut etiam puro homini in hoc statu permanenter communicetur clara Dei visio. Item Beati post resurrectionem non obstante sensuum & vitæ corporeæ usu Deum videbunt, nec ulla est assignabilis ratio vel implican-

tia, cur visio clara Dei puro homini sive permanenter, sive transeunter nequeat communicari, cum facile imbecillitatem corporis animam aggravantis divina virtus & extraordinarium privilegium emendare possit; an autem de facto aliis homo in hac mortali vitâ Deum viderit, est valde incertum. S. Thomas cum S. Aug. sustinet, hoc privilegium communicatum transeunter Moyse & Apostolo Paulo, alii aliis id attribuunt, nobis sufficiat, id absolute fieri posse.

### QUÆSTIO II.

*An de potentiâ Dei absolutâ possit Deus quidditative videri ab aliquo sensu corporeo?*

**D**ICO. *Impossibile est Deum videri sensu visus vel quocunque alio sensu aut potentiâ sensiva partis.*  
S. Th. hic. Q. 12. A. 3. O.

Probatur. Implicat potentiam ferri extrâ adæquatum suum objectum; quia potentia accipit speciem ab objecto adæquato, & si potentia extenderet se extrâ suum objectum adæquatum, jam amitteret & mutaret speciem, sicut, si oculus perciperet sonum, jam non esset oculus, sed auris; atqui si oculus posset videre Deum, extenderet se potentia visiva extrâ suum objectum adæquatum: quia potentia visiva oculi est essentialiter corporea intrâ gradum vitæ sensitivæ contenta: & consequenter etiam objectum ejus est corporeum & intrâ limites objecti sensibilis, Deus autem est incorporeus, insensibilis, nulla qualitate sensibili affectus.

*Obj. 1.* Quamvis Deus sit extrâ objectum connaturale & proportionatum intellectus, attamen ratione potentiæ obedientialis intellectus elevari potest ad Deum videndum; ergo etiam oculus corporeus.

*R.* Deum esse extrâ objectum intellectus nostri intensivum & proportionatum, sive quod intellectus  
pro-



DE POSSIBILITATE VISIONIS DEI. 89  
 propriis & naturalibus viribus attingere potest; non  
 tamen est extrâ objectum specificativum extensivum,  
 & adæquatam, Deus autem & omnis Spiritus est ex-  
 trâ objectum specificativum & extensivum oculi secun-  
 dum gradum specificum, secundum quem oculus li-  
 mitatur ad objectum lucidum & coloratum; & secun-  
 dum gradum genericum, secundum quem fertur in  
 objectum sensibile.

*Obj. 2.* Instrumenta corporea divinitus elevantur  
 ad producendos effectus spirituales, qui tamen sunt ex-  
 trâ spheram activitatis eorum: ut: cum ignis corpo-  
 reus torquet spiritus, Sacramenta causant gratiam; er-  
 go etiam potentia corporea elevari poterit ad Deum vi-  
 dendum, quamvis sit extrâ objectum extensivum  
 potentia.

R. N. Consequentiam: quia potentia cognosci-  
 tivæ influunt principaliter in suas operationes & ab illis  
 sicut etiam ab objecto specificationem accipiunt, in-  
 strumenta verò extrinsecus assumuntur à causâ princi-  
 pali, ut ipsius intentioni & virtuti deserviant, neque  
 à suis actibus vel effectibus intrinsecam speciem for-  
 tiuntur.

*Obj. 3.* Non implicat visionem intellectualem poni  
 in oculo, sed hoc casu oculus corporeus videret Deum;  
 ergo potest de potentia Dei absolutâ fieri, ut oculus  
 corporeus videret Deum.

R. 1. Casum esse impossibilem, cum enim visio  
 intellectualis sit essentialiter vita intellectualis, si in ocu-  
 lo corporeo poneretur non esset amplius vita intelle-  
 ctualis.

R. 2. Admisso casu non posset oculus corporeus  
 denominari videns Deum: quia illa visio oculum non  
 informaret modo vitali, & quatenus est vitalis actua-  
 litas, sed præcisè modo mortuo, & quatenus recepta  
 in oculo ut subjecto inhaerentis.

DISPUTATIO. V.  
QUÆSTIO. III.

*An Deus possit clarè & intuitivè videri ab intellectu creato solis natura viribus.*

**D**ICO. *Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat, ita S. Th. hic Q. 12. A. 4. O.*

Probatum : ut Deus videatur clarè ut in se est, debet cognosci juxtà proprium modum essendi ; nisi enim Deus videatur ut est ens infinitum, actus purus &c. non videtur in se ut quidditivè est, atqui nullus intellectus creatus potest connaturaliter taliter Deum videre ; cum modus connaturalis cognoscendi objectum sibi proprium sequatur modum connaturalem essendi ; sic anima bruti, quia corporea est & materialis, nil nisi materiale per species materiales cognoscit ; anima rationalis, quia corpori unita, cognoscit omnia per species spirituales à phantasmatis desumptas ; Angelus, quia est substantia saltem metaphysicè composita, nihil intuitivè & quidditivè cognoscit quam ens potentialitate permixtum ; Deus, quia est actus purus, seipsum connaturaliter cognoscit, & suammet essentiam intuetur, ergo cum modus essendi cujuslibet creaturæ sit infinitè inferior modo essendi, quem Deus habet in seipso, non est dabilis aliqua creatura intellectualis, quæ connaturaliter Deum cognoscat juxtà proprium modum essendi, quem habet in seipso.

Confirmatur : potentia cognoscitiva debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum objecto connaturaliter cognito : quia cognitio fit per hoc, quod cognitum sit in cognoscente ; ergo ut cognitio fiat connaturaliter, debet etiam ex parte cognoscentis esse capacitas naturalis ad recipiendum objectum ; sed nisi sit tanta immaterialitas ex parte potentia cognoscentis, quanta est ex parte objecti cognoscibilis, non est

Deus  
est tantum  
creatus in  
terminis qua  
intellectus  
creatus Deo  
quod D  
intellectus c  
Obj. 1.  
ista materi  
non sunt ei  
bus ; erg  
gradu im  
naturaliter  
a. Dicit  
tur / Deo &  
intellectus divi  
nitatis object  
Deo cognosc  
Angelus per sp  
minoris actus  
sui Dei & An  
cum non adde  
tas, et hoc  
tum majoris ac  
t est, postea co  
gnoscit ; potest q  
nis : cognitio  
sed non illum n  
est in se sed ad m  
tas, in virtute  
secundum prop  
Obj. 2. Ang  
angelum intenc  
noscitur : it e  
requit aliam in t

est naturalis capacitas ipsius : cum non minus intellectualitas seu intelligibilis capacitas accipiatur ex immaterialitate quam intelligibilitas objecti ; atquæ implicat ut intellectus creatus sit in eodem gradu immaterialitatis cum Deo clarè viso : ut per se patet ; ergo implicat, quod Deus clarè visus sit objectum connaturale intellectûs creati.

*Obj. 1.* Deus & Angeli vident connaturaliter objecta materialia, & tamen intellectus Dei & Angelicus non sunt ejusdem materialitatis cum objectis materialibus ; ergo non requiritur ut intellectus sit in eodem gradu immaterialitatis vel materialitatis cum objecto naturaliter cognito.

*R.* Distinguendo ant. objecta materialia cognoscuntur à Deo & Angelo juxtà modum immaterialitatis intellectus divini & Angelici Con. juxtà modum materialitatis objectorum N. nimirum objecta materialia à Deo cognoscuntur per suam divinam essentiam, ab Angelis per species infusas ; & dato, quod cognitum minoris actualitatis, ut sunt objecta materialia respectu Dei & Angeli, possit esse in cognoscente superiore, cum non adæquet multò minùs excedat capacitatem illius, ex hoc tamen minimè sequitur, quod cognitum majoris actualitatis, qualis est essentia Dei ut in se est, possit connaturaliter esse in inferiore cognoscente ; potest quidem intellectus creatus : ut hominis : cognitione abstractivâ actum purum cognoscere, sed tunc illum non cognoscit, ut est actus purus & ut est in se, sed ad modum cognoscentis & per species alienas, in visione autem debet cognosci, ut in se est, & secundum proprium modum essendi.

*Obj. 2.* Angelus superior excedit in immaterialitate Angelum inferiorem, & tamen ab illo intuitivè cognoscitur : & econtrà una anima rationalis non excedit aliam in immaterialitate & tamen eandem intuitivè

tivè non cognoscit; ergo ratio illa, quod potentia cognoscitiva debeat esse in eodem gradu immaterialitatis, quo est objectum, parum probat.

22. Angelum superiorem & inferiorem esse in eodem gradu immaterialitatis generico, qui desumitur per recessum à materiâ physicâ: in hoc enim, omnes Angeli conveniunt genericè, quod ex materiâ & formâ non componantur, nec dicant ordinem ad materiam, & hoc sufficit, ut unus alterum quidditivè & intuitivè videre possit, non sunt tamen in eodem gradu immaterialitatis specifico, qui gradus desumitur per majorem accessum ad actum purum; quod autem una anima rationalis non possit intuitivè videre alteram in hoc statu, illius ratio est: quia licet habeant eundem modum essendi, iste tamen est corporeus ut quo, & in operationibus suis à materiâ dependens.

Obj. 3. Intellectus elevatus lumine gloriæ non est ejusdem immaterialitatis cum essentiâ divinâ, sed ab illâ infinitè distat, & tamen connaturaliter videt Deum; ergo falsum est quod ad connaturalem cognitionem requiratur, ut objectum & potentia cognoscens sit ejusdem immaterialitatis.

23. Intellectus elevatus lumine gloriæ connaturaliter videt Deum connaturalitate intrinsecus in intellectu radicatâ N. connaturalitate extrinsecus à Deo communicatâ & participatâ Con. ut autem intellectus connaturalitate intrinsecè radicatâ vel sibi debitâ Deum, ut est in se, cognoscat, requiritur, ut sit in eodem immaterialitatis gradu cum essentiâ divinâ.

#### QUÆSTIO IV.

*An de potentiâ Dei absolutâ possit dari substantia creata, cui sit connaturale videre Deum?*

**D**ICO. Cognoscere ipsum esse subsistens Dei est connaturalis soli intellectui divino & suprà facultatem

rem naturalem cuiuslibet intellectus creati : quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum  
S Th. cit. A. 4. O.

Probatum : implicat substantia creata, quæ sit tantæ perfectionis, quantæ sit complexum ex intellectu & lumine gloriæ : quia talis substantia esset substantia supernaturalis : cum enim lumen gloriæ & ipsa visio sint aliquid supernaturale excedens vires totius naturæ creatæ & creabilis, etiam substantia, cui lumen gloriæ conaturalis esset, foret substantia supernaturalis, sed implicat substantia supernaturalis creata : quia ens supernaturale est tale, quod vel excedat in se ipso totum ordinem entis creati & creabilis, aut dicat ordinem ad aliquid, quod excedit omne ens creatum & creabile ; substantia non potest esse supernaturalis ex primo capite : quia quod ex seipso excedit totum ordinem entis creati ; est ens increatum & à se, adeoque Deus : non ex secundo capite : quia specificativum substantiæ est pars intrinseca substantiæ, non habitudo ad aliquid extrinsecum.

Confirmatur : talis substantia supernaturalis non esset creatura, sed Deus : quia per naturam & essentiam esset prima radix visionis & charitatis, foret per naturam simpliciter impeccabilis, per naturam beata, adeoque nec destruibilis ; quæ omnia extrâ Deum implicant.

Obj. 1. Datur modus substantialis supernaturalis videlicet unio hypostatica, ergo etiam potest dari substantia supernaturalis.

82. Transmisso antecedente : de quo alibi : distinguendo conseq. ergo potest dari substantia supernaturalis completa N. incompleta Con. unio hypostatica, si derur, est incompleta dicens ordinem ad extremum supernaturale vid. verbum, quod uniti humanitati, à quo proinde specificatur & est supernaturalis, quod substantiæ completæ convenire nequit, Obj.

*Obj. 2.* Attributa divina à creaturis participantur tam in ordine naturali quam supernaturali ; ergo etiam ratio substantiæ potest in ordine supernaturali participari ; ergo creaturæ potest ratio substantiæ supernaturalis convenire.

*R.* Ratio substantiæ in ordine supernaturali participatur analogicè & accidentaliter , non verò univocè & substantialiter ; in ordine autem naturali ratio substantiæ participatur substantialiter ; quia ordo naturalis non specificatur per ordinem ad Deum , ut est ens à se , uti ordo supernaturalis.

*Obj. 3.* Omne accidens debet habere subjectum connaturale ; sed accidentis supernaturalis ut : charitatis : subjectum connaturale non potest esse substantia naturalis ; ergo substantia supernaturalis.

*R.* Negando maj. si enim sit accidens naturale , quod naturam elevatam & supernaturalizatam non supponat , tunc non habet subjectum connaturale sed obediens ; talia accidentia sunt , quæ elevant naturam inferiorem ad participationem naturæ superioris , ut : gratia , lumen gloriæ. Quæ magis respiciunt proportionem ad naturam , cujus sunt participatio , quam ad subjectum , quod faciunt naturam divinam participare ; alia autem accidentia supernaturalia , quæ præsupponunt naturam elevatam , respiciunt pro subjecto connaturali substantiam supernaturalizatam.

*Obj. 4.* Implicantia substantiæ creatæ supernaturalis vel provenit ex eo , quod sit creata , vel quod sit substantia ; non ex primo : quia dantur plures entitates creatæ , quæ sunt supernaturales : ut : gratia , charitas &c. Non ex secundo : quia etiam Deus est substantia & tamen est supernaturalis.

*R.* Provenire ab utroque : quia substantia creata non potest in se esse supernaturalis , nec dicere habitudinem essentialem ad aliquid naturale.

DISPU-

## DISPUTATIO VI.

De medio visionis.

## QUESTIO I.

*An sit possibilis species impressa creata quâ Deus videatur ?*

**S**uppono 1. In cognitione vel notitâ intellectuali alia concurrunt ex parte potentia, alia ex parte objecti ; cum enim partus notitiæ intellectualis fiat ex conjunctione potentia & objecti, sunt enim duo interni concursus : unus ex parte potentia ex suis visceribus hanc notitiam gignentis, alter ex parte objecti per intelligibilem sui unionem potentiam fecundantis & ad sui cognitionem determinantis ; principia intrinseca ex parte potentia sunt vitalitas, proportio, virtus intrinseca, quæ species objecti non affert sed supponit.

**S**uppono 2. Intelligibilis similitudo objecti, quæ ad rerum cognitionem servire potest, juxta doctrinam S. Th. quodl. 7. A. 1. est triplex. Prima est similitudo objectiva, vel medium in quo, estque similitudo, quæ prius in se cognita ducit in cognitionem ejus, cuius est similitudo. Sicut imago cæsaris prius in se cognoscitur, & ut sic cognita ducit in cognitionem cæsaris, adeoque dicitur medium cognitum, & parit cognitionem mediatam rei ; certum autem est divinam essentiam de facto non tantum non videri per aliquam similitudinem objectivam, sed nec videri posse, ut est in se : nam talis cognitio est tantum mediata per speculum & in ænigmate, sed secundum Apost. visio beata non est per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem. Secunda est similitudo formalis seu medium quo vel incognitum : estque similitudo, quæ sine præviâ sui cognitione objectum immediatè repræsentat, ut species lapidis repræsentat lapidem, & hæc dicitur speci-

es intelligibilis, quæ iterum est duplex: im- & expressa: impressa est quædam qualitas vicaria, quæ in movendâ & determinandâ potentiâ ad cognitionem objecti eidem objecto substituitur; expressa est imago, quam intellectus producendo sibi metipsi objectum repræsentat & sistit in esse cognito, quæ verbum mentis dicitur; de utrâque hâc specie in præsentî tractamus. Tertia est similitudo participativa id est: participatio divinæ intellectualitatis, quo sensu S. Th. hic A. 2. lumen gloriæ appellat similitudinem divinæ essentiæ: quia per illud intellectus creatus participat modum cognoscendi divinum, quemadmodum gratia sanctificans dicitur similitudo divinæ naturæ: quia per illam participamus prædicata formalia divinæ naturæ; vocatur etiam medium sub quo intellectus creatus videt Deum, eò quod per illud elevetur & proximè disponatur ad videndum Deum.

*Suppono. 3.* Speciem impressam quidditative repræsentantem objectum continere ipsam naturam objecti in esse repræsentativo & intelligibili, ac proinde in esse intelligibili esse ipsum objectum, cum enim finis speciei impressæ, ejusque officium sit, ut objectum, quod seipso intra intellectum sisti eique uniri nequit, tanquam vicaria ipsius intellectui uniat ipsumque in se intelligibiliter transformet, propterea debet secum afferre omnia quidditativa prædicata objecti: cum non sit virtualis sed formalis similitudo objecti: siquidem objectum non propter aliquam eminentialem & causalem continentiam: ut divina essentia creaturas, nec propter dependentiam ab objecto: ut effectus causam, sed propter formalem convenientiam tanquam imago adæquata ipsum repræsentat, quod non præstaret, nisi totam rei quidditatem contineret.

DICO. *Ex parte visæ rei . . . per nullam similitudinem creatam Des essentia videri potest* S. Th. hic. Q. 12. A. 2. O. Prima



Prima ratio implicantiæ : species impressa quidditivè Deum repræsentans debet in esse repræsentativo continere omnes perfectiones Dei : quia species quidditativa objecti debet esse commensurata objecto, cujus est vicaria, debetque esse repræsentativè ipsum objectum, quod esse non potest, nisi omnia prædicata quidditativa objecti formaliter in se contineat : non quidem in esse naturali, sed in esse repræsentativo, quod est essentialis perfectio illius ; atqui implicat creata aliqua similitudo, quæ in esse repræsentativo contineat omnes perf. & iones Dei : quia implicat creatura infinita, illa autem similitudo esset infinita : quia illud esse repræsentativum esset vera realis & creata perfectio formaliter in se continens omnia quidditativa prædicata esse divini ; ergo species impressa quidditivè repræsentans Deum implicat ; sicut enim est impossibilis species sensibilis clarè & quidditivè repræsentans Angelum, ità multò magis implicat species creata quidditivè repræsentans ens increatum : cum major sit improporrio inter speciem creatam & essentiam divinam, quam inter speciem sensibilem & essentiam spiritualem.

Secunda ratio implicantiæ : implicat species creata, quæ habeat eundem gradum immaterialitatis, quem habet essentia divina : ut de se patet ; sed species impressa quidditivè repræsentans divinam essentiam habet eundem gradum immaterialitatis : cum gerat vices ipsius essentiæ divinæ in esse intelligibili reddatque illam immediatè visibilem ut in se est ; sicut igitur idè implicat intellectus creatus, qui connaturaliter Deum videat, ut in se est, quia non potest in eodem gradu immaterialitatis esse, ità ex eodem capite implicabit species impressa creata Deum quidditivè repræsentans.

Tertia ratio implicantiae : de essentiâ speciei impressæ est, ut objectum, quod ob defectum intimæ præsentiae cum potentiâ intelligente vel ob defectum immaterialitatis non est proximè intelligibile, reddat intelligibile : objecta enim creata propter imperfectionem & defectum vel intimi illapsus & præsentiae intelligibilis, vel immaterialitatis, indigent speciebus distinctis ; atqui implicat species aliqua creata, quæ faciat Deum intelligibilem : quia enim est actus purus intelligibilis per essentiam, non potest fieri talis per aliquid creatum & superadditum : sicut non fit sapiens, bonus, per sapientiam & bonitatem creatam : cum ipse sit sua sapientia, bonitas &c. Et quidem non tantum est per essentiam intelligibilis intelligibilitate intrinsecâ, sed etiam intelligibilitate extrinsecâ per ordinem ad intellectum creatum : quia intelligibilitas est perfectio simpliciter simplex fundata in infinitâ actualitate & omnipræsentia divinæ essentiae.

*Obj. 1.* Gratia sanctificans est similitudo formalis & physica divinæ naturæ, ut natura est, non tamen est intrinsecè infinita ; ergo poterit dari similitudo intentionalis divinæ essentiae, quæ tamen non sit intrinsecè infinita.

*3.* N. consequentiam disparitas est : quod gratia sanctificans sit similitudo participativa & analogica divinæ naturæ per modum qualitatis intrinsecè receptibilis in subjecto, ideoque limitatur juxta conditionem subjecti, ex cujus parte se tenet ; at species impressa, cum sit in esse repræsentativo ipsa quidditas objecti, sequitur conditiones objecti eique commensuratur, ex cujus parte se tenet.

*Obj. 2.* Potest species accidentalis in esse repræsentativo esse substantia ; ergo etiam species physice finita in esse repræsentativo poterit esse infinita.

R. N. Consequentiam : quia potest aliquod accidens continere prædicata substantiæ in esse representativo ; siquidem potest esse ejusdem immaterialitatis cum substantiâ ; implicat autem , quod ens creatum in esse representativo contineat prædicata omnium divinarum perfectionum.

Obj. 3. Datur species creata abstractivè representans Deum ; ergo etiam datur vel ad minus dari potest species representans Deum intuitivè.

R. N. consequentiam disparitas est : quod species abstractivè representans Deum non continet Deum , ut est in se , sed ut est in creaturis tanquam in signis & vestigio Dei ; econtrà species quidditivè & intuitivè representans Deum ipsum continet , ut est in se , & sic ipsa species quoque foret actus purus.

Obj. 4. Effectus finitus non requirit principium infinitum ; atqui visio beata est effectus finitus ; ergo non requirit pro principio speciem infinitam diviniæ essentiæ.

R. Distinguendo mai. visio beata est effectus finitus subjectivè seu ex parte subjecti Con. objectivè vel ex parte objecti N. ergo non requirit principium infinitum ex parte potentiæ & subjecti Con. ex parte objecti , quod est essentia divina in ratione speciei impressæ N.

## Q U Æ S T I O II.

*An essentia divina uniatur intellectui creato per modum speciei intelligibilis ?*

**D**ICO. Divina essentia unitur intellectui creato ut intellectum in actu per se ipsam faciens intellectum in actu , S. Th. I. cit. ad. 3.

probatum ; ad visionem beatam , uti ad omnem cognitionem , requiritur ut objectum visionis unia-

tur intellectui vel per se vel per speciem vicariam sui; sed essentia divina per speciem creatam sui vicariam intellectui beatorum uniri nequit; ergo ipsa præstat officium speciei impressæ: nam primò species impressa reddit objectum intelligibile in actu, quod facit etiam essentia divina, quæ per se ipsam est intelligibilis in actu: cum sit maximè immaterialis. Secundò species impressa facit objectum præsens intellectui; atqui essentia divina per intimum illapsum est præsentior cuilibet intellectui, quam substantia Angeli suo intellectui. Tertio munus speciei impressæ est perficere & complere & determinare intellectum; sed essentia divina maximè perficit intellectum eumque determinat ad visionem sui, attamen absque imperfectionibus: species enim creata duas imperfectiones habet: imprimis inhæsitivam informationem, cum sit accidens. Deinde restrictionem & limitationem ad rationem actus primi: cum per speciem intelligibilem reddatur objectum intelligibile in actu primo non autem in actu secundo intellectum, utraque imperfectio excluditur ab essentiâ divinâ: nam imprimis ipsa intellectui beato unitur per modum formæ purè perficientis per se stantis & in esse intelligibili intrinsecè terminantis; deinde essentia divina, quamvis intellectum in actu primo compleat, ipsa tamen ratione sui est in actu secundo non tam intelligibilis, quam intellecta: cum sit suum esse intelligibile.

*Obj.* Species impressa concurrat ad visionem in genere causæ formalis; atqui essentia divina non potest concurrere in genere causæ formalis: quia causa formalis dicit intrinsecam compositionem, cuius incapax est essentia divina.

*R.* Distinguendo probat. causa formalis incompleta partialis & intrinsecè informans dicit com

po

positum  
maior se  
causâ  
luna for  
mans  
ist, est  
pate essen  
intellect  
initus;  
plexum  
beati ter  
positum  
Dei.  
  
An  
DICO.  
in  
Jan, B  
lectus crea  
Dram, S  
essentia divi  
visionem coi  
Probatu  
mali: nam  
formalis; se  
intellectum  
actuando; erg  
Deinde con  
vltum com  
peticus ad h  
na et vltim  
adequat: ut  
uno ad equ  
complemen

positionem intrinsecam sive ex his Con. causa formalis per se subsistens objectivè terminans & perficiens dicit intrinsecam compositionem ex his N. talis causa formalis est divina essentia in visione Dei terminans intellectum beati, cujus effectus formalis est, esse unitum intelligibile, qui effectus ex parte essentiae divinae perficiens est infinitus, ex parte intellectus, cui unitur, & quem terminat, est finitus; resultat igitur compositum vel potius complexum ex divinâ essentiâ terminante & intellectu beati terminato, non compositum ex his, sed compositum cum his ut suprâ dictum est de simplicitate Dei.

### QUAESTIO III.

*An essentia ut unita concurrat activè ad visionem?*

**D**ICO. *Potest esse proportio creatura ad Deum, in quantum se habet ad ipsum ut effectus ad causam, & ut potentia ad actum. Et secundum hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum. S. Th. hic. Q. 12. A. 1. ad 4. sive essentia divina unita intellectui eumque complens ad visionem concurrat formaliter & efficienter.*

Probatur; imprimis concurrat in genere causae formalis: nam actuare & perficere est munus causae formalis; sed essentia divina concurrat ad visionem intellectum in genere intelligibili perficiendo & actuando; ergo.

Deinde concurrat in genere causae efficientis: quia ultimum complementum principii activi adaequati pertinet ad lineam virtutis activae, sed essentia divina est ultimum complementum principii intellectivi adaequati: cum enim ex objecto & potentia tanquam uno adaequato principio pariatur notitia, praeter complementum se tenens ex parte potentiae, requi-

ritur aliud ex parte objecti, quod vel est ipsum objectum vel ejus species.

*Obj. 1.* Species est principium activum ut quo subordinatum principio activo ut quod; sed implicat, ut essentia divina subordinetur intellectui beati, qui tanquam principium quod elicit visionem.

*R.* Principium quo limitatum & informativè inhærens principio quod eidem subordinatur *Cor.* principium quo illimitatum & per se subsistens subordinatur principio quod *N.* essentia autem divina est principium illimitatum ipsum intellectum Deum videntis in esse intelligibili sibi subordinans.

*Obj. 2.* Principium activum visionis est principium vitale; sed essentia divina non potest esse principium vitale visionis creatæ: cum sit extrinsecum videnti.

*R.* Essentia divina non potest esse principium vitale ut quo hoc est per modum determinationis & complementi objectivi, ad quod ex vitali potentiâ resultat efficientia ipsius cognitionis *N.* non potest esse principium vitale ut quod hoc est per modum principii vitaliter elicitive *Con.*

#### Q U Æ S T I O I V.

*An in intellectu creato possit produci species expressa Deum quidditivè representans*

**N**Ota: species expressa est signum formale productum ad manifestandum intellectui objectum sive est imago & similitudo objecti ipso actu intellectiois vitalis expressa. Solet etiam vocari verbum mentis: quia per ipsam mens nostra vel intellectus rem cognitam sibi ipsi intus loquitur & manifestat; convenit cum specie impressâ. Primò quod non sit similitudo objectiva, in quâ veluti in speculo objectum videatur, sed est similitudo formalis

malis & medium quo. Secundò species expressa etiam se tenet ex parte objecti & agit vices objecti : sicut enim species impressa facit objectum intelligibile & principiat actum cognitionis, sic species expressa supplet concursum objecti in terminando & reddit objectum intellectum; differt à specie impressâ in hoc: quod species impressa pertineat ad actum primum : quia facit objectum intelligibile, ac proinde naturâ est prior actu visionis ; species expressa autem pertinet ad actum secundum : quia constituit objectum actu intellectum, terminat visionem & à visione producitur, ac proinde est naturâ posterior visione; quod autem talis species expressa præter speciem impressam requiratur, ratio est: quia objectum cognitum non minùs debet esse intimè præsens & unitum intellectui prout in actu secundo est cognitum, quam prout est in actu primo cognoscibile ; sed in actu secundo non est intimè præsens, aut unitum intellectui neque per speciem impressam, quæ se tantum tenet ex parte actûs primi, & habet rationem objecti motivi, sivè reddit objectum cognoscibile ; neque per ipsam cognitionem quæ non est intelligi sed intelligere, quæ terminat & non terminatur ad se ipsam, nisi sit reflexa ; ergo objectum debet fieri intimè præsens in ratione termini intellectualis per speciem distinctam ex actu cognitionis resultantem, quæ verbum & species expressa nuncupatur.

DICO. *Dicere Deum per similitudinem videri est dicere, divinam essentiam non videri.* S. Th. hic Q. 12. A. 2. O. sive non producitur in visione Dei species expressa.

Probatur : quia talis species sive esset ex - sive impressa foret actus purus & infinitus ; sicuti igitur, cum Deus sit suum esse & suum intelligere, non minùs est per essentiam intelligibilis in actu secundo,

quam in actu primo, ità pariter cum repugnet, ut intellectui creato fiat intelligibilis in actu primo per speciem creatam impressam, ità repugnat, ut fiat intelligibilis in actu secundo, sive actu intellectus per speciem creatam expressam.

*Obj. 1.* S. Th. hic Q. 27. A. 1. O. dicit: *quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectus procedens, & ex eius notitiâ procedens, quam quidem conceptionem vox significat & dicitur verbum cordis significatum verbo oris*; ergo juxtà mentem S. Th. omnis intellectio producit speciem expressam sive verbum mentis.

*R.* Quod propositio universalis sit accipienda in sensu accommodato, non pro singulis generum sed pro generibus singulorum: quia quæcunque natura intellectualis producit verbum, sed non in quâcunque intellectu.

*Obj. 2.* Species expressa nihil aliud est, quam formalis & vitalis assimilatio sive unio cognoscentis cum cognito; atqui omnis cognitio est talis assimilatio: siquidem actus potentia formaliter assimilativa debet esse assimilatio; atqui intellectus est potentia formaliter assimilativa assimilans cognoscentem cum cognito & quodammodo transformans juxtà philosophum cognoscentem in objectum cognitum; ergo omnis cognitio, adeoque etiam visio Dei erit species expressa.

*R.* Vis repræsentativa intellectus consistit in eo, quod vitaliter terminet objectum præsens, quod fit dupliciter: Primò si objectum se ipso fit intellectui sufficienter præsens, & tunc intellectus simplici intuitu in- & attendit in illud ac ità fit in visione beatificâ: cum enim divina essentia per se ipsam fit intelligibilis & intellecta in actu secundo, potest se ipsam per modum

ter-

De M  
terminis intelligibilis  
preæsentata int  
ctus. quoniam visio  
trahuntur & a  
nem intellect  
hinc totus abso  
et plura transfor  
positum non fit  
in omnibus et  
quiritur nos e  
na cognitione et  
quem alius intell  
tenem, & licet  
bet affirmandi p  
ter hanc partem  
pansum habet sit  
quando objectum ab  
velatum in a. Intel  
Ex his colligitur  
ce terminet visio  
do intellectam. Et  
rei expresse, non  
verbum beatorum;  
nisi intellectualis di  
sive intelligente, a q  
vinita dei nequit.  
Secundo: quovis  
ionem beatificam si  
crea intellectu ver  
tur, visio tamen Dei  
non intellectu pro  
tionem.  
Tertio: quovis A  
cognitione beatificam  
tamen habitatione



termini intelligibilis & intellecti sistere intelligibiliter præsentem intrâ intellectum ac itâ repræsentatio intellectûs, quæ fit in visione beatâ, consistit in solâ contemplativâ intentione & attentione ad divinam essentiam velut terminum intellectualem, per quam adhæssionem intellectus totus absorptus & affixus Deo quodammodo in ipsum transformatur & deificatur. 2dò Si verò objectum non sit sufficienter præsens intellectui, uti fit in omnibus cognitionibus, in quibus objectum cognitum non est suum intelligere, tunc intellectus suâ cognitione efformat sibi terminum intellectualem, quem aliàs intrâ se & in esse cognito non haberet præsentem, & sicut intellectus agens in homine vim habet efformandi species impressas, si objectum non aliter fieri possit præsens in actu primo, itâ intellectus patiens vim habet sibi efformandi speciem expressam, quando objectum aliter non potest fieri præsens & intellectum in actu secundo.

Ex his colligitur primò: quamvis essentia Dei intrinsecè terminet visionem tanquam objectum in actu secundo intellectum, & itâ exhibeat se intellectui adinstar speciei expressæ, non tamen propriè loquendo dici potest verbum beatorum; quia verbum præter rationem termini intellectualis dicit etiam processionem à dicente sive intelligente, à quo exprimitur, quod de essentiâ divinâ dici nequit.

Secundò: quamvis omnis intellectio creata præter visionem beatificam sit simul dictio: quia in omni creatâ intellectione verbum & species expressa produciuntur, visio tamen Dei in rigore non est dictio: cum non sit intellectio productiva verbi terminantis cognitionem.

Tertiò: quamvis Angeli substantia respectu propriæ cognitionis obeat munus speciei impressæ, non potest tamen habere rationem verbi & speciei expressæ; quia

sicuti Angelus non est suum intelligere, ita neque suum intelligi vel esse intellectum in actu secundo; unde sicut intelligere ipsius est accidentale, ita quoque terminus intellectionis debet esse accidentalis.

## DISPUTATIO VII.

*De Lumine gloria.*

## QUÆSTIO I.

*An & quomodo lumen gloria concurrat ad visionem?*

**D**ICO. *Ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visiva potentia scilicet lumen divina gloria confortans intellectum ad videndum Deum, de quo dicitur, in Ps. In lumine tuo videbimus lumen.* S. Th. hic Q. 12. a. 2. in fine O. Est veritas fidei definita in Clem. ad nostrum de hæret. in qua condemnantur Beguardi, qui docebant animam non indigere lumine gloriæ elevante ad videndum Deum & eo beatè fruendum.

Probatur ratione: præter concursum objecti requiritur ad visionem sufficiens concursus ex parte potentia, ut nempe potentia habeat proportionatam virtutem & efficaciam, sitque apta ad producendam visionem: sine hoc enim inutilis erit concursus objecti, imò ejusmodi virtus concursui objectivo essentialiter præsupponitur: cum potentia non nisi apta & proportionata ad intellectionem concurrere possit. Sic oculus non est capax concursus objectivi soni vel saporis; quia illi deest intrinseca proportio & capacitas, sic oculo nocturnæ nihil prodest solare lumen defectu intrinsece dispositionis, atqui intellectus creatus ex parte sua non est completus & intrinsecè proportionatus ad actum visionis, alias enim posset naturaliter videre Deum, nec esset ratio, cur de facto intellectus viatoris non videret Deum: ut enim fiat visio, sufficit, quod potentia ex parte

parte sua sit completa & adsit sufficiens præsentia ob-  
jecti ; atqui si intellectus ex parte suâ haberet virtutem  
completam, non deesset ipsi præsentia divinæ essentiæ,  
quæ per omnia diffunditur; ergo non esset ratio, cur  
Deum actu non videret; imò Deus denegando  
concursum ad visionem Dei ageret miraculosè: sic  
enim oculus virtute sufficienti instructus connaturaliter  
exigit visionem objecti visibilis sibi debitè præsentis,  
ut miraculo foret attribuendum, si quis apertis oculis  
nihil videret in meridie; ità intellectus sufficienti vir-  
tute præditus connaturaliter exigit intellectionem ob-  
jecti Intelligibilis sibi debitè præsentis, ut subtractio  
ejusmodi visionis planè foret præternaturalis & mira-  
culosa, ergo præter concursum objectivum requiritur  
intrinsicè virtus in intellectu, quâ elevetur & confor-  
teretur ad eliciendam visionem; sicut enim intellectus  
ad assensum supernaturalem fidei, voluntas ad actus  
spei & amoris indiget habitibus supernaturalibus, ità  
multò magis ad actum nobilissimum visionis perma-  
nenter & quasi connaturaliter eliciendum indiget in-  
tellectus beati habitu infusò, quem lumen gloriæ ap-  
pellamus.

Sequitur. Quod duo sint munera, ad quæ lu-  
men gloriæ ex suâ naturâ ordinatur imò, intellectum  
evehere & elevare ad ordinem supernaturalem, & ejus  
activam virtutem complere, uti pulchrè explicat D. Ang.  
hic Q. 12 a. 5. in O. *Cum virtus naturalis intello-  
ctûs creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam; . . .  
oportet, quod ex divinâ gratiâ superaccrescat ei vir-  
tus intelligendi & hoc augmentum virtutis intellectivæ  
illuminationem intellectûs vocamus*; alterum munus  
est disponere intellectum ad intelligibilem cum divinâ  
essentiâ unionem; *cum aliquis intellectus creatus in-  
quit S. D. cit. L. Videt Deum per essentiam, ipsa essen-  
tia Dei sit forma intelligibilis intellectûs, unde oportet,*  
quod

*quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ad hoc quod eleuetur in tantam sublimitatem.*

*Obj. 1.* Subsistentia verbi terminat immediatè naturam humanam Christi absque aliquâ præviâ dispositione in naturâ humanâ receptâ; ergo etiam essentia divina potest terminare per modum objecti intelligibilis intellectum beati absque aliquâ formâ, quæ se habeat per modum dispositionis in intellectu beati receptæ.

*R. N.* consequentiam; Disparitas est: subsistentia verbi est terminus immediatus naturæ humanæ: quia facit illam esse & subsistere, quod, quia primum est in rebus, nullam per se dispositionem requirit; e contra essentia divina ut objectum visionis non dat esse substantiale & primum sed accidentale & in lineâ intelligendi ultimum.

*Obj. 2.* Ipsum lumen gloriæ est forma supernaturalis non requirens præviâ dispositionem; ergo etiam essentia divina in ratione formæ intelligibilis non requirit præviâ dispositionem.

*R.* Negando consequentiam: quia lumen gloriæ per essentiam est forma dispositiva: ad dispositionem autem non datur dispositio, uti nec ad relationem relatio, ad actionem actio; essentia verò divina per modum formæ intelligibilis intellectui unita eundem proximè determinat ad actum vitalem visionis effectivè eliciendum, unde priùs virtutem proximam & vitam intellectualem supernaturalis ordinis, quæ sine lumine gloriæ non habetur, ex parte intellectus præsupponit, consequenter absente lumine gloriæ non adest principium adæquatum visionis.



## Q U Æ S T I O I I.

*An ex intellectu & lumine gloria constituatur unum principium adæquatum visionis.?*

**D**ICO. *Lumen creatum est necessarium... ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum* S. Th. hic Q. 12. a. 5. ad 1. Sive visio Dei ab intellectu & lumine gloriæ ut uno totali principio procedit.

Probatur: quando nihil est in effectu divisibile & assignabile, quod potius ab hoc, quam ab alio principio procedat, tunc effectus indivisibiliter procedit ab utroque simul sumpto, tanquam ab uno totali principio; sed in visione beati nihil est divisibile & assignabile, quod soli intellectui vel lumini gloriæ debeatur vel correspondeat: perfectiones enim visionis beatæ sunt vitalitas, intelligibilitas, supernaturalitas; istæ autem non sunt separabiles, nec diversis principiis assignabiles: nam vitalitas est indivisibiliter supernaturalis & supernaturalitas est indivisibiliter vitalis; ergo clara Dei visio ab intellectu creato elevato per lumen gloriæ tanquam uno indivisibili adæquato principio procedit, & sicut visio est indivisibiliter actus vitæ supernaturalis, ita etiam indivisibiliter procedit à principio vitali supernaturali; ab intellectu veluti virtute radicali remotâ & à lumine gloriæ veluti virtute proximâ videndi Deum.

*Obj. 1. Juxtâ D. Ang. 2.2. Q. 173. a.4. mens Prophetæ à Spiritu sancto movetur sicut instrumentum; ergo à pari dicendum de intellectu videntis Deum.*

*R. S. D. explicandus est ex alio loco Q. 24. de verit. a. 1. ad 5. ubi docet instrumentum dupliciter sumi posse: primò propriè, secundò dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est movens ab alio mo-*

*tum sive sit in ipso principium sui motus, sive non* quâ ratione omnes Creaturæ dici possunt instrumenta Dei; quia moventur ut mota à primo motore, instrumentum verò propriè dicitur, quod ab alio ita movetur, ut motus alterius causæ sit illi tota ratio agendi, quod non est in præsentia.

*Obj. 2.* Actus vitalis quâ talis debet provenire à principio intrinseco non extrinseco; sed lumen gloriæ est principium extrinsecum; ergo actus vitalis visionis ratione suæ vitalis non à lumine gloriæ, sed ab intellectu procedit.

*R.* Actus vitalis quâ talis debet provenire à principio intrinseco vel proximè vel remotè Con. semper proximè N. Vitalitas visionis beatificæ non est à lumine gloriæ remotè tanquam à virtute radicali & elevabili, sed hoc modo est ab intellectu; est tamen vitalitas visionis beatæ proximè à lumine gloriæ velut à virtute elevante.

*Obj. 3.* Visio beata secundum substantiam actûs differt ab omni alio actu; sed hanc differentiam habet à solâ potentiâ intellectivâ; ergo hæc sola immediatè influit in substantiam visionis beatæ.

*R.* Quod visio beata secundum suam substantiam sit supernaturalis, ideòque differt ab omni alio actu, non per solam potentiam intellectivam, sed per potentiam intellectivam elevatam per lumen gloriæ.

### QUÆSTIO III.

*An intellectus elevatus lumine gloria sit causa principalis visionis beatæ?*

**D**ICO. Lumen istud non requiritur ad videndum Dei essentiam, quasi similitudo, in quâ Deus videatur: sed quasi perfectio quadam intellectûs confortans ipsum ad videndum Deum S. Th. hic Q. 12. a. 5.

ad

ad 2. Sive intellectus lumine gloriæ elevatus principa-  
liter elicit visionem Dei.

Probatur: lumen gloriæ facit intellectum princi-  
pium proportionatum ut eliciat visionem velut causa  
principalis: quia potentia vitalis ut causa principalis in-  
fluit in actum vitalem: cum de ratione causæ vitalis  
sit, ut perficiatur à proprio actu vitali intrà gradum  
proprium vitæ: ideò enim actus vitalis est à principio  
vitæ conjuncto, quia perficit intrinsecè ipsum princi-  
pium, à quo procedit, quod non perficeret, nisi  
potentiam circà objectum adæquatum, à quo specifica-  
tur, & quod est finis ipsius intrinsecus, perficeret, hoc  
autem est causæ tantum principali proprium & non in-  
strumentali: quia de essentia causæ instrumentalis est  
agere ut motam ab extrinseco movente, & applicari  
ab eodem ad objectum & finem non ipsi instrumento,  
sed causæ principali proprium adedque excedentem  
adæquatam (sphæram suæ activitatis; atqui visio bea-  
tifica est actus vitalis ab intellectu beati effectivè pro-  
cedens perficiens intellectum intrà proprium vitæ gra-  
dum & intrà objectum adæquatum illius: cum intel-  
lectus Deum videns in suo esse & vita intelligibili per  
divinæ essentiæ visionem perficiatur, & per lumen  
gloriæ intellectus non subordinatur alicui extrinseco  
agenti neque per visionem extrà latitudinem entis in-  
telligibilis evagatur, sed perficitur & confortatur intrà  
latitudinem entis & veri intelligibilis; ergo intellectus  
beati per lumen gloriæ confortatus velut causa princi-  
palis influit in visionem beatam, quatenus intrà pro-  
prium objectum confortatur & elevatur, ac in supre-  
mo gradu intellectualitatis constituitur.

*Obj. 1.* Causa, quæ agit ut elevata ad produ-  
cendum effectum proprias vires excedentem per vir-  
tutem alienam & non propriam, est causa instru-  
mental; atqui intellectus creatus eliciens visionem  
bea-

beatam eam elicit ut elevatus per lumen gloriæ, quæ non est propria sed à Deo principio extrinseco communicata virtus; ergo agit ut causa instrumentalis.

*R.* Distinguendo maj. causa, quæ agit ut elevata ultrà limites proprii objecti, producens effectum proprias vires tam proximas quam remotas & radicales excedentem, per virtutem alienam, quæ non sit perfectiva ipsius intrà limites proprii objecti, est causa instrumentalis *Con.* causa, quæ agit ut elevata intrà objectum suum adæquatum ad actum vires quidem proximas, non tamen virtutem remotam & radicalem excedentem, per virtutem alienam quidem quantum ad hoc, quod sit extrinsecus infusa & ex propriis principiis indebita propriam tamen, quia est perfectiva potentiæ intrà limites proprii objecti, est causa instrumentalis *N.*

*Obj. 2.* Virtus illa radicalis est tantum potentia obedientialis vel capacitas, ut elevetur à causâ superiore, quod autem habet tantum potentiam obedientialem vel capacitatem, ut elevetur à causâ superiore ad effectum suas vires excedentem, est causa instrumentalis; ergo.

*R.* Distinguendo *mi*: quod habet potentiam obedientialem nec mediatè nec imediatè activam sed tantum passivam est causa instrumentalis *C.* quod habet potentiam obedientialem vitalem & mediatè activam est causa instrumentalis *N.* ratio disparitatis est: quod potentia vitalis obedientialis elevetur per virtutem completam permanentem in ordine ad actus intrà proprium & adæquatum objectum eliciendos, quare immediatè recipit formam perficientem, & hâc mediante respicit actus supernaturales; potentia obedientialis autem merè passiva tantum elevatur per virtutem incompletam & transeuntem, ut suâ operatione causæ principali deserviat ultrà proprium finem & objectum.

QUÆ-



## QUÆSTIO IV.

*An visio Dei beatifica possit à solo Deo produci?*

**D**ICO. *Requiritur ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visivæ potentia, quâ scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum* S. Th. hic Q. 12. A. 2. O. sive implicat visio Dei sine aliquo intellectui intrinsecè superaddito.

Probatur: implicat id ex triplici capite 1. Ex parte intellectus: quia implicat causam esse priùs constitutam in actu secundo, quam primo operandi, & priùs operari quam posse operari; atqui intellectus viribus naturæ relictus nullo lumine supernaturali confortatus est impotens ad videndam divinam essentiam, nec in actu primo visionis constitutus; ergo implicat, quod Deum videat, antequam per lumen gloriæ elevetur & constituatur potens in actu primo Deum videre.

Secundò ex parte actus: quia visio est actus vitalis vitalitate supernaturali; actus autem vitalitatis supernaturalis petit procedere ab intrinsecò à principio vitali supernaturali: cum enim actus vitalis petat procedere à principio proximo conjuncto & vitali, actus vitalis supernaturalis essentialiter petit procedere à principio proximo vitæ supernaturalis; atqui intellectus absque lumine gloriæ non est principium proximum vitale supernaturale: cum sic illi non conveniat alia vitalitas intellectiva, quam quæ sit ordinis naturalis aliàs etiam connaturaliter posset videre Deum; ergo impossibile est, ut ab intellectu destituto lumine gloriæ procedat actus visionis Dei, qui est essentialiter actus vitæ intellectivæ supernaturalis.

Tertiò implicat ex parte essentiæ divinæ: quia implicat, ut species intentionaliter sit unita potentia & concurrat ad actum vitalem, quando potentia non habet proportionatum vitæ gradum & dispositio-

*Pars I. Theol. Schol.*

H

nem

nem debitam ad usum talis speciei; unde licet in oculo ponerentur species soni, non tamen essent ipsi intentionaliter unitæ nec constituerent principium sufficiens cum ipso ad auditum, & licet in intellectu ponantur species objectorum credibilium, non tamen cum ipso constituerent principium sufficiens ad eliciendum assensum fidei, nisi accedat habitus fidei &c. atqui sine lumine gloriæ intellectus non est elevatus ad gradum vitæ & intellectualitatis supernaturalis; ergo.

*Obj. 1.* Essentia divina in visione Dei potest supplere defectum luminis: sicut enim ex parte potentia potest supplere defectum speciei impressæ, ita etiam potest ex parte potentia supplere defectum luminis.

*R. N.* assumptum: quia lumen gloriæ non aliter ad visionem concurrat, quam ut intrinseca virtus potentia eandem per intrinsecam sui receptionem confortans & elevans ad sufficientem proportionem cum actu visionis, qui modus concurrendi Deo repugnat utpote involvens rationem formæ intrinsecæ receptibilis; munus autem speciei est non per intrinsecam sui receptionem (id enim solis speciebus creatis convenit ex imperfectione) sed per objectivam terminationem potentiam jam ex se intrinsecè proportionatam ultimate completere, & representatione perficere, quod nullam involvit perfectionem.

*Obj. 2.* Intellectus per solum auxilium extrinsecum sive concursum Dei in genere causæ efficientis concursus luminis gloriæ supplere potest, siquidem Deus potest per se solum efficientiam cujusvis causæ creatæ supplere, ut in terminis docet S. Th. hic Q. 105. a. 2. in O. dicens: *erroneum est dicere Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus, qui sunt per quamcunque causam creatam*, cum igitur visio efficienter procedat ex lumine gloriæ, poterit ille influxus à concursu Dei tanquam superioris causæ suppleri,

**R.** Negando ant. Ille enim concursus vel ponit aliquid intrinsecum ex parte intellectus vel nihil: si nihil, ergo manet intrinsecè impotens, sicut ante concursum, neque proinde exibat in actum visionis, quam in nullâ suâ virtute aut actu primo continet; vitalitas autem supernaturalis actus secundi præsupponit supernaturalem actus primi vitalitatem, intellectus verò naturæ viribus relictus cum solo extrinsecò concursu non habet actus primi vitalitatem supernaturalem; ergo visio habens vitalitatem actus secundi non potest procedere ab intellectu habente solum extrinsecum concursum Dei; si autem per concursum illum extrinsecum aliquid addatur ex parte intellectus, illud ipsum jam est aliquid intrinsecè perficiens & conforans intellectum, quod lumen gloriæ vocamus.

Ad locum S. Th. **R.** S. Doctorem ibi loqui de illis effectibus, quos Deus immediatè se solo absque ullo concursu Creaturæ potest producere veluti est motus corporum; at verò effectus, quos Deus concurrente simul potentiâ obedientiali producit, non producit se solo: uti est actus vitalis visionis beatificæ, ut patet ex eod. D. hic Q. 109. a. 1. O. ubi dicit: *unaquæque forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, ultra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam & ideo 3. p. Q. 62. a. 4. O. Concedit Sacramentis novæ legis virtutem intrinsecam ipsis superadditam, quâ eleventur ad gratiæ productionem.*

**Obj 3.** Ad infinitum Dei Dominium pertinet, ut possit immediatè Creaturis uti ad producendos supernaturales effectus: perfectius enim est dominium, quo possit immediatè uti Creaturis tanquam instrumentis divinæ omnipotentis, quam posse uti mediatè, non est autem denegandus perfectissimo Dei dominio per-

fectior modus utendi Creaturis; ergo datur in Creaturis potentia obediencialis immediatè activa sine additione alterius virtutis.

**R. N. ant.** Sicut enim non est de perfectione divini dominii, ut producat Creaturas agentes sine actione: quia implicat; ità etiam ut his utatur ad producendos effectus excedentes & supernaturales sine virtute operandi: quia etiam implicat operari sine posse & actu primo operandi.

**Obj. 4.** Ad absolutum & perfectissimum Dei dominium pertinet, ut immediatè conservet omnium rerum esse & operationes; ergo ad idem dominium pertinet, ut immediatè utatur Creaturis ceu instrumentis suæ omnipotentiae.

**R.** Negando consequentiam; quia actio rerum conservativa est continuata creatio, quæ à solo Deo est & esse potest, usus verò Creaturarum ad producendos effectus supernaturales Deo convenit, in quantum ipsas Creaturas ultrà suam activam virtutem elevat, quod sine aliquâ virtute intrinsecè superadditâ nec esse nec concipi potest.

**Obj. 5.** Si intellectus in se non haberet aliquam virtutem ad eliciendam visionem Dei, se haberet merè passivè per modum nudi subjecti deferentis virtutem; sicut aqua calefacta defert calorem; sed consequens est absurdum; ergo.

**R.** N sequelam; quia intellectus habet virtutem radicalem ad visionem, eò quod intrà adæquatum ipsius objectum contineatur divina essentia; ac proinde intellectus est perfectibilis per lumen gloriæ ad essentiam divinam videndam.

**Colliges 1.** Lumen gloriæ recte collocari in prædicamento habitus: quamvis enim in hoc obtineat modum potentiae, quod det simpliciter posse, in eo tamen, quod se non habeat indifferenter ad bene vel male,

malè , sed ab intrinseco ad optimam operationem subjectum determinet & disponat , continetur sub genere habitus.

*Colliges 2.* Lumen gloriæ esse perfectiorem habitum quam sint habitus omnium donorum supernaturalium præter gratiam sanctificantem : quia est principium actus perfectissimi nempe visionis Dei, & est participatio nobilioris perfectionis. nempe intellectualitatis divinæ; quod autem non præcellat gratiam sanctificantem, ratio est: quia principium radicale visionis præcellit principium proximum visionis, & naturæ ratio est perfectior quam principium formale operandi; sed gratia est participatio divini intelligere sub ratione naturæ & primæ radice, lumen gloriæ autem sub ratione principii proximi.

*Colliges 3.* Lumen gloriæ non tantum esse necessarium intellectui ad eliciendam sed etiam ad recipiendam Dei visionem : cum intellectus non tantum in ratione principii, sed etiam in ratione subjecti sit impropertionatus visioni.

## DISPUTATIO VIII.

*De perfectione & objecto visionis Dei.*

### QUESTIO I.

*An perfectior intellectus cum equali lumine gloria clariùs Deum videat?*

**S**uppono 1. Certum est visionem beatam non esse æqualem in omnibus beatis, prout colligitur ex illo 1. Cor. 13. v. 4. *Stella à stella differt in claritate,* & Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* & definitum est in Con. Florent. Sed sicut diversa sunt Sanctorum merita ita & gloria & visio beatifica. Nec obstat parabola Matth. 20. in quâ inæqualiter laborantibus æqualis data est merces videlicet denarius

H 3

diur-

diurnus quia ut exponit S. Th. 3. cont. gent. cap. 58. & I. 2. Q. 5. a. 2. ad 1. per denarium diurnum intelligitur objectum visionis beatificæ, quod est idem videlicet: Deus trinus & unus: licet secundum diversos perfectionis gradus attingatur.

*Suppono 2.* Quod inæqualitas gloriæ in beatis non fit essentialis sed accidentalis juxta majorem in-vel extensionem, in quantum videl. una visio intensivè propter majorem claritatem, vel extensivè propter plurium objectorum in divinâ essentiâ perceptionem, est perfectior alterâ: nam idem formaliter principium & objectum est in quâlibet visione; principium partim dispositivum partim effectivum ex parte subjecti est lumen gloriæ, quod est ejusdem rationis in omnibus beatis; principium ex parte objecti est essentia divina. *Nec obstat:* quod principia remota specie distinguantur videlicet intellectus Angelicus & humanus: quia actus suam distinctionem specificam habet à principiis proximis, & licet intellectus Angelicus secundum suam potentiam naturalem specie distinguatur ab intellectu humano, non tamen secundum potentiam obedientialem. His præmissis.

DICO. *Intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit* S. Th. hic Q. 12. a. 6. in O.

Probat: ex illo habet intellectus, ut possit producere perfectiorem visionem, ex quo habet majorem proportionem & virtutem producendi: perfectior enim visio sequitur ad perfectiorem unionem divinæ essentiæ cum intellectu beati, perfectior verò unio fit ob perfectiorem dispositionem intellectûs majoremque ejusdem perfectionem; atqui hanc habet ex solo lumine gloriæ, non autem ex naturali perspicaciâ intellectûs: cum enim intellectus nullam habeat proportionem ad producendam simpliciter visionem,

nem,

nem, etiam nullam habebit ad producendam visionem perfectiorem; ergo ex solo lumine gloriæ perfectiore perfectior provenit visio, adeoque & visionum inæqualitas.

Adde: plura absurda sequi ex sententiâ oppositâ: nam primò sequeretur minimum Angelum in gloriâ superare beatissimam Virginem eò, quod intellectus Angelicus in perspicacità longè superet omne acumen humani intellectus. Secundò quod Deus non distribueret præmium vitæ æternæ juxta excellentiam meritorum: siquidem ex duobus beatis habentibus æqualia merita ille, qui haberet perfectiorem intellectum, clariùs Deum videret. Tertiò. beati se invicem discernere in suâ beatitudine saltem partialiter per pura naturalia. Quartò supernaturalis beatitudo non pertineret totaliter ad ordinem gratiæ: siquidem ex parte procederet ex lumine naturali & ex parte ex lumine à Deo supernaturaliter communicato.

*Obj. 1.* Causa nobilior nobiliorem effectum producit; atqui intellectus nobilior instructus æquali lumine gloriæ est causa nobilior visionis, quam alius intellectus ignobilior æquali lumine gloriæ elevatus; ergo producit nobiliorem effectum.

*2.* Distinguendo *mej.* causa formaliter & secundum proximam rationem causandi nobilior producit nobiliorem effectum *Con.* causa nobilior materialiter & secundum remotam rationem causandi producit nobiliorem effectum *N.* intellectus autem nobilior cum æquali lumine gloriæ non nisi materialiter & secundum remotam virtutem causandi est nobilior.

*Obj. 2.* Quando duæ causæ concurrunt ad eundem effectum, modo alterutra sit nobilior, sequitur nobilior effectus; sic quia ad visionem corpoream

ream non tantum species, sed etiam lumen concurrat, sive ex parte speciei sive ex parte luminis fiat intensio, semper sequitur perfectior visio, atqui præter lumen gloriæ ad visionem beatam etiam concurrat virtus intellectus naturalis; ergo, si illa sit nobilior, erit nobilior visio.

R. Distinguendo maj. quando duæ causæ æque proximè & in eodem ordine concurrunt ad aliquem effectum prout fit in exemplo visionis corporeæ, tunc si una sit perfectior, erit effectus nobilior Con. quando duæ causæ ad effectum concurrunt & una remotè altera proximè, tunc unâ nobiliore est effectus nobilior N.

Obj. 3. Intellectus perspicacior cum æquali habitu fidei perfectiùs penetrat fidei mysteria; ergo etiam intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectiùs Deum videt.

R. Quod perspicacior intellectus perfectiùs penetrat mysteria fidei quantum ad apprehensionem terminorum & propositionem objectorum credibilem, non autem quantum ad ipsum fidei assensum; hujus enim major perfectio ex perfectiore lumine & habitu fidei descendit.

## Q U Æ S T I O II.

*An intellectus cum lumine gloriæ possit comprehendere Deum?*

**D**ICO. *Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinitè cognoscat, unde impossibile est, quod Deum comprehendat S. Th. hic. Q. 12. A. 7. O.*

Probatum: Ut aliquod objectum in rigore comprehendatur, debet cognosci cognitione tam perfectâ, ut adæquet & exhauriat totam objecti cognoscibilitatem, adeò ut sit tanta claritas & perfectio

etio



oio in modo cognitionis, quanta est in modo cognoscibilitatis objecti, & non tantum cognoscantur illa, quæ sunt in objecto formaliter, sed etiam, quæ continentur in objecto eminenter; atqui implicat, quod Deus aliquâ cognitione creatâ cognoscatur, quantum est cognoscibilis; quia Deus est infinitè perfectiùs & perfectiùs cognoscibilis, implicat autem quod cognitio aliqua creata sit infinita; ergo implicat, quod creata & finita cognitio Deum comprehendat.

*Obj. 1.* Non obstante, quod Deus sit invisibilis, potest tamen intellectus creatus per lumen gloriæ elevari ad Deum videndum; ergo etiam non obstante, quod sit incomprehensibilis, potest elevari ad Deum comprehendendum.

*R. N.* Consequentiam: quia ut Deus vel divina essentia sit visibilis, sufficit, quod contineatur intrâ latitudinem objecti adæquati intellectûs, eique mediante dispositione supernaturali luminis gloriæ uniri possit; ut autem comprehendatur, deberet posse reperiri tanta actualitas in cognitione, quanta est in cognoscibilitate divinæ essentiæ, quod implicat.

*Obj. 2.* Illud juxtâ S. Aug. epist. 112. cap. 9. comprehenditur, quod ità videtur ut nihil ejus lateat videntem; atqui Deus ità videtur à beatis, ut nihil illius lateat videntem: quia totus videtur; ergo Deus comprehenditur.

*R.* Distinguendo probat. mi. Deus totus videtur & totaliter N. non totaliter Con. totum videri est videri, quidquid est formaliter in Deo; totaliter videri est omni modo claritatis & intensio- nis, quo videri potest & secundum omnia etiam eminenter contenta in ipso videri; hoc autem non est in visione beatâ.

*Q. 1.* An visio beatifica sit formaliter eminenter speculativa & practica? H § R.

3. Affirmativè, probatur : illa cognitio est formaliter eminenter speculativa & practica, cujus objectum est formaliter eminenter non tantum speculabile, sed etiam operabile ; sed objectum visionis beatificæ : videlicet divina essentia : est formaliter eminenter speculabile in ratione primæ veritatis in essendo, etiam est operabile in ratione ultimi finis, ideoque & ipsum lumen gloriæ non minus quam habitus fidei, cui succedit, est formaliter eminenter speculativum & practicum, & ipse actus visionis summè quietat intellectum, quod pertinet ad speculationem, simulque determinat voluntatem ad exercitium amoris fruitivi, quod pertinet ad praxin.

Q. 2. An visio Dei sit eminenter non autem formaliter complexa ?

3. Affirmativè, probatur : illa cognitio est formaliter complexa, quæ requirit plures species, quarum singulæ objectum inadæquatè repræsentant. Sic propositio, quia constat subjecto & prædicato, discursus, quia constat præmissis & conclusione, sunt cognitiones complexæ ; atqui visio beata habet pro objecto essentiam divinam indivisibiliter & adæquatè repræsentativam sui ipsius ; ergo visio Dei non est formaliter complexa. Quod autem sit eminenter complexa. *Ratio est* : quia est perfectissima scientia, per quam uno & indivisibili actu beatitudinæ divinæ essentiæ tanquam in causâ virtuali vident attributa divina, & tanquam in causâ formali creaturas possibles & actuales ; cum ergo visio Dei eminenter æquivaleret actibus scientificis, qui formantur à nobis, est eminenter & æquivalenter complexa.

Q. 3. An visio beatifica sit eminenter, non tamen formaliter reflexa ?

3. Affirmativè, ut cognitio sit formaliter reflexa, debet

debet pro objecto habere cognitionem præteritam; sed visio beatifica non habet pro formali objecto nisi divinam essentiam, nec est sibi ipsi aliquando præterita; ergo non est formaliter reflexa supra se ipsam, potest tamen dici eminenter reflexa: quia visio beata assecurat intellectum beati de perpetuitate, in quantum videt in divinâ essentiâ decretum de sui perpetuitate & sic est virtualiter reflexa supra se ipsam.

Q 4. An visio beatifica mensuretur æternitate participata.

R. Affirmativè & probatur ex S. Th. hic Q. 10. a. 2. ad 2. quod est immutabile hoc est æternum & æternitate mensuratur, ratio enim æternitatis sequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis sequitur motum, sicut ergo immutabilitatem essentialem sequitur æternitas essentialis; quæ æternitas essentialis soli Deo tanquam eni tam ab in quam ab extrinseco omnimodè immutabili est propria; sic illi quod est immutabile quoad se & ab intrinseco, est tamen mutabile ab extrinseco, convenit æternitas participata, quæ est mensura entis tam quoad se quam quoad operationes per se consequentes ab intrinseco immutabilis mutabilis tamen extrinseco; atqui visio beatifica est immutabilis ab intrinseco non tantum quoad se sed etiam quoad operationes, quæ sunt ipsi per debitæ: ut sunt amor & fruitio, in quo visio beati differt ab Angelo, qui licet sit quoad substantiam immutabilis ab intrinseco, est tamen mutabilis quoad operationes eidem per se debitas, & ideo mensuratur ævo non autem æternitate participatâ; ergo visio beata, per quam beatus efficitur Deiformis, mensuratur æternitate participatâ, quæ est simplicior & purior mensura ac divinæ durationis participatio.

Dices. S. Paulus, ut tenet communior, vidit Deum

Deum; atqui illa visio non mensurabatur æternitate participatâ: aliàs non fuisset destructa; ergo visio beatifica non mensuratur æternitate.

R. Quod, cum D. Paulo hic in vitâ fuit collata visio beatifica non juxtâ statum connaturalem & perfectum visionis, sed præter naturalem, idè poterat per accidens mensurari tempore.

### QUÆSTIO III.

*An divina essentia sine personis & una divina persona sine aliâ videri possit?*

**S**uppono: beati de facto vident omnia, quæ sunt in Deo formaliter, ut: divinam essentiam, personas, relationes, attributa, colligitur ex illo Joan. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum* & est definitum à Florent. Quod animæ purgatæ mox in cælum recipiantur & intueantur Deum trinum & unum & ratio est: quia vident Deum ut est in se, ipse autem in se est sua sapientia, sua subsistentia tam absoluta quam relativa. Quæstio solum est de possibili.

**DICO.** *Cum dicitur videbimus cum sicuti est: hoc adverbium, sicuti, determinat modum videndi ex parte rei visa: ut sit sensus: videbimus eum ita esse sicuti est: quia ipsum esse ejus videbimus, quod est ejus essentia, S. Th. hic Q. 12. a. 6. O.* Sive impossibile est Deum videre intuitivè & non videre simul essentiam cum omnibus personis.

**Probatur:** objectum videri intuitivè est illud videri sicut in se & in re est & secundum existentiam suam exercitam: in hoc enim distinguitur cognitio intuitiva ab abstractivâ; atqui implicat Deum videri, ut est in se, & non videri attributa vel relationes: quia Deus ut in se est, sic est subsistens in tribus personis & est formaliter hoc totum, quod habet; ergo implicat, quod essentia divina sese intellectui beato intelligibilitet

et communicet & manifestet. ut in seipsâ est & tamen se manifestet inadæquatè, cum divina essentia ut in seipsâ est, sit actus purus, simplicissimus, unissimus, omnia sine ullâ distinctione reali in se identificans, & consequenter, si videretur divina essentia ut in se est, & non viderentur relationes aut attributa, videretur ut in se est, ut supponimus, & non videretur ut in se est, aliter enim essentia divina esset in mente videntis, & aliter esset in seipsâ.

*Obj. 1.* Non est implicancia neque ex parte Dei visi neque ex parte visionis, quod essentia divina videatur sine relationibus; non ex parte Dei visi: quia non implicat objectum primum videri sine secundo, sed essentia est objectum primum visionis beatificæ, attributa & relationes sunt objectum secundarium; prædicatum absolutum potest videri sine prædicato relativo; essentia est perfectio absoluta, relationes sunt prædicata relativa. Neque repugnat ex parte visionis: quia visio corporea, licet sit intuitiva, non tamen attingit omnia prædicata identificata cum colore v. g. rationem qualitatis accidentalis, imò potest dari tam debilis visio, quæ nequidem discernat specificam diversitatem colorum; ergo non est de ratione intuitivæ visionis, ut attingat omnia prædicata formaliter identificata.

*2.* Esse implicanciam ex parte utriusque 1. ex parte objecti visi, quia essentia divina unitur intellectui Beati per modum speciei intelligibilis eumque determinat ad sui visionem, ut est in se, adeoque ut species adæquata & quidditativa sui ipsius, unde non potest aliquid abscondere formaliter sibi identificatum & connexum in esse intelligibili & manifestabili. 2. Est etiam implicancia ex parte visionis: quia esset ex hypothesi visio & tamen eo ipso, quod aliquam formam vel perfectionem divinam præscinderet vel absconderet, non esset visio: non enim Deum attingeret, sicuti est in se.

*Obj.*

*Obj. 2.* In priori originis, quo Pater generat Filium, jam intelligitur beatus cognitione suæ essentiæ & non cognitione Filii vel Spiritus Sancti; siquidem pro illo priori nec Filius nec Spiritus Sanctus intelliguntur producti; ergo potest dari visio divinæ essentiæ non terminata ad omnes personas.

R. N ant. quia cum prioritas originis non sit prioritas in quo, sed à quo, seu potius ordo originis, ideò in eodem & pro eodem priori, quo Pater generat Filium, eundem etiam intelligit à se adeoque pro posteriori originis genitum.

*Obj. 3.* Divina natura potest communicari ut in se est, non tamen communicatâ personalitate secum intimè identificatâ: sic Pater in divinis communicat essentiæ divinam Filio, non tamen Paternitatem; Item una persona ut in se est, potest terminare naturam humanam non terminante alterâ, uti factum in incarnatione verbi divini; ergo etiam una persona terminare potest cognitionem, ut in se est, alterâ personâ eam non terminante.

R. Negando consequentiam, disparitas est: quod personæ habeant incapacitatem tam activæ quam passivæ communicationis propter oppositionem relativam, at in esse intelligibili nullam habent oppositionem, imò sicut in ratione actus puri, ita etiam in ratione objecti intuitivè visibilis simpliciter conveniunt; unde intuitivè visâ essentiâ etiam personas simul videri necesse est.

*Obj. 4.* Omnes habitudines divinæ omnipotentis ad creaturas possibles sunt formaliter in Deo; atqui illæ omnes ab intellectu beati intuitivè non videntur; ergo potest aliquid, quod formaliter in Deo est visio Deo intuitivè non videri; ergo neque alia prædicata formaliter identificata cum divinâ essentiâ necesse est attingi per visionem quidditativam Dei.

R. Distinguendo maj. omnes habitudines divinæ omnipotentiae quantum ad id, quod dicunt in recto, sunt in Deo formaliter Con. & sic etiam videntur à Beatis. Quantum ad id, quod important in obliquo, nempe creatos effectus, sunt in Deo formaliter N. sic enim non sunt formaliter in Deo, sed tantum eminenter. Et quia denominationem ut plurimum non accipiunt nisi ex plurificatione illorum effectuum, ideo prout plures vel pauciores hujusmodi effectus videntur, sic plures etiam particulares terminationes & connexiones divinæ omnipotentiae videntur.

#### QUÆSTIO IV.

*Quid vi visionis videatur & possit videri in Deo?*

**S**uppono: licet probabiliter possit divina essentia intuitivè &, ut est in se, videri, ita ut nulla in specie cognoscatur creatura possibilis; quia essentia divina est quidem in se infinito modo imitabilis à creaturis, attamen omninò ab illis independens, nec ullam cum ipsis secundum esse creaturarum formale habens identitatem vel connexionem sicut habet cum omnibus formalitatibus Deo intrinsicis. Attamen certum est, aliquas creaturas in Deo videri: ut definitum à Trid. sess. 25. de invocat. Sanct. quod sancti pro nobis orent, nostras orationes, necessitates Deo offerant; ergo illas debent videre. Item mysteria gratiae hic obscura beati clarè in Deo vident, & se invicem absque dubio in Deo cognoscunt.

DICO. *Nullus intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia, quae Deus facit vel potest facere*, S Th. hic Q. 12. a. 8. O.

*Probatur hâc ratione: divina essentia vel omnipotentia ab aliquo intellectu creato nec comprehenditur, nec comprehendi potest; atqui si in essentiâ divinâ omnes creaturae possibiles cognoscerentur: illa comprehendere-*

hende-

henderetur: quia quando in virtute ipsius causæ videntur omnes effectus & termini possibiles illius, tunc comprehenditur talis causa: comprehendendi enim est objectum tantum cognosci quantum est cognoscibile, ideoque si causa cognoscatur secundum omnem suam vim productivam & secundum omnes habitudines, quas habet ad quoscunque effectus & terminos possibiles, cognoscitur in quantum est cognoscibilis; atqui creaturæ à Beatis videntur in Deo tanquam in causâ; ergo si omnes creaturæ possibiles videantur in Deo comprehenditur ipsa essentia divina.

*Obj. 1.* Ex hoc, quod Beati videant adæquatum terminum divinæ omnipotentiae, non sequitur, quod videant divinam omnipotentiam, in quantum est intensivè visibilis, sed ad summum in quantum est extensivè visibilis; sic anima Christi videt adæquatum objectum scientiæ divinæ visionis, nec tamen sequitur, quod eandem intensivè comprehendat; ergo non sequitur, quod divinam essentiam intensivè comprehendant.

*Rz.* N. probationis consequentiam, quia Creaturæ actuales & futuræ non sunt terminus intensivè sed extensivè adæquatus divinæ & increatæ scientiæ visionis, cum scientia visionis habeat virtutem infinities plura videndi. Unde tamen anima Christi in verbo videat omnes creaturas aliquando productas vel producendas, non tamen intensivè eandem comprehendit; e contra creaturæ omnes possibiles quatenus ex divinâ omnipotentia fluentes sunt ipsius terminus intensivè adæquatus, unde ex eorum omnium visione sequeretur intensiva comprehensio divinæ omnipotentiae.

*Obj. 2.* Beati vident adæquatum terminum divinæ generationis; nempe filium, sicut etiam adæquatum terminum virtutis spiritalis: nempe Spiritum

tum



tum Sanctum, & tamen nec virtutem generativam nec virtutem spirativam Dei comprehendunt; quia non vident illam totaliter, & in quantum est cognoscibilis; ergo etiam licet viderent adæquatum terminum divinæ omnipotentiae, illam tamen non comprehenderent.

β. Neg. consequentiam, disparitas est: quia licet beati videant totum & intensivè adæquatum terminum virtutis tam generativæ, quam spirativæ, non tamen illum vident totaliter & secundum omnem intensivam perfectionem suæ processionis, ideoque neutram virtutem comprehendunt; si verò viderent in Deo omnia possibilis, omnem simul modum essendi, omnem producibilitatem, adeoque & omnem virtutis productivæ perfectionem conspicerent, adeoque eandem comprehenderent.

Obj. 3. Si beati per possibile vel impossibile viderent per species infusas omnes creaturas possibilis in seipsis, non comprehenderent divinam essentiam; ergo neque si videant in Deo.

β. Negando Consequentiam: quia in factâ hypothesi tantum videretur adæquatus terminus divinæ omnipotentiae materialiter non verò formaliter & sub illâ ratione, quâ derivatur à virtute causæ, ideoque sicut omnes creaturæ possibilis in suo esse producto materialiter spectato sunt ens ab alio limitatum, potentialitati immersum, nec proinde ad divini esse plenitudinem pertingunt, ita etiam omnia possibilis in seipsis cognita non exhauriunt purissimam actualitatem & cognoscibilitatem suæ causæ; at, dum omnes creaturæ possibilis videntur in Deo tanquam suâ causâ, videntur in ratione termini divinæ omnipotentiae formaliter; quia videntur secundum omnem rationem; secundum quam è sinu divinæ omnipotentiae promanant.

*Obj. 4.* Si per possibile vel impossibile producerentur omnia possible, tamen in essendo non adæquarent perfectionem divinæ omnipotentia; ergo neque cognitio omnium possibleum adæquat perfectionem divinæ omnipotentia in cognoscendo, adeoque nec divinam omnipotentiam comprehendit.

*R.* Distinguendo ant. omnia possiblea producta distributivè sumpta non adæquant virtutem divinæ omnipotentia Con. collectivè simul producta non adæquant N. quia ex hac ipsâ causâ implicat omnium possibleum simultanea productio: quia omnia possiblea in esse producta exhaurirent virtutem productivam Dei, quæ est inexhaustibilis.

Q. An Beati videant in Deo omnes creaturas existentes?

*R.* Licet Beati omnem creaturam actualem in Deo videre possint: cum in hoc nulla sit implicentia, non tamen vident omnes ut Mar. 13. v. 32. *de die illo (ultimo judicii) nemo scit neque Angeli in celo; sed vident hæc omnia: fidei mysteria quoad substantiam, præterea ordinem, partes, species, naturam, virtutes, operationes & proprietates totius universi, nec non illa omnia, quæ pertinent ad cujuslibet statum, quem in hac vitâ gessit, quæque personam ipsius concernunt; quorum omnium ratio est: quia visio beatifica satiat & complet omnem appetitum rationabilem Beati; sed Beati rationabiliter appetunt imprimis clarè illa videre, quæ obscurè crediderunt, & è quibus Theologicas conclusiones deduxerunt in viâ, nec non dispositionem & seriem totius universi, cujus perfecta cognitio naturæ angelicæ est concessa, ac tandem, quæ statum & propriam personam concernunt; inde est, quod Christus Dominus cogitationes hominum &*

Angelo.

Angelorum videat, & quæcunque scientiâ visionis continentur: quia nosse hæc omnia ad ipsius statum pertinet propter dignitatem capitis & hypostaticæ unionis; hinc quoque Beati vident seriem & ordinem suæ prædestinationis: quia hæc maximè personam & statum beatitudinis concernit; vident Sancti illorum preces ac constitutionem, qui se illorum intercessioni commendant, præcipuè SS. Angeli custodes vident ea quæ circa suos clientes aguntur; videt B. V. veluti Patrona omnium Christianorum statum necessitates &c.

*Dices.* Ex cap. 10. Dan. constat fuisse quandam inter Angelos contentionem ex eo ortam, quod ipsis ignotum esset, quid circa suos clientes suæ curæ commissos divina providentia in futurum disposuerit; ergo Beati non vident omnia, quæ ad suum statum pertinent.

¶ Sufficere, quod Beati præcipuos eventus & individua ad suum statum pertinentia à principio in verbo cognoscant, omnes eventus autem in particulari successivè extrâ verbum possunt cognoscere per specialem revelationem.

Colliges 1. Quamvis remota radix perfectiùs videnti Deum & plures possibles creaturas in Deo sint merita Beati: visio enim est præmium essentiale, quod correspondet quantitati meritorum; proxima tamen radix est perfectius lumen gloriæ & perfectior unio essentiæ divinæ cum intellectu videntis Deum: tantò quippe plures effectus videntur in causâ, quanto perfectiùs virtus causæ penetratur; sed quantò perfectiùs divina essentia unitur intellectui in ratione speciei intelligibilis, tantò perfectiùs penetratur ipsius virtus causativa; ipsa autem perfectior unio fit juxtâ proportionem perfectioris dispositionis luminis gloriæ; ergo quantò perfectius est lumen gloriæ,

& unio divinæ essentiæ cum intellectu beati, tantò plures causæ possibiles videntur in Deo.

Colliges 2. Quod istæ potius quam illæ creaturæ possibiles in Deo videantur, rationem aliquo modo peti debere ex ipsis creaturis possibilibus, quarum aliqua, quia in essendo & modo essendi sunt aliis perfectiores, sublimiori activitate & virtute ad sui productionem indigent: sic intrâ sinum divinæ omnipotentia & essentiæ magis reconditæ latent, quæ proinde, ut ab intellectu videntis penetrarentur, perfectius lumen gloriæ requirunt.

Colliges 3. Quod non omnia libera decreta Dei ab ullo Beatorum terminativè cognosci possint suppositâ doctrinâ quod divina voluntas circâ nullas creaturas sive non futuras sive futuras suspensa manere aut negativè se tantum habere possit: decreta enim divina terminativè cognosci nequeunt, quin terminus eorundem in obliquo connotatus cognoscatur; sed ad terminum divinorum decretorum in hâc hypothesi pertinent omnes creaturæ possibiles, quæ ad statum non futuritionis sunt divinitus relegate; ergo nisi omnia possible videantur, omnia que decreta in Deo videri non possunt.

Dixi tamen terminativè: quia subjectivè accepta sunt actus ipse divinæ voluntatis formaliter & necessariò in Deo existens ab ipso attributo divinæ voluntatis virtualiter indistinctus, ideoque absque dubio à Beatis videntur in Deo.

Colliges 4. proxima radix videndi creaturas actuales plures vel pauciores est libera Dei ordinatio volentis & consentientis, ut suæ voluntatis & omnipotentia terminationes ad extrinseca objecta plures vel pauciores intellectui videntis Deum innotescant; non enim aliâ ratione divina essentia repræsentat creaturas, nisi ex determinatione liberi decreti;

ergo

ergo illas non nisi in vi sui liberi arbitrii manifestat; atqui decreta libera non manifestantur, nisi per liberam Dei ordinationem; quemadmodum & decreta cordium inter homines & Angelos mutuo manifestantur; ergo ratione illius liberæ ordinationis Deus plures vel pauciores creaturas manifestat, ideoque respectu illarum speculum liberum & voluntarium appellatur.

Colliges 5. Quod non eadem prorsus ratione intellectum Beati divina essentia determinet ad visionem eorum, quæ sunt formaliter in Deo, & illorum, quæ sunt solum eminenter in Deo; ad visionem enim perfectionum divinarum & personalitatum essentia divina determinat intellectum per modum speciei intelligibilis & medii quo, quia se suaque repræsentat tanquam formaliter secum eadem in ratione actus puri & intelligibilis per essentiam, creaturas verò propter causalem & eminentialem continentiam, unde ad creaturarum visionem determinat per modum speculi & medii in quo, atque ita visio immediata divinæ essentiæ ejusque attributorum est visio mediata creaturarum, non mediatione se tenente ex parte actûs; uno quippe actu visionis videtur Deus in suâ essentiâ & videntur creaturæ in eadem essentiâ; sed mediatione se tenente ex parte objecti; quia per actum visionis per se primò essentia, ratione verò essentiæ tanquam causæ naturâ præcognitæ & eminenter continentis creaturæ quoque possibiles & actuales videntur.



DISPUTATIO IX.

De essentiâ & divisione scientiæ Dei.

QUÆSTIO I.

An in Deo sit formaliter tam potentia intellectiva quam actus intelligendi?

**D**ICO. Cum Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet, quod in Deo intellectus & intellectum sint idem omnibus modis S. Th. hic Q. 14. A. 2. O.

Conclusio probationem involvens explicatur: in ente, quod sub omni conceptu est actus purus, nihil potest esse aut concipi per modum potentia; sed Deus est actus sub omni conceptu purus: quia est à se & simpliciter infinitus, & si intellectus distingueretur ab intellectione vel intellectu etiam solâ ratione, haberet se intellectus per modum potentia ad suum actum, per modum perfectibilis ad suum perfectivum, per modum determinabilis ad suum determinans, & consequenter esset in Deo compositio logica, quod dici non debet; ergo nequit intellectus ab intellectione in Deo etiam ratione distingui.

*Obj. 1.* Natura concipitur in Deo absque imperfectione velut perfectibilis ab attributis; ergo etiam intellectus ab intellectione.

*R.* Negando consequentiam: ut natura concipiat ut perfectibilis ab attributis, sufficit quod conceptus explicitus naturæ non sit explicitus conceptus attributorum, actus autem primus nec imbec explicitè debet includere actum secundum. Item natura tantum est perfectibilis secundum quid, & quoad solum explicitum, quod non infert compositionem, sed actus primus perduceretur simpliciter

ter

ter adeoque componeret; *demum* dum concipitur natura, intelligitur quid in lineâ naturæ perfectissimum, non verò intelligitur perfectissimum in lineâ attributorum, sicut debet in Deo intelligi, quod pertinet ad lineam intelligendi, ut perfectissimum in illâ lineâ.

*Obj. 2.* Non potest intelligi intellectio per modum actionis, quin intellectus intelligatur per modum principii, intellectus autem conceptus per modum principii intelligitur per modum actûs primi.

*R.* Distinguendo maj. non potest intelligi intellectio per modum actionis elicita, quin intellectus concipiatur per modum principii Con. non potest intelligi intellectio per modum actionis per se subsistentis N.

*Obj. 3.* in Deo intelligitur potentia generativa; ergo etiam intellectiva.

*R.* In Deo datur potentia generativa distincta à generatione N. distincta à filio, cui relativè opponitur Con. potentia generativa est principium filii seu termini geniti, cui relativè opponitur, non generationis, cui formaliter identificatur, potentia autem intellectiva in Deo nec ab intellectu nec ab intellectu distinguitur, sed cum iisdem formaliter identificatur.

## QUÆSTIO II.

*An in Deo sit scientia, & respectu quorum?*

**S**uppono 1. Certum est imprimis, Deum nihil nescire, omnia illi esse cognitissima, quæ fuerunt scilicet sunt & erunt, ac demum quæcunque possunt esse, *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus ad hebr. 4. & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus Ps. 138. v. 5. ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua* deinde hæc cognitio est e-

videns, certa, omnis falsitatis & erroris erpers :  
*quoniam Deus lux est & tenebra in eo non sunt ulla* Joan.  
 1. v. 5. & consequenter hæc cognitio est scienti-  
 fica. Ulterius hæc cognitio scientifica est æterna,  
 neque enim Deo aliquid accidere potest, quod ab  
 æterno non habuit ; cum sit immutabilis : *ego Do-*  
*minus & non minor* Malach. 3. v. 6. demum illa  
 cognitio scientifica æterna ab ejus essentiâ realiter  
 non est distincta : quia Deus omnis compositionis  
 est expers, & quidquid in Deo est, est Deus ; sed  
 in præ-enti quæritur ; an illa scientia Dei sit scientia  
 propriè & strictè dicta.

*Suppono 2.* Scientia strictè dicta est cognitio rei  
 per causam, ideoque est cognitio discursiva ; dis-  
 cursus autem est duplex : formalis & virtualis ; for-  
 malis est, quando ex cognitione unius prius tempo-  
 re cogniti devenimus in cognitionem alterius, &  
 hic discursus repugnat Deo : quia in Deo non da-  
 tur pluralitas nec successio nec dependentia realis  
 unius cognitionis ab aliâ ; discursus virtualis est,  
 quando unus & idem actus realiter ex vi unius prius  
 naturâ cogniti cognoscit aliud illi subordinatum ;  
 sicut enim in discursu formali una cognitio est causa  
 realis alterius cognitionis, ita in una eademque  
 cognitione attingentia causæ secundum nostrum mo-  
 dum intelligendi est causa, quod attingatur effectus ;  
 ideo enim attingit effectum, quia attingit causam,  
 & ita in uno actu est quædam prioritas attingentiæ  
 respectu causæ & dependentia attingentiæ respectu  
 effectûs ; talis discursus virtualis est in Angelis,  
 qui non cognoscunt effectus per causas prius tem-  
 pore cognitæ, sed cognoscunt effectus in causis  
 uno eodemque actu.

*Suppono 3.* Discursus virtualis potest abstrahere ab  
 omni imperfectione ; quamvis enim importet aliquam  
 priori-



prioritatem & dependentiam, illa tamen non tenet se ex parte actus, sed ex parte objectorum, quæ cum à se invicem dependeant, intellectus cognoscens ea, quæ in terminando cognitionem habent talem dependentiam, debet virtualiter discurrere, quare talis discursus virtualis non repugnat intellectui divino, sicut etiam in voluntate divinâ est discursus virtualis: nam Deus vult omnia propter semetipsum; ita quidem, ut si per impossibile divina volitio resolveretur in plures volitiones, una esset causa alterius videlicet volitio suæ bonitatis esset causa volitionis bonitatis creaturæ, eodem modo Deus idè cognoscit Creaturas, quia cognoscit suam essentiam, quæ est causa Creaturarum, ita ut, si per impossibile cognitiones distinguerentur, cognitio divinæ essentiæ esset causa cognitionis Creaturarum. His præmissis.

DICO. *in Deo perfectissimè est scientia S. Th. hic Q. 14. a. 1. O.*

Probat: ad propriam & formalem scientiam sufficit, quod unum cognoscatur per aliud vel tanquam per suam rationem formalem & causam virtualem: sic metaphysica est scientia propriè dicta: quia demonstrat passionem entis, ens autem non habet rationem causæ nisi virtualis, Theologia est scientia, quæ de Deo demonstrat attributa, respectu quorum essentia divina est causa virtualis; & hâc ratione ratio scientiæ propriè dicta salvatur respectu intellectûs creati. Vel quod eâdem cognitione cognoscatur effectus in causâ & dependenter à causâ; atqui licet priori ratione fortè non sit scientia in Deo: quia ita solus intellectus creatus cognoscit unum attributum per aliud & omnia attributa per divinam essentiam tanquam per rationem formalem: nam divina essentia est ratio, cur Deo convenient attributa & unum attributum est ratio alterius; attamen cognoscit omnes veritates creatas in

suâ essentiâ ut in causa, omnes effectus & omnes illarum causas: has enim causas præparavit illis effectibus, & omnia alia à se cognoscit in semetipso tanquam in primâ causâ efficiente & exemplari & finali; ergo datur in Deo perfectissima scientia.

*Obj. 1.* Cognitio scientifica est, quâ effectus cognoscitur per suam causam, & quæ procedit ex principiis prioribus & notioribus & itâ præsupponit habitum principiorum; atqui hæc non reperiuntur in Deo, qui est objectum primarium suæ cognitionis, in quo nihil est causatum nec causa: quia quidquid est in Deo, non est causatum, sed prima causa Creaturarum,

*R.* Distinguendo maj. Cognitio scientifica est cognitio rei per causam vel prius & distincto actu cognitam, vel simul eodem actu cognitam Con. Semper distincto actu cognitam N. Quamvis in Deo essentia non sit causa actualis attributorum: cum nihil sit in Deo causatum; est tamen causa virtualis sive ratioformalis cur attributa Deo conveniant: nam si per impossibile attributa divina haberent causam, non haberent aliam, quam divinam essentiam; talis autem cognitio propter suam eminentiam & infinitatem habet rationem intelligentiæ, inquantum terminatur ad divinam essentiam; scientiæ verò aut sapientiæ, inquantum terminatur ad divina attributa quasi ad proprietates suæ essentiæ & ad Creaturas ut effectus in divinâ essentiâ cognitos; videt quidem Deus ex parte sui omnia uno intuitu, at ex parte rerum videt omnia quodam ordine effectus videl. in suis causis proximis, causas proximas in suis causis universalioribus, & tandem has in semetipso velut in causâ primâ & fonte omnium aliarum rerum.

*Obj. 2.* In discursu virtuali debet nostro modo intelligendi esse quædam prioritas & dependentia in ipso actu cognitionis, qui cognoscit unum dependentem ab alio;

io ; sed in actu divinæ scientiæ non potest esse talis prioritas & dependentia : cum Deus non cognoscat effectus per causas , nec conclusiones per principia ; sed potius cognoscat effectus in suâ causâ & conclusiones in suis principiis.

*R.* Distinguendo maj. In discursu virtuali debet esse aliqua dependentia respectu actus cognoscentis N. respectu objecti cogniti Con. dum dicitur Deus cognoscere aliquid per suam causam , non est intelligendum , quod unum cognoscat dependenter ab alio vel mediante alio : nam omnia uno simplici intuitu cognoscit in suâ essentiâ : sed dependentia est solum ex parte objecti ; Deus enim omnia perfectè cognoscens cognoscit unum esse causam & aliud esse effectum causæ illius , unde magis propriè dicitur , quod cognoscat effectus in suâ causâ quam per causam : cum hoc ultimum denotet , quod cognitio causæ sit causa cognitionis effectus.

*Q.* An scientia in Deo sit speciale attributum ?

*R.* Affirmativè : quia perfectio absoluta virtualiter ab essentiâ divinâ distincta est attributum speciale ; atqui scientia Dei est perfectio absoluta virtualiter ab essentiâ distincta : quia scire in Deo respicit objectum formale adæquatè diversum ab intelligere Dei : intelligere enim divinum prout est constitutum divinæ essentiæ respicit essentiam divinam quatenus est intelligibile divinum ut sic , scire autem respicit ens divinum , quatenus est intelligibile hoc determinato modo , vel ut est cognoscibile per causam vel rationem à priori ; sicut enim in Deo voluntas distinguitur virtualiter à misericordiâ : quia voluntas Dei respicit bonitatem divinam in omni suâ latitudine , & misericordia respicit eandem bonitatem divinam determinato modo scilicet ut est determinatè ratio sublevandi miseriam ; ità etiam intelligere divinum constitutum divinæ essentiæ di-

fin-

stinguitur virtualiter à scire : quia intelligere respicit ens divinum in omni suâ amplitudine seu ut est intelligibile divinum ut sic, scientiâ autem respicit idem ens divinum determinato modo nimirum : ut est causa & ratio formalis aliorum.

*Obj. 1.* Intelligere Dei spectat ad intrinsicum constitutum divinæ essentiæ ; ideoque debet esse summè perfectum intrâ genus & lineam intelligendi ; sed intelligere perfectissimum intrâ lineam intelligendi est scientificum : cum intelligere , quod non pertingit ad rationem scientiæ, non habeat omnem perfectionem possibilem in genere intelligendi.

*R.* Distinguendo maj. Intelligere Dei constitutum divinæ essentiæ debet esse summè perfectum perfectione eminenti & virtuali tam intrâ omnes lineas intelligendi quam intrâ cæteras alias lineas. Con. debet esse summè perfectum intrâ omnem lineam & genus intelligendi , itâ ut omnes lineas ad genus intelligendi spectantes formaliter contineat N. etenim intrâ genus secularitatem intelligendi sunt plures & diversæ lineæ, quia sunt plura & distincta objecta adæquata formalia, quodvis autem objectum formale adæquatum originat unam lineam, unde intelligere divinum quatenus constituit essentiam divinam formaliter absque ullâ distinctione virtuali continet ea , quæ spectant ad lineam naturæ, quamvis , quia linea ista est primordialis & radicalis debeat per modum radicis radicaliter præhabere perfectionem aliarum linearum , sive illæ sub ordine & genere intelligendi sive sub quovis alio ordine & genere contineantur.

*Obj. 2.* Intelligere constitutum divinæ essentiæ est intelligere comprehensivum : quippe convenit cum Deo in ratione immaterialitatis ; & est tantum in ratione intellectiois , quantus est Deus in ratione objecti intelligibilis ; atqui intelligere comprehensivum Dei est

De scire  
est formaliter scire  
quoniam causa o  
scire ac conse  
centuram per  
Distingua  
betur Dei a  
omnes creatura  
invisi attribui  
lib ratione di  
ratione objecti  
divinæ essentia  
rationis à p  
lineas in ratio  
comprehensiva  
scirent, in  
tunc sub quâ n  
essentiam sub rati  
scirent attribua  
et linea intellige  
et attributa ra  
uniquid divini  
Obj. 3. Idem est  
divini : esse  
attributa distincta  
idem essentia etiam  
quodidem virtualite  
Distingua  
specificum divinum in  
talis immortali qu  
objecti moti tantu  
fuerunt divina  
Explicatur essentia  
intentionaliter, p  
scirent & per le prim  
aliam causam vel fore

est formaliter scientificum: quia attingit in Deo tanquam in causâ omnia attributa, cunctas creaturas possibili- ac consequenter est cognitio attributorum & creaturarum per suam causam.

R. Distinguendo probat ini. Intelligere comprehensivum Dei attingit essentiam divinam, attributa & omnes creaturas, cognoscendo essentiam esse rationem à priori attributorum & causam actualem creaturarum sub ratione divinæ essentiæ in omni suâ latitudine in ratione objecti intelligibilis ut sic Con. Sub ratione divinæ essentiæ in quantum habet rationem causæ vel rationis à priori N quia divina essentia spectat ad duas lineas in ratione objecti, habet Deus intellectiones comprehensivas virtualiter distinctas ad diversas lineas spectantes, ita, ut quod una attingit per modum rationis *sub quâ* videl. linea scientiæ, quæ attingit essentiam sub ratione causæ & in quantum est ratio inferens attributa; id alia attingit sub ratione *quæ*; videl. linea intelligendi primordialis Dei attingit essentiam & attributa tanquam rationem *quæ*, in quantum sunt aliquid divinum intelligibile.

Obj. 3. Idem est specificativum scientiæ & intellectûs divini: essentia enim divina ut virtualiter ab attributis distincta specificat intellectum divinum, & eadem essentia etiam specificat divinam scientiam; ergo nequidem virtualiter distinguuntur.

R. Distinguendo probat. assump. Essentia divina specificat divinum intellectum sub ratione objecti formalis tam motivi quam terminativi Con. Sub ratione objecti motivi tantum N, Scientiam autem Dei specificat essentia divina sub ratione objecti solum motivi. Explicatur: essentia divina sub duplici ratione suæ cognitioni obicitur, primò in ratione objecti connaturalissimi & per se primò intelligibilis, quod per nullam aliam causam vel formalem vel virtuales cognosci potest,

test,

rest, & hoc modo non solum est formale objectum motivum, seu prima ratio cognoscendi seipsum, sed etiam est objectum terminativum, quod ratione suæ infinitæ intelligibilitatis à se existentis per se primò intuitioni divinæ objicitur, quanquam ea ipsa cognitio utpote comprehensiva etiam attributa velut terminos secundarios, creaturas verò velut terminos materiales in essentiâ eminenter contentos respiciat. 2dò, Essentia divina objicitur suæ cognitioni in ratione causæ tam virtualis respectu attributorum quam formalis respectu creaturarum tam in essendo, quam cognoscendo, quâ ratione non exercet munus objecti terminativi sed motivi: quia ipsa essentia non cognoscitur per causam sed est ratio, per quam tanquam causam virtuales attributa velut objectum terminativum cognoscantur & est causa formalis, per quam Creaturæ velut objectum materiale terminativum attinguntur.

*Obj. 4.* Si scientia Dei sit particulare attributum distinctum ab aliis virtutibus intellectualibus, sequitur: quod debeant admitti tot attributa quot sunt scientiæ: nam si infinitas intellectûs divini non sufficit, quod contineat formaliter absque ullâ distinctione virtuali omnes virtutes intellectuales, quæ sunt diversæ secundum propriam rationem, infinitas scientiæ non sufficit, ut scientia divina contineat formaliter omnes scientias, quæ etiam secundum proprias rationes sunt diversæ.

*R.* Negando consequentiam; disparitas est: quod scientiæ particulares secundum suam rationem formalem non dicant perfectionem simpliciter simplicem; nam quod sit cognitio per causam, est quidem perfectio simpliciter simplex, quod autem sit cognitio hujus vel illius effectûs per hanc vel illam causam est de materiali & per accidens & solum exprimit perfectionem secundum quid, ideoque scientiæ particulares non sunt

De essentia  
sunt in se forma  
vel intellectuales  
et hocque dat  
non formaliter  
de seipso, sed  
attributa s. i.  
essentiam scilicet  
pot. attingit  
essentiam sive i.  
essentiam, ut quæ  
in procedentiam,  
est suprema ratio  
rum; in am  
piscit, vel ratio  
Q  
Ab ipsa Deo ex  
an  
NICOL. Cassi  
seque, quæ  
hic Q. 14. a. 1.  
Probatur; intelle  
receptio, sicut  
corporalis rei sensibili  
equatur intellectu  
essentiam spiritualiter &  
addeat prout in intel  
lectum intelligere nihil  
materiale immateri  
aliis percipere; atque  
comm. vis immen  
suumque percipiendi  
tiaz de actu operati  
possibilitate esse;  
de est materia de

sunt in Deo formaliter sed solum eminenter, virtutes verò intellectuales sunt perfectiones simpliciter simplices, ideoque dantur formaliter in Deo, & cum una non sit formaliter altera, attribuuntur Deo sub diversis conceptibus, ac ità intellectio Dei distinguitur in varia attributa secundum diversitatem virtutum intellectualium scilicet in intellectum sive intelligentiam, prout attingit divinam essentiam per se notam, in scientiam sive sapientiam, prout attingit divinam essentiam, ut primam & altissimam causam omnium; in prudentiam, quæ attingit divinam essentiam, ut est suprema ratio agibilium, id est: actionum divinarum; in artem, quæ eandem divinam essentiam respicit, ut est ratio omnium factibilium ad extra.

### QUÆSTIO III.

*An scientia Dei ex immaterialitate rectè probetur & an sit discursiva?*

**D**ICO I. *Cum Deus sit in summo immaterialitatis sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis S. Th. hic Q. 14. a. 1. O.*

*Probatur:* intellectio est immaterialis & spiritualis rei perceptio, sicut e contra sensatio est materialis & corporalis rei sensibilis perceptio, & ex hoc in nobis requiritur intellectus agens, ut speciem per sensus acceptam spiritualizet & depuret à materialitate, ac ità reddat proximè intelligibilem; intellectum igitur nostrum intelligere nihil est aliud, quam potentiam immaterialem immaterialiter speciem intelligibilem vitaliter percipere; atqui substantiæ immateriali necessariò competit vis immaterialiter & cum proportionem ad suum esse percipiendi objectum: quia omni substantiæ debetur vis operativa conformis suæ naturæ & proportionata suo esse; ergo omnis substantia immaterialis est intellectiva de facto & possibili, ità, ut Deus,

QUI

cum sit summè immaterialis & simplicissimus, habeat intellectum perfectissimum & perfectissime sit sciens.

*Obj 1.* Bruta cognoscunt & tamen non sunt immaterialia; aer recipit species immateriales, & tamen non cognoscit; voluntas est immaterialis, & tamen non est cognoscitiva; ergo ex immaterialitate non inferitur intellectivitas.

*Rz.* Bruta recipiendo species abstrahunt à materia singulari, quamvis non abstrahant à materiâ sensibili, ideoque sicut sunt imperfectè cognoscitiva, sic valdè imperfectè sunt immaterialia. 2dò. Aer recipit species non intentionaliter, ut sunt species, sed physicè ut sunt merè accidentia; demum voluntas est accidens substantiæ intellectivæ, posse autem intelligere est posse agere, quod convenit substantiis spiritualibus per se subsistentibus; intellectus est accidens & potentia spiritualis, quâ substantia creata spiritualis intelligit, voluntas est accidens vel potentia spiritualis, quâ substantia creata intellectualis bonum, quod est intellectum vel cognitum, vult.

*Obj 2.* Tres personæ in Ss. Trinitate sunt immateriales & per se subsistunt singulæ, & tamen non habent singulæ suum intellectum.

*Rz.* Tres personæ divinx sunt per se subsistentes in unâ eâdemque naturâ communi: cum autem natura sit principium radicale motûs & quietis, communem habent intellectum.

**DICO 2.** *Cum Deus effectus suos in seipso videat, sicut in causâ, ejus cognitio non est discursiva* S. Th. hic Q 14. a. 7. O.

Conclusio intellecta de discursu formali probatur; omnis discursus formalis exigit vel successionem cognitionum, si sumatur latius, vel causalitatem cognitionum secundum quam una cognitio per aliam causatur;

De Eternitate  
... immateriali  
... ad cognoscendum  
... non intellexit  
... qualis discursus

Quomodo

**DICO.** Quomodo  
... men vel  
... Deus scire  
... sunt in potentia  
... nec error, neq  
... habere scientiam  
... hic Q 14. a. 9. 1  
... Epiphane con  
... vicia & simpliciss  
... sed solum entitate  
... cum, ac via nos  
... bis comparatur  
... nem, sed creat  
... hanc partem possit  
... vel forare line, &  
... ad illas scientia De  
... ite. 2dò. Conclit  
... nitate ad existendi  
... respectu eadem ind  
... notens vocatur li  
... Constat inquantu  
... habens necessitam  
... citatum hoc mod  
... tur naturalis & ne  
... inquantu habent  
... rate ad habendam a  
... ingenta scientia voc  
... Pars I. Theol.



pur; sed utrumque Deo repugnat: quia videt simplicissimo intuitu omnia simul, neque procedit ex noto ad cognoscendum aliud ignotum; ergo scientia Dei non formaliter sed solum virtualiter juxta dicta præced. quæst. est discursiva.

#### QUÆSTIO IV.

*Quomodo dividatur scientia Dei?*

**D**ICO. *Quedam licet non sint tunc in actu, tamen vel fuerunt vel erunt; & omnia ista dicitur Deus scire scientiâ visionis. . . . Quedam verò sunt, quæ sunt in potentiâ Dei vel creatura, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis sed simplicis intelligentiæ. S. Th. hic Q. 14.2 9. O.*

Explicatur conclusio: cum scientia Dei non sit nisi unica & simplicissima in se, illa non distinguitur in se, sed solum extrinsecè respectivè ad objectum extrinsecum, ac ità tot sunt scientiæ in Deo, quot modis à nobis considerantur creaturæ in ordine ad Deum cognoscentem, sed creaturæ considerantur 1. mò. Secundum statum puræ possibilitatis abstrahendo, an sint, fuerint, vel futuræ sint, & sub hâc consideratione terminatur ad illas scientia Dei, quæ vocatur simplicis intelligentiæ. 2. dò. Considerantur Creaturæ, prout sunt determinatæ ad existendum vel non existendum, & sub hoc respectu eadem indivisibilis scientia Dei Creaturas cognoscens vocatur scientia visionis. 3. tiò. Spectantur Creaturæ in quantum sunt aliquod verum cognoscibile habens necessariam connexionem prædicatorum essentialium & hoc modo illas respiciens scientia Dei vocatur naturalis & necessaria. 4. tiò. Spectantur Creaturæ in quantum habent determinationem à liberâ Dei voluntate ad habendam aliquando existentiam & ità illas attingens scientia vocatur scientia Dei libera. 5. tiò. De-

num scientia Dei in quantum est ars sive omnipotentia Creaturas efficiens vocatur scientia Dei practica in quantum cognoscit impossibilia, non entia, peccata vocatur scientia Dei speculativa.

Ex his colliges: quod divisio scientiæ Dei in scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis sit adæquata: quia datur per membra contradictoriè opposita: etenim vel Creatura consideratur secundum puram possibilitatem, vel non: si primum est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ; si secundum est objectum scientiæ visionis; si primum, non intelligitur Creatura subesse exercitio divinæ libertatis, ideoque est objectum scientiæ necessariæ naturalis & speculativæ; si secundum subest exercitio libero divinæ voluntatis, ideoque est objectum scientiæ liberæ & practicæ.

*Q. I.* Ad quam scientiam referatur cognitio Dei, quâ seipsum cognoscit?

*R. I.* Si scientia latius sumatur pro quâvis cognitione certâ & evidente, potest dici, quod illa cognitio sit scientia, quæ refertur ad scientiam simplicis intelligentiæ vel scientiam necessariam; 2. Si sumatur scientia in omni rigore, simplex ille intuitus & intelligentia, quâ seipsum comprehendit, pertinet potius ad primam virtutem intellectualem quam ad scientiam, ut contra distinguitur contra habitum principiorum: quia Deus propriè non discurrit de seipso etiam virtualiter, cum non ex vi connexionis, quam habent attributa secundum nostrum modum intelligendi cum essentiâ, cognoscat attributa: quia hæc sunt ipsa essentia divina, & distinctio virtualis inter essentiam & attributa est potius respectu nostri intellectus, quam respectu intellectus divini, unde non est virtualis discursus mentis divinæ de uno in aliud & consequenter non est in omni rigore scientia de Deo, sed scientia in Deo de Creaturis, quatenus Deus cognoscendo se virtualiter currit ad alia extrâ se.

*Q.*

De scientia & Q. Qui scientiam

quantum, scientia liberâ ea nomen, non potest manere solus, postea dicitur jurisdictionis ablatum manere suspensum

DISPU

De de

Q.

An sit scientia de seipso prima

Deo. Sicut propter

Deum, quam scientiam

ad 4. Sive sola divina est

etiam primarium scientie

Probat: objectum

quod Deus primario intel-

ligit; atqui Deus prim-

ario esse est maximum int-

uitus à se intelligi, ut

etiam divina est primario

et, & consequenter suæ

essentiæ est summum &

et objectum primarium d-

quod eodem essentia est

trium, et objectum primari-

Q. A. S.

An Deus cognoscit

R. In oblatione; et

etiam virtuales qu-

Q. 2. Quâ scientiâ cognoscit Deus possibilea nunquam futura.

R. Scientiâ liberâ visionis : quia Deus liberè vult ea non existere, non enim divina voluntas circa aliquid possibile mansit suspensa, sed illud aut voluit aut noluit licet ut postea diceretur voluntas divina ratione libertatis contradictionis absolutè circa omnes res creatas poterit manere suspensa.

## DISPUTATIO X.

*De objecto scientiæ Dei.*

## QUÆSTIO I.

*An sola essentia divina præcisè sumpta sit objectum primum scientiæ Dei?*

**D**ICO. *Species principalis intellecti in Deo nihil est aliud, quam essentia sua S. Th. hic Q. 14. 2. §. ad 3. Sive sola divina essentia secundum se est objectum primum scientiæ Dei.*

Probatum : objectum primum scientiæ Dei est, quod Deus primario intelligit, & per quod omnia intelligit; atqui Deus primario intelligit suam essentiam; quia ipsa est maximum intelligibile, & per illam omnia alia à se intelligit, ut statim videbimus. Ergo essentia divina est primum objectum suæ intellectio- nis, & consequenter suæ scientiæ, quemadmodum sua essentia est summum & infinitum bonum, & hinc est objectum primum divinæ voluntatis, ita, inquantum eadem essentia est summum & infinitum verum, est objectum primum suæ intellectio- nis.

## QUÆSTIO II.

*An Deus cognoscat alia à se & quomodo?*

**T**Ria hic disputantur; 1. mò. An Deus omnes Creaturas tam actuales quam possibileas cognoscat non  
K 2
solum

solum secundum esse eminentiale, quod habent in Deo, sed etiam secundum esse formale & proprium ipsarum, quod vel habere possunt vel habent aliquando in propria mensurâ; 2dò. An esse proprium creaturarum cognoscat immediatè in creaturis ipsis vel in seipso. 3tio. An in seipso tanquam medio incognito habente vices speciei intelligibilis, an in seipso tanquam medio cognito & tanquam causâ habente rationem speculi intelligibilis.

DICO I. *Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum quod ab aliis distinguuntur. S. Th. hic Q. 14. a. 6. O.*

Probatur 1. ex Script. ad Hebr. 4. v. 13. *Non est ulla Creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Genes. 1. v. 31. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona. Eccl. 16. Ecce calum & celi calorum abyssus & universa terra & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur, quæ verba in proprio sensu intelligenda, cum inde nullum resultet incongruum, sed maxima convenientia.*

Probatur 2. ratione: quæcunque subsunt divinæ providentiæ: requirunt distinctam sui cognitionem; sed omnes Creaturæ subsunt divinæ providentiæ secundum esse proprium; ergo etiam secundum esse proprium debent cognosci; maximè, cum hæc cognitio nullam involvat imperfectionem, sed merissimam perfectionem Deo necessariò attribuendam.

Obj. 1. Ex S. Hieron. in illud Habac. 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: absurdum est, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur.*

Rz. Juxtà explicationem Mag. sent. L. 1. dist. 39. mens S. Dis est, quod Deus irracionales Creaturas

non

De Objecto  
non nisi illa species  
dicuntur sufficienter  
beatissimè ad simpliciter  
minimè in quo sensu  
adipoint illud Apoc.  
Iura est Deus?  
I. a. Quod dicit  
intelligibile; quia cognoscit  
quod in se nihil, ut  
qui Creaturæ possunt  
cognoscibiles

Ad hæc objectionem  
possibiles admodum habent  
nam, quod est medium  
de omni aliquid præter  
appropinquat ad certitudinem  
requiritur propria distinctio  
Creaturæ possibilis a re  
hæc non habentur in creaturæ  
obitu, habentur tamen in  
repectu hanc distinctionem  
sensu habet.

n. Eo modo aliquid cogit  
igitur Creaturæ possibilis  
aut, non potest cogit  
quæ vixit divinæ creaturæ  
certitudine certitudo omnia  
tunc omnia sua certitudo  
videtur, secundum hæc p  
quæ in causâ cognoscit  
præter certitudinem, qui h  
dicitur, quod secundum  
habent certitudinem, quæ  
non est sua certitudo &  
veritas, a. s. a. a. Dicitur

non respiciat illâ speciali providentiâ ordinativâ me-  
diorum tam sufficientium quam efficacium in finem  
beatitudinis adipiscendæ, quâ Deus respicit Creaturas  
rationales; in quo sensu etiam D. Ang. hic Q. 22. a. 2.  
ad 5. exponit illud Apost. 1. Cor. 9. *Nunquid de bo-  
bus cura est Deo?*

*Obj. 2.* Quod in se actu non est, non est actu cog-  
noscibile; quia cognoscibilitas est ratio entis, ideoque  
quod in se nihil est, non est etiam cognoscibile; at-  
qui Creaturæ possibiles nihil sunt actu; ergo non sunt  
cognoscibiles.

Ad hanc objectionem respondent Scotistæ: Creaturas  
possibiles ab æterno habuisse aliquod esse reale diminu-  
tum, quod est medium inter ens reale & rationis, ac  
de utroque aliquid participat: cum ente reali habet non  
repugnantiam ad existendum, cum ente rationis habet  
negationem physicæ & realis existentiae; dicunt igitur  
Creaturas possibiles ab æterno cognosci potuisse: quia  
licet non habuerint ab æterno esse physicum & perfe-  
ctum, habuerunt tamen esse diminutum & cognitum;  
rejectâ hâc distinctione, quæ plus subtilitatis quam  
veritatis habet.

R2. Eo modo aliquid cognosci, quo habet esse, cum  
igitur Creaturæ possibiles non habeant esse nisi in suâ  
causâ, non potuerunt cognosci nisi in suâ causâ: cum  
igitur virtus divinæ essentiae & omnipotentiae in se emi-  
nentissimè contineat omnes creaturas possibiles secun-  
dum omnia sua prædicata formalia, specifica & indi-  
vidualia, secundum hæc prædicata in suâ essentiâ tan-  
quam in causâ cognoscit. Fundatur hæc solutio in  
præceptore nostro, qui hic Q. 14. a. 9. ad 1. dicit:  
*dicendum, quod secundum quod sunt in potentiâ, sic  
habent veritatem ea, quæ non sunt actu, verum est  
enim esse ea in potentiâ: & sic sciuntur à Deo & Q. 2. de  
verit. a. 3. ad 12. Dicendum, quod quamvis cognitio*

*non sit nisi entis, non tamen oportet, quod illud, quod cognoscitur sit tunc ens in sui naturâ, quando cognoscitur.*

**Obj. 3.** Intellectus fit in esse intelligibili illud, quod cognoscit: quia anima in cognoscendo fit ipsum cognitum in esse intelligibili & repræsentativo; ergo si Deus ab æterno cognoscat Creaturas, fuit ab æterno in esse intelligibili Creatura, imò negatio, peccatum, quæ omnia cognoscit.

**2.** Distinguendo ant. Intellectus fit objectum, quod cognoscit per propriam speciem quidditativam velut objectum primarium & motivum Con. Quod cognoscit per modum secundarii materialis & pure terminativi N. Creaturæ autem possibiles cognoscuntur à Deo non per propriam sui speciem, sed in essentiâ divinâ tanquam in causâ & medio prius cognito, negationes autem & peccata cognoscuntur in formis oppositis.

**DICO 2.** *Deus seipsum videt in seipso. . . . Alia autem à se videt non in ipsis sed in seipso S. Th. hic Q. 14. 2. 5. O.*

Probatur: Si Creaturæ cognoscerentur à Deo immediatè in seipsis, deberent ipsæ per se vel per aliquam speciem propriam conjungi cum intellectu divino: quia ad omnem intellectionem requiritur unio intentionalis cogniti cum cognoscente; atqui Creaturæ non possunt immediatè conjungi intellectui divino: quia ita pertinerent ad objectum motivum formale & specificativum divinæ cognitionis: illud enim est objectum formale, quod per se primò ratione sui attingitur; neque etiam conjungitur intellectui divino per aliquam speciem propriam: illa enim vel esset aliquid creatum vel increatum: de creato est eadem ratio quæ est de Creaturâ; ergo implicat intellectum divinum videre Creaturas in seipsis; quamvis enim Creaturæ sint in se.

De Objecto  
seipsum videt  
per seipsum  
Deum, videt ea  
seipsum tamen De  
per seipsum. quæ  
tanquam medio  
entis in seipsum et  
creaturas in seipsum  
ne, nisi ratione  
se intelligit  
DICO 2. Deus  
cognoscit seipsum  
S. Th. hic Q. 14. 2. 5.  
Probatur: En modo  
quod modum  
debet in Deo cognoscere  
cognoscit in se tanquam in  
que objectum in alia re  
proprie similitudinem  
speciem representat  
intentionem, quomodo  
causam manifestat  
intentionem, quomodo  
intentionem divinam non  
cum Creaturis, nec  
representat solum  
representat Creaturas  
Obj. 1. S. Th. hic Q.  
non solum cognoscit  
seipsum naturâ  
S. Th. hic Q. 14. 2. 5.  
plurimum cognoscit  
noscit in parte rei  
in se et per cognoscit  
cognoscit  
cognoscit

seipſis cognoscibiles, ideoque anima Christi & beati præter matutinam cognitionem, quâ Creaturas in Deo vident, vident eas dein cognitione vespertinâ in seipſis, quia tamen Deo convenit modus intelligendi perfectissimus, qualis est videre Creaturas in suâ essentiâ tanquam medio infinitè nobiliori & modus videndi creaturas in seipſis est imperfectus, idè implicat videre creaturas in seipſis; sed sicut Deus nihil aliud à se vult, nisi ratione suæ bonitatis, ità etiam nihil aliud à se intelligit nisi ratione suæ essentiæ.

DICO 3. *Deus non cognoscit per causam quasi prius cognitam effectus cognitos; sed eos cognoscit in causâ*  
Ss Th. hic Q. 14. a. 7. ad 2.

*Probatur*: Eo modo Deus in se cognoscit Creaturas, quo modo continet; atqui creaturæ eminenter continentur in Deo tanquam in suâ causâ; ergo etiam illas cognoscit in se tanquam in suâ causâ: nam quodcumque objectum in alia re repræsentatur, vel repræsentatur propter similitudinem formalem, quemadmodum species repræsentat suum objectum, vel propter dependentiam, quomodo relatio suum terminum, effectus suam causam manifestat, vel propter continentiam virtuales, quomodo causa repræsentat suum effectum; sed essentia divina non habet similitudinem formalem cum Creaturis, nec habet dependentiam ab eisdem; ergo easdem solum repræsentat per modum causæ eminenter Creaturas continentis

*Obj. 1.* S. Th. hic Q. 14. a. 6. ad 1. dicit: *Deus non solum cognoscit res esse in seipso sed... cognoscit eas in propriâ naturâ.*

2. Juxtâ mentem S. D. res aliqua potest dupliciter cognosci in se ipsâ, nimirum ex parte cognoscentis & ex parte rei cognitæ, tunc cognoscitur in se ex parte cognoscentis, quando per suam speciem cognoscitur; tunc verò ex parte rei cognitæ,

quando cognoscitur esse, quod habet in propriâ naturâ; sensus igitur loci adducti est: sicut nos cognoscendo res per species proprias cognoscimus, quidquid est in propriâ earum naturâ cognoscendo eas in se ipsis ex parte cognoscentis, sic Deus cognoscendo res non per proprias species, sed in suâ essentiâ cognoscit, quidquid est in earum naturâ, cognoscendo res in se ipsis ex parte rei cognitz.

*Obj. 2.* Intellectus divinus cognoscit creaturas eo modo, quo sunt cognoscibiles.

*R.* Si ille modus non involvat imperfectionem **Con.** si involvat **N.**

Instabis, non involvit imperfectionem, quod sint immediatè producibiles per omnipotentiam divinam; ergo etiam quod immediatè sunt in se ipsis cognoscibiles.

*R.* Negando consequentiam, disparitas est: quod effectus non sit motivum productionis nec concurrat ad sui productionem; sed sit purus terminus, objectum verò immediatum cognitionis concurrat tanquam motivum ad sui cognitionem: cum ex objecto & potentiâ fiat notitia; item omnipotentia operatur ad extrâ, scientia ad intrâ.

*Obj. 3.* Creaturæ in Deo velut suâ causa non habent esse formale, sed solum eminentiale, adeoque non possunt in essentia tanquam sua causa videri formaliter.

*R.* Creaturæ non continentur in divinâ essentiâ formaliter *ly* formaliter accipiendo ex parte mediî **Con.** *ly* formaliter sumendo ex parte objecti **N.** explicatur: non videntur creaturæ in Deo formaliter ex parte mediî, quasi verò ipsum medium, quod est divina essentia, sit similitudo formalis objecti, videntur tamen formaliter ex parte objecti, quia esse formale objecti secundum omnes suas rationes  
etiam



etiam individuales in divinâ essentiâ formaliter continetur.

*Obj. 4.* Angelus comprehendens naturam solis ex hoc ipso non comprehendit omnia sublunaria, ergo etiam Deus comprehendens suam essentiam non cognoscit omnes effectus formaliter.

*R.* Negando consequentiam, disparitas est: quia sol est causa universalis limitata, cujus causalitas non pertingit ad ultimum gradum individualitatis rerum sublunarium, at essentia divina est causa universalis illimitata, à quâ res omnes secundum rationem universalissimam entis & ultimas differentias individuales dependent.

*Obj. 5.* Deus cognoscit certò creaturas; sed taliter non cognoscit in seipso ut objecto prius cognito, quia creaturæ vel sunt actuales vel sunt possibiles: possibiles non habent necessariam connexionem cum essentia divina: alias etiam implicante creaturâ unicâ implicaret omnipotentia divina, neque creaturæ futuræ aut præsentis habent necessariam connexionem cum decreto divino: alias enim nullæ actiones essent liberæ sed omnes necessariae.

*R.* Imprimis divina omnipotentia habet connexionem simpliciter necessariam cum collectione omnium creaturarum possibilium tanquam cum objecto adæquato, & cum qualibet possibili tanquam objecto inadæquato, ideoque Deus non foret omnipotens, si aliqua creatura possibilis esset Deo impossibilis; dein decretum divinæ voluntatis habet necessariam connexionem cum qualibet creatura actuali videlicet necessitate infallibilitatis & consequentiæ, quæ sufficit ad certitudinem omnimodam divinæ scientiæ: quia creaturæ sunt eo modo, quo Deus vult illas fieri: cum enim providentia divina sit infinita, de-

cernit etiam modum, quo fiant creaturæ, sicut ergo necessarium est necessitate infallibilitatis & consequentiæ illud fieri, quod Deus vult absolute fieri, ita eadem necessitate infallibilitatis & consequentiæ necessarium est, illud fieri eo modo, quo Deus decrevit fieri.

**Instabis:** Si contingens habeat infallibilem connexionem cum decreto divino; ergo si non fieret destrueretur decretum divinum; atqui decretum divinum non potest destrui; ergo contingens non potest non fieri & consequenter non est contingens.

**ꝛ.** Negando consequentiam: quod si contingens non fieret v. g. prædestinatus damnaretur, decretum quidem divinum destrueretur, quia fieret contrarium decreto Dei efficaci, ex hoc tamen non sequitur, quod si contingens possit non fieri v. g. prædestinatus possit damnari, possit decretum divinum destrui, imò potius sequitur, quod decretum divinum perfectè impleatur, cujus ratio est: quia divinum decretum respicit futuritionem & modum futuritionis: Deus enim decrevit, quod Petrus liberè sit salvandus, & consequenter ita sit salvandus, ut potuerit non salvari, hoc enim est salvari liberè, ideoque ex eo, quod prædestinatus possit damnari, sequitur, quod divinum decretum perfectè impleatur, & quod Deus videat Petrum esse salvandum infallibiliter eo modo, quo Deus decrevit Petrum esse salvandum.

### QUÆSTIO III.

*An non entia & mala cognoscat Deus & quomodo?*

**DICO.** Per hoc ipsum, quod Deus cognoscat bona cognoscit etiam mala. sicut per lucem cognoscuntur tenebrae. . . . scientia Dei non est causa mali sed est

*est causæ boni per quod cognoscitur malum* S. Th. hic  
Q. 14. A. 10. O. & ad 2.

Explicatur & probatur : quidquid Deus cognoscit, cognoscit in sua essentia ut participationem illius, & in sua omnipotentia ut effectum : quia ideo creaturæ Deo repræsentantur in divina essentia & omnipotentia, quia in ipsis præexistunt saltem præeminenter ; sed non entia non præexistunt ut effectus immediatè in divina omnipotentia sed solum mediis entibus, quibus opponuntur : cum objectum divinæ omnipotentia sit solum ens possibile ; item non entia, quia simpliciter nihil sunt, non possunt fundare intelligibilitatem passivam etiam materialem, sed debent illam fundare ratione formarum oppositarum, cum quibus habent ab intrinseco necessariam connexionem, cum nihil sint aliud, quam negationes ipsarum, nec inter se differunt, nisi ratione formarum, quibus privant, ut cæcitas non differt à surditate, nisi quia privat hæc auditu, illa visu ; similiter mala non præexistunt in divinâ essentiâ ut participationes ipsius, cum ipsa sit summum bonum, neque mala opponuntur immediatè divinæ essentiæ, quia : ut inquit S. Th. in 2. Sent. dist. 1. Q. 1. A. 1. ad 1. *illi bono, quod nullo modo potest auferri vel minus, nihil opponitur privativè vel contrariè* ; ergo Deus non cognoscit mala nisi in bonis creatis, quæ præexistunt in divina essentia tanquam objectum secundarium in primario, ità quidem, ut licet talia bona creata cognoscantur ex vi divinæ essentiæ prius cognitæ, sint tamen rationes cognoscendi, non quidem ex parte Dei, sed ex parte objecti cogniti respectu malorum, ut, si per impossibile Deus non cognosceret præter se bona creata, sed solum se ipsum, tunc ignoraret talia mala, nec scientia ad illa se posset extendere. Ex his.

Sequitur

Sequitur primò : quod Deus cognoscat entia rationis per actum ad quem consequuntur, quia Deus cognoscit ea, quæ sunt in potentia vel ipsius Dei vel creaturæ, siue in potentia activa siue passiva siue in potentia opinandi vel imaginandi vel quocunque modo significandi; atqui entia rationis sunt in potentia imaginativa hominis; ergo Deus cognoscit entia rationis per actus, ad quos consequuntur, ita, ut entia rationis, quæ fiunt à nobis, cognoscat per scientiam visionis: quia habent suam actualitatem objectivam; ea verò, quæ non fiunt, sed possunt fieri, cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, sicut etiam actus ad quos consequi possunt.

Secundò, Deus privationes & negationes quæ actu sunt, cognoscit per scientiam visionis, illas verò quæ non sunt sed possunt esse in aliqua temporis differentia, cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ: negatio enim per affirmationem cognoscitur, constat autem quod formæ privatæ vel negativæ, si aliquando sint actu, cognoscantur per scientiam visionis, si autem solum sint in potentiâ, cognoscantur per scientiam simplicis intelligentiæ.

Tertio. Deus cognoscit peccatum in communi & generali per gratiam & charitatem: quia malum cognoscitur per bonum oppositum immediatè & formaliter; sed peccata secundum rationem generalem peccati opponuntur immediatè & formaliter gratiæ sanctificanti & charitati: quia peccatum mortale privat illis bonis simpliciter, veniale diminuit fervorem charitatis.

Quartò. Peccata secundum rationem particularem & specificam cognoscit Deus per virtutes oppositas: quia secundum rationem specificam opponuntur virtutibus, ut peccatum intemperantiæ virtuti temperantiæ; ergo cum privationes cognoscantur

De Objecto  
 materia in terminis oppo-  
 sitionis opponitur, sicut  
 secundum analogiam speci-  
 ficam  
 Malum solum pe-  
 nitur in aliquo positivo  
 et cognoscitur, quia per  
 quodlibet bonum, q  
 a. Distingendo obiect  
 quæ sunt actu solum a  
 ea, cognoscimus eas pe-  
 nit in tali actu, ut est  
 dato quod non inope-  
 quodlibet, nec non p  
 licet ut considerat i  
 nem licet ut discordes,  
 coram concordia vel si  
 grammaticis si quæque  
 incongruentia et obiect  
 tra suam rem, ita nec  
 le concordia et illam,  
 Obj. 2. Solum malum  
 ut Deus, tam; quia malum  
 Deus in ultimo hinc, sic q  
 Deum, Tum; quia hinc  
 tena, definitur enim;  
 oppositum contra legem æter-  
 nem Deus immediate co-  
 ram.  
 Malum culpe oppon-  
 tur deinde. Con. ut forma  
 non opponitur Deo, sed g-  
 ritur ad complementum peccat  
 nocere nisi ut formam  
 virtutibus ut illi, non tanquam

cantur per formas oppositas, quibus formaliter & immediatè opponuntur, Deus cognoscit peccata secundum rationem specificam per virtutes oppositas.

*Obj. 1.* Malum saltem pœnæ & naturæ formaliter consistunt in aliquo positivo; ergo possunt à Deo per se ipsa cognosci, quamvis per impossibile Deus non cognosceret bona creata, quibus opponuntur,

*2.* Distinguendo consequentiam: prædicta mala quatenus entia secundum quam rationem sunt bona, cognosci immediatè per se ipsa Con. quatenus sunt talia entia, hoc est deficientia & mala N. & dato quod malum culpæ sit aliquid positivum, de quo alibi, tamen non potest cognosci ut tale, nisi sciatur ut discordans à regula divina, non potest autem sciri ut discordans, nisi prius sciatur in quo consistat concordia vel bonum concordans; ita grammaticus sive quicumque artifex non cognoscit incongruitatem & defectum etiam positivum contrà suam artem, nisi mediante notitiâ congruitatis & concordia ad illam.

*Obj. 2.* Saltem malum culpæ mortalis opponitur Deo, tum: quia malum culpæ lethalis est averſio à Deo ut ultimo fine, & quantum est in se destruit Deum. Tum: quia habet oppositionem cum lege æterna, definitur enim: dictum, factum, concupitum contrà legem æternam; ergo malum culpæ saltem Deus immediate cognoscit per suam bonitatem.

*3.* Malum culpæ opponitur Deo ut fini & ut personæ offensæ Con. ut formæ quam destruit N. irà enim non opponitur Deo, sed gratiæ & charitati; sicut igitur ad cognoscendam perfectè cæcitatē oportet cognoscere visum ut formam, quâ privat, & objectum visibile ut id, quo tanquam objecto percepto privat, irà  
ad

ad cognoscendum perfectè malum culpæ debet cognoscere & formam, cui opponitur & personam, cui injuria infertur, vel quæ offenditur, & finem, à quo per peccatum avertitur, qui est Deus, quem ut finem, ut objectum, ut personam offensam, non verò ut formam & habitum immediatè oppositum ipsa culpa lethalis in affectu peccantis destruit.

*Obj. 3.* Malum in communi saltem directè opponitur Deo ut summè bono, quia importat omnem & summam rationem mali.

*R.* Summum malum secundum rem non dari; quia nullum est malum, quod non fundetur in bono, unde malum in communi, cum sit tantum secundum vocem & imaginationem nostram, idè secundum vocem & imaginationem cognoscitur à Deo, & consequenter per actum imaginationis nostræ & vocem illam exprimentem.

*Obj. 4.* Negatio entis increati imbibitur in quâlibet creaturâ: quâlibet enim creatura non est Deus; atqui Deus illam negationem non potest cognoscere, nisi per entitatem divinam, quam negat & tollit; ergo saltem aliquam negationem Deus cognoscit immediatè per suam essentiam.

*R.* Negationem dupliciter considerari posse: primò ut ordinatur ad tollendam & extinguendam aliquam formam in aliquo subjecto, & hoc modo negationes vel privationes cognoscuntur à Deo per formas sibi oppositas: ab illis enim specificantur; cum autem Deus non possit esse forma vel res, quæ specificet taliter privationem: cum Deus à nullâ privatione possit affici, nulla negatio in Deo cognoscitur tanquam in re, quâ privat. Secundo modo considerantur negationes ut ordinantur ad distinguendum & dividendum unum ab alio, & consequenter ad tollendum aliquid non in se absolute, sed ad separandum ab alio, non est autem inconveniens,

Disputatio X.  
negatio  
creaturæ error, cog  
Deum distinguat & h  
etiam quam ipsi distinc

QV&S T

As U quia lvi

NICO. Negatio hanc  
S. Th. in Qu. 1. 1.

Privatio: Dicitur quod

divina omnipotenti quod

quod dicitur dicitur: &

causâ dicitur dicitur dicitur

dicitur dicitur dicitur dicitur

creaturæ; ergo dicitur dicitur

*Obj.* Si Deus cognoscit in

vires hanc dicitur dicitur dicitur

non debet necesse est dicitur

ne possibiles in hoc proprie

tas sunt simul ab aliis cog

nam actu.

*R.* Omnes creaturæ possunt

in similitudine & actualitate et

actualitate cognitionis Cog

nitentem per totam essentiam

per privationem, non tamen

in actu dicitur dicitur dicitur

proximitate & presentia dicitur

creaturæ. Sed solum per elect

creaturæ tempore actualitate

causa.

veniens, quod negatio Dei, quæ ex distinctione creaturæ à Deo oritur, cognoscatur per ordinem ad Deum à quo distinguit & leparat creaturam, & non est aliud, quam ipsa distinctio à Deo ut ab extremo.

### QUESTIO. IV.

*An & quomodo Deus cognoscat infinita?*

**D**ICO. *Necesse est dicere quod Deus sciat infinita,*  
S. Th. hic Q. 14 a. 12. in O.

*Probatur*: Deus cognoscit, quidquid potest facere divina omnipotentia, quidquid, à quo potest participari divina essentia; atqui divina omnipotentia cum sit infinita & inexhaustibilis, potest infinita producere, & essentia divina est infinitis modis participabilis à creaturis; ergo divina scientia infinita cognoscit.

*Obj.* Si Deus cognoscat infinitas creaturas possibles secundum esse formale & proprium ipsarum, jam dabitur numerus infinitus actu: quia omnes creaturæ possibles in suo proprio esse sunt infinitæ & illæ omnes sunt simul actu cognitæ; ergo datur infinitum creatum actu.

*R.* Omnes creaturæ possibles sunt simul actu cognitæ simultate & actualitate objecti cogniti N. simultate & actualitate cognitionis Con. ita tametsi omnia futura in infinitum per totam æternitatem scientiæ visionis Dei sint præsentia, non tamen sequitur, quod constituent numerum infinitum actu, sunt enim præsentia non simultate & præsentialitate mensuræ propriæ & intrinsecæ, sed solum præsentialitate mensuræ alienæ & extrinsecæ nempe æternitatis Dei, cui repugnat successio.

DISPU.

DISPUTATIO XI.

*De scientiâ Dei respectu contingentium absolutorum.*

**F**utura absoluta dicuntur ea, quæ aliquando habebunt existentiam, conditionata verò dicuntur ea, quæ nunquam existent, essent autem exitura, si conditio poneretur, quæ tamen nunquam ponetur.

QUÆSTIO I.

*An Deus certo & infallibiliter cognoscat futura contingentia absoluta?*

**D**ICO. Solius Dei est futura cognoscere, non solum quæ ex necessitate proveniunt, vel ut in pluribus sed etiam casualia & fortuita, S. Th. hic Q. 57. a. 3. in O.

Conclusio est apud omnes certa & probatur ex S. script. Eccli. 23. v. 29. *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Jerem. 1. v. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Il. 41. v. 22. & 23. *Quæ ventura sunt, indicate nobis, annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Quibus verbis cognitio futurorum velut propria divinitatis notio allegatur. Il. 45. v. 11. *Hæc dicit Dominus Sanctus Israel plastes ejus: ventura interrogate me.* Sap 8. v. 8. *Scit præterita & de futuris æstimat... signa & monstra scit, antequam fiant & eventus temporum & sæculorum.* Sed maxima difficultas est, in explicando medio, in quo Deus futura cognoscat, quæ dependet ab ipsâ explicatione futuritionis.

Recentiores, ut viam sternant scientiæ mediæ, communiter futuritionem definiunt, quod sit existentia rei in tempore aliquo sequente connotando negationem ejus pro tempore præsentis. Tria hæc definitio inpor-

De hoc, Dei Re  
 mportio uno Une  
 recedat in fians,  
 fite, pmpq; illa int  
 quoniam negatione  
 riu illis res create  
 ditionem ad exite  
 in libertat, adeoque  
 in rebus nisi possibili  
 extra fimbriis intellige  
 voluta etiam illud,  
 vobis, sed in quo create e  
 acta & ab aliis vobis de  
 dico in futurum le h  
 hanc rationem conque po  
 indubitanter nec possi  
 antequam dicitur, et  
 hinc inde exponat hanc  
 omnino hanc conque  
 hoc hanc rationem  
 autem in futurum  
 rem existentiam rei, quæ  
 existit in eo, quod in q  
 hanc meram negationem  
 per se possibile; post hoc in  
 præsentis, cum aliud habet  
 cum rei, quæ (copiam)  
 notandum est, verum est,  
 in hoc in futurum, in quo no  
 se aliud præsentis in futurum  
 vobis, donec terminus  
 habebunt hanc Antequam  
 respectu in futurum igitur. At  
 præsentis hanc de omni  
 certitudinem, sed per omni  
 quali remanet ego quæ  
 P. 1. T. 1. S. 1. 1.



DE SCIENT. DEI RESPECTU CONTING. ABSOL. 161  
importat. 1<sup>mo</sup> Unum vel plura instantia, quæ an-  
tecedunt illud instans, in quo res futura actualiter exi-  
stet, habentque illa instantia secundum se nihil aliud,  
quam meram negationem existentia rerum creatarum,  
ita ut in illis res creatæ meram possibilitatem ac in-  
differentiam tam ad existendum quam ad non existen-  
dum habeant, adeoque hæc instantia conveniunt  
etiam rebus merè possibilibus, ad quas terminatur  
scientia simplicis intelligentiæ. 2<sup>do</sup> Illa definitio  
involvit etiam instans illud, quod est terminus futuri-  
tionis, seu in quo res creata extrâ omnes causas est pro-  
ducta & actualiter præsens & existens; quia autem hæc  
duo instantia secundum se seu solitariè sumpta nullam  
futuritionem componere possunt; nam in solo primo  
instanti dicitur res merè possibilis, in solo autem secun-  
do instanti dicitur præsens, idèd, ut ex his duobus in-  
stantibus componatur futuritio, requiritur tertium vid.  
connotatio & comparabilitas unius ex primis instanti-  
bus habentis negationem rei actualiter existentis cum  
ultimo instanti vel termino futuritionis habente actua-  
lem existentiam rei, quæ comparabilitas formaliter  
consistit in eo, quod in quovis ex illis instantibus, quæ  
habent meram negationem rei, possit dici & affirmari  
hæc propositio: post hoc instans habens meram nega-  
tionem rei, erit aliud instans habens actualem existen-  
tiam rei, quia (inquiunt) in instanti v. g. F. quod  
nondum est, verum est, quod Antichristus existit,  
in hoc instanti, in quo nondum est, & in quocun-  
que alio præcedenti instanti denominatur Antichristus  
futurus, donec terminus futuritionis scil. instans F.  
habens existentiam Antichristi physicè præsentem ad-  
venerit; existentia igitur Antichristi præsens in instanti  
F. præmittit & facit denominationem futuri per totam  
æternitatem, seu per omnia antecedentia instantia &  
quasi retrorsum agit causando veritatem objectivam

*Part I. Theol. Schol.*

L

futu-

futuritionis in omnibus instantibus antecedentibus,

2dò Igitur docent : denominationem futuri non esse desumendam ab aliquâ præsentî formalitate, sed per habitudinem ad illud instans, in quo erit, cum de præsentî res futura nihil sit.

3tò Docent futuritionem rerum non tantum includere decretum Dei actuale, sed etiam sine illo formaliter existere non posse, non tamen volunt illud decretum debere necessariò antecedere illa instantia, in quibus est negatiò existentiz & denominatio futuritionis, sed volunt sufficere, quod sit decretum in instanti realis existentiz: quia enim (inquiunt) nihil creatum existere potest sine decreto Dei, & conversio v. g. Petri ex decreto & cooperatione voluntatis Petri existit in instanti F. in instantibus antecedentibus E. D. C. B. A. & per totam æternitatem (licet per possibile vel impossibile in illis non fuisset decretum) verum erat, quod conversio Petri in instanti F. sit futura.

4tò Distingunt duplicem determinationem in- & extrinsecam, intrinsecè & formaliter quodlibet est determinatum per suam entitatem, & in hoc nulla est differentia inter actum liberum & necessarium; quia non minùs amor Dei v. g. liberè elicitus est per suammet entitatem formaliter limitatus & determinatus ad certam speciem & individuum actûs, quam calor, quem ignis efficit, necessariò per suam entitatem est determinatus formaliter ad speciem & individuum caloris; extrinsecè & causaliter aliquid est determinatum per extrinsecam determinationem à suâ causâ, & in hoc est differentia inter actum liberum & necessarium; actus enim necessarius procedit à causâ determinatâ, ideoque est extrinsecè & causaliter determinatus, actus autem liber est extrinsecè indeterminatus; quia procedit à causâ indifferente.

5<sup>to</sup> Veritatem de futuro contingente non minùs formaliter determinatam quam de futuro necessario: si enim primum instans & terminum à quo futuri contingentis consideres, sic neutrum est in se formaliter determinatum; si posterius instans & terminum ad quem spectes, tunc pari determinatione extrinsecâ uterque effectus correspondebit huic instanti, pro quo enuntiatur futurus & sola manet differentia quoad determinationem extrinsecam.

6<sup>to</sup> Denique ex duabus propositionibus de futuro contingente v.g. Antichristus erit: Antichristus non erit: non minus alteram esse determinatè veram vel falsam, quam de præsentibus & præteritis v.g. Antichristus fuit; quia sicut veritas hujus propositionis habetur ex suppositione instantis præteriti, in quo de præsentis fuit verum dicere: Antichristus est: habuitque objectum intrinsecam determinationem sua veritatis, ita hæc propositio: Antichristus erit: habet suam veritatem ex suppositione instantis futuri, in quo hæc propositio de inesse: Antichristus est: erit vera & habebit suam intrinsecam determinationem.

Econtra Thomistæ futurum definiunt: quod est determinatum in suâ causâ ad habendam existentiam pro duratione sequenti; quæ definitio duo involvit: imò quod causa rei futuræ se determinat seu actualiter & in actu exercito voluerit rem producere in aliquo ex instantibus sequentibus; ut: Deus in instanti A. statuit Petrum producere in instanti F. 2<sup>dò</sup> quod illa res in aliquo ex instantibus sequentibus ut in instanti F. actu existat & producat, undè per omnia illa instantia, quæ intercesserunt inter causam actu determinantem & effectum actu existentem vid. in instantibus B. C. D. E. usque ad instans F. dicitur effectus futurus, & dum effectus actu existit in instanti F. velut in termino futuritionis, cessat futuritio & incipit actualis præsentia;

XI.  
anteced.

rationem futuri non  
in immutabilitate, sed  
in quo erit, cum

non voluntatem  
iam sine his forma-  
ten voluntatis de-  
ere illa instanti, in  
denominatio instans  
fit decretum in in-  
inquinantibus) nihil  
i, & convertit,  
e voluntatis Pen-  
cedentibus E. D.  
licet per possibile  
eram; verum erat,  
et futura.

minationem in- &  
aliter quodlibet est  
, & in hoc nulla est  
& necessarium; quia  
elicitus est per suam  
& determinatus ad  
actus, quam calor,  
et suam entitatem est  
m & individuum ca-  
quod est determinatum  
à sua causâ, & in hoc  
um & necessarium;  
à causâ determinat  
& determinatus, actu  
minatus; quia præ-

170

sentia; eodem ferè modo ante determinationem actua-  
lem causæ, ut ante instans A. fuit effectus contingens  
merè possibilis, indifferens & indeterminatus ad futu-  
rionem & non futurionem, in ipso autem instanti,  
quo causâ se determinat, ut: in instanti A. transit effe-  
ctus à statu meræ possibilitatis ad statum futuri-  
tionis.

Explicatâ definitione futuritionis ex utrâque senten-  
tiâ probatur definitio Thomistica imò Authoritate  
S. Th. hic Q. 14. a. 13. O. *Alio modo potest conside-  
rari contingens, ut est in suâ causâ & sic consideratur  
ut futurum, q. 16. a. 7. ad 3. illud quod nunc est, ex  
eo futurum fuit, antequam esset, quia in causâ suâ  
erat ut fieret, unde sublatâ causâ non est futurum  
illud fieri, & post pauca: ea, qua sunt, non semper  
fuit verum esse futura nisi quatenus in causâ sempiternâ  
fuit, ut essent futura, qua quidem causa solus  
Deus est.*

Probatur 2dò ratione fundamentali: denominatio  
futuritionis non potest esse rei denominatæ intrinseca:  
res enim futuræ pro statu futuritionis in seipsis nihil  
sunt, ac proinde secundum omnia sibi intrinseca sunt  
indifferentes ad esse vel non esse, imò incapaces ad re-  
cipiendam realem intrinsecam denominationem; ergo  
tantum est denominatio extrinseca; hæc denominatio  
non sumitur ab existentiâ, quam habet res in tempo-  
re sequenti, ut in instanti F. quia illa existentiâ pro statu  
futuritionis ut in instanti A. est nihil, & ante instans  
determinationis non erit potius habenda, quam non  
habenda existentiâ; ergo præcisè existentiâ, quam  
habet res in instanti F. non est sufficiens denominare  
rem futuram in instanti A. in quo præscindendo à  
causâ non magis est habitura existentiâ, quam non  
habitura; ergo forma extrinseca dans denominatio-  
nem futuri erit causâ determinans rem possibilem ad  
aliquan-

De Inst. Dei Aspettu  
aliqua existentiâ, per  
causâ futurâ possibilis e  
tantum futuritionis ad aliq  
possibilitatis enim à futur  
pote & præfinitio, quod  
sunt existentiâ, differant a  
nulla sine indifferenti ad ha  
ita verò non sine indifferenti  
quando existentiâ; hoc autem  
possibilitatis non est sequenti  
omnis præfinitio existentiâ;  
sunt futurum à possibile, le  
sunt habitura existentiâ, q  
sunt autem ex causâ præfinitio  
sunt horum intelligentiâ  
pro futurâ existentiâ; immo  
sunt autem in tempore existentiâ; s  
sunt à futurâ causâ ad p  
quam existentiâ; immo possibi  
sunt propter præfinitio existentiâ; s  
sunt causâ intrinsecâ à præfinitio ad p  
sunt, ad præfinitio existentiâ  
sunt: futurum habitura est de  
sunt et determinatione causâ  
sunt, sicut autem hæc determin  
sunt: causâ habitura à præfinitio  
sunt; sicut etiam effectus  
sunt, quâ tantum habitura exist  
sunt causâ, sicut respectu causâ  
sunt habitura; quâ determin  
sunt præfinitio existentiâ, sicut  
sunt etiam determinati habitura  
sunt habitura; sicut, ut sicut  
sunt habitura à præfinitio fun  
L. 3

aliquando existendum, per quam determinationem causæ res ex statu possibilitatis extrahitur, & constituitur in statu futuritionis ad aliquando habendam existentiam:abilia enim & futura in hoc distinguuntur à præteritis & præsentibus, quod nec habeant nec habuerint existentiam, differunt autem inter se, quodabilia sint indifferentia ad habendam existentiam, futura verò non sint indifferentia sed determinata ad aliquando existendum; hoc autem distinctivum futuri à possibili non est negatio existentiae præsentis, neque tempus præcedens existentiam; cum utrumque hoc habeat futurum & possibile, sed habitudo ad aliquando habendam existentiam, quæ aliunde non habetur, quam ex causarum præparatione & determinatione.

Pro majori horum intelligentiâ notanda sequentia.

1.º Futurum dupliciter sumitur: 1.º pro futuritione in causa aut futuro causaliter: futuritio in causa est ordo & inclinatio causæ ad producendum aliquem effectum: sicut enim possibilitas rei in causa est causa potens producere effectum, ita futuritio in causâ est causa inclinata & præparata ad producendum effectum. 2.º Pro futuritione in effectu vel futuro formaliter: futuritio formalis est denominatio in re futurâ orta ex determinatione causæ ad producendum effectum, sicut autem illa determinatio causæ est duplex: una fallibilis & impedibilis, altera infallibilis & inimpedibilis; ita etiam effectus alii sunt simpliciter futuri, qui nimirum habent determinationem infallibilem in causâ, & ita respectu causæ primæ omnia sunt simpliciter futura: quia determinatio causæ primæ impediri non potest, ideoque futuritio simpliciter dicta est denominatio habendi aliquando existentiam orta ex liberâ voluntate Dei, ita, ut sicut res dicuntur possibles absolutè denominatione sumptâ à potentiâ divinâ,

itã dicuntur futuræ seu habere habitudinem ad existentiam aliquando habendam ex merè liberã voluntate Dei, quã destinavit illas ut aliquando sint; alia sunt futura secundum quid ex determinatione causæ secundæ, quæ cum falli & impediri possit vel à causã primã vel ab aliis causis creatis, ideò determinatio rei in causa secunda ad habendam aliquando existentiam non dat denominationem futuri simpliciter, sed solum denominationem futuri secundum quid; & ex istis futuris aliqua sufficiunt ad scientiam propriè dictam, illa scilicet, quæ habent necessariam determinationem in causis secundis nonnisi divinitus impedibilem, alia verò solummodo terminant cognitionem conjecturalem, si nempe ab aliis causis creatis impediri possent, quomodo de futuro fructu arboris nonnisi conjecturalem cognitionem habemus; quamvis enim, dum videmus arborem florentem, cognoscimus arborem vel causam fructuum esse inclinatham & determinatam ad producendos copiosos fructus, quia tamen grandine, vento aliisque tempestatibus & accidentibus impediri potest in productione fructuum, ideò de futurã copiã fructuum nonnisi conjecturamus.

2dò. Futura dicunt habitudinem ad esse aliquando habendum in tempore sequenti, à quã habitudine desumitur denominatio futuri: quia futurum est prædicatum ipsis futuris de præsentì conveniens, dum actus nondum sunt, hanc autem habitudinem & consequenter hanc denominationem, quæ ad illam habitudinem sequitur, non habent de præsentì ex seipsis, dum nondum sunt: quia quantum est ex seipsis, tam bene possunt esse, quam non esse tempore sequenti, sed illam habitudinem & consequenter denominationem habent ex determinatione suæ causæ, itã ut determinatio causæ sit futuritio causalis, habitudo autem rei nondum existentis ad habendam aliquando existentiam orta

DE SCIENT. DEI RESPECTU CONTING. ABSOL. 167  
ex tali determinatione causæ est futuritio forma-  
lis.

3<sup>o</sup>tiò. Notanda est differentia inter futurum, præ-  
teritum & præsens, 1<sup>o</sup> mò. Veritas futuri non est intrin-  
secè determinata, veritas autem præteriti & præsentis  
est intrinsecè determinata, quia præteritum & præsens  
supponit effectum extrà causas positum, & ideo habet  
intrinsecum determinativum suæ veritatis vid. existen-  
tiam, quam res præsens actu habet, & quam res præ-  
terita actu habuit; futurum autem non habet aliquod  
esse extrà causas positum, sed manet intrà causas con-  
tentum, ideoque nullum habet intrinsecum determi-  
nativum, sed ex hoc, quod determinatur in suâ causâ,  
habet habitudinem ad habendam aliquando existen-  
tiam, quæ habitudo est futuritio formatis. *Deinde:*  
existentia præterita, cum fuerit aliquando, est suffi-  
ciens determinativum ad dandam denominationem præ-  
teriti; at existentia, quæ futura dicitur, cum adhuc  
sit intrà causas contenta, & in seipsâ nondum determi-  
nata, non potest esse determinativum sufficiens ad tri-  
buendam anticipatè denominationem futuri; item  
actualitas existentiae est prior denominatione præteriti,  
ideo, quamvis non sit amplius, potest tamen dare de-  
nominationem præteriti, actualitas verò existentiae  
habenda pro tempore futuro est quid posterius tempore,  
quo res est futura, ideo debet assignari aliud de-  
terminativum pro tempore, quo res denominatur fu-  
tura, cum aliàs sequeretur: quod determinatio rei  
à statu possibilitatis ad statum actualitatis præcederet  
suum determinativum & effectus suam causam. *Deni-  
que* existentia extrà causas semel posita hoc ipso negatio-  
nem consequentem determinat ad connotationem sui,  
itâ ut repugnet, quod illa negatio non connotet exi-  
stentiam præcedentem seu terminum à quo, ideoque  
negatio existentiae, quam res antea habuit, ex se est

sufficiens denominare rem præteritam, at negatio antecedens existentiam ex se est indifferentis, ut connotet vel non connotet existentiam consequentem, nec potest illa indifferentia auferri, nisi per denominationem causæ vel decreti divini; ergo negatio existentiae, non nisi quatenus est determinata per aliquid connotat existentiam sequenti tempore habendam, nec potest dare denominationem futuri.

*Obj. 1.* Si rei futuritio formaliter consisteret in determinatione causæ, posset aliquid fieri in tempore, quod antecederet non fuisset futurum, & aliquid esse futurum, quod nunquam esset præsens: quia actus de facto procedens à causâ liberâ est præsens & tamen supponit præviam omnimodam indifferentiam, & consequenter priusquam fieret, non fuit in determinatione causæ; e contra aliqua causa sæpe est præparata ad producendum effectum, quæ tamen per accidens impeditur, & tunc fuit res futura, quæ nunquam est præsens; hæc videntur absurda; ergo.

*R.* Per ordinem ad causam primam implicat aliquid esse futurum simpliciter, quod nunquam est præsens, vel aliquid esse præsens, quod nunquam fuit futurum, non autem per ordinem ad causam secundam, ita ut illud, quod attentâ dispositione & inclinatione causæ secundæ erat secundum quid futurum, nunquam sit præsens, eò quod causa secunda per aliam causam impediatur. Nec obstat determinatio causæ primæ indifferentiæ ad libertatem requisitæ, ut suis locis ostenditur.

*Obj. 2.* Si denominatio futuritionis formaliter proveniret à determinatione causæ, tunc futura essent & non essent futura, essent, ut supponitur; non essent: quia esse futurum est esse determinatum in causâ; atqui hoc non est futurum, sed præsens, & consequenter futura essent præsentia.



*R.* Distinguendo probat. mi. Essent præsentia secundum illud, quod dicit futurum in Recto Con. quod dicit in obliquo N. Ipsa futura essent præsentia secundum denominationem formalem futuritionis & habitudinis causæ ad existentiam effectui postmodum dandam, quam habitudinem dicit futurum in recto, essent verò futura & non præsentia secundum exercitam existentiam per modum termini importatam in obliquo.

*Obj. 3.* Objectum & effectus decreti divini non potest esse ipsum decretum divinum; atqui formale constitutivum futuritionis est objectum & effectus divini decreti; Deus enim causat futura & ipsam futuritionem per suum decretum; ergo formale constitutivum futuri non potest esse decretum.

*R.* Deus causat futurum specificativè Con. reduplicativè N. Ergo decretum divinum non potest esse constitutivum vel ratio formalis constituens futurum per denominationem intrinsecam Con. Extrinsecam N. Omnes Creaturæ cognitæ & volitæ dependent & causantur ab intellectu & voluntate divinâ & constituuntur in esse voliti & cogniti per divinam cognitionem & volitionem, ex quo tamen non sequitur, quod voluntas aut intellectus divinus causet seipsum: cum illa objecta cognitæ & volitæ causentur in sensu specificativo non reduplicativo, neque voluntas & scientia Dei illa constituit intrinsecè sed extrinsecè.

*Obj. 4.* Quo solo posito omnibus aliis seclusis habetur formaliter futuritio rei, illud est formale determinativum & denominativum futuritionis; atqui positâ negatione existentie pro nunc & existentia pro tempore sequenti habetur formaliter denominatio futuritionis secluso omni alio; ergo.

*R.* N. mi. quia repugnat, ut concipiatur negatio connexa certò cum actualitate existentie, quin concipiatur

XI.  
 tam, a negatio  
 effectus, ut conno  
 sequam, nec po  
 per denominationem  
 gationem, non  
 aliquid morat exi  
 am, nec potest dare  
 aliter colligit in  
 id fieri in parte,  
 am, & aliquid esse  
 zelens; quibus  
 præsens & non  
 indifferentiam,  
 sua in determi  
 pe est præparata  
 en per accidens  
 quæ nunquam  
 igo.  
 implicat aliquid  
 iam est præsens,  
 iam fut. futurum,  
 secundam, ita ut  
 inclinatione causæ  
 m, nunquam sit  
 aliam causam im  
 causæ primæ in  
 suis locis osten  
 is formaliter pro  
 c. futura essent &  
 tur; non essent  
 in causâ; atqui  
 & consequenter lo

piatur causa determinata & præparata ad aufferendam negationem existentia: cum enim negatio Antichristi v.g. sit in se indifferens, ut præcedat vel non præcedat existentiam Antichristi, non aliunde habere potest, quod certò præcedat ejus existentiam, eamque ut ponendam connotet, nisi propter determinationem causæ ad suo tempore ponendam existentiam Antichristi.

## Q U Æ S T I O II.

*An Deus præsciat infallibiliter futura contingentia in suis causis?*

**S**uppono: futura contingentia non possunt cognosci nisi duobus modis vel in se vel in suâ causâ; cognoscerentur in se, si intelligerentur ratione veritatis, quam habent determinatè in seipsis, in causis suis possunt considerari vel in causis proximis creatis vel in causâ increatâ sive Deo. In causis creatis, vel prout continentur in virtute propriâ talis causæ creatæ secundum se vel prout continentur in eâ, quatenus est determinata à Deo. In causâ divinâ & increatâ considerari possunt vel prout continentur in ipsâ divinâ virtute secundum se, vel prout continentur in virtute determinatâ decreto divinæ voluntatis, quod vel est causâ futuritionis vel habet infallibilem respectum & connexionem cum futuritione. His præmissis.

**DICO.** *Potest considerari contingens, ut est in suâ causâ, & sic consideratur, ut futurum & ut contingens nondum determinatum ad unum; quia causa contingens se habet ad opposita. Et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni S. Th. hic. Q. 14. A. 13. O.*

Explicatur & probatur: quod Deus non videat futura contingentia in causis secundis ante absolutum decretum divinum: eo modo effectus cognos-

De Sont Dei R  
 ponitur la causa  
 & habet; argui  
 ee ad intum Dei  
 in se; quia ca  
 duntando effect  
 immatur impi  
 bon esse futurum,  
 er causâ, que si  
 tu contingens non  
 entiam tater cogno  
 bit. Deus perfecti  
 ueritas, quam ul  
 nichis creatis fin  
 timbet conjechi  
 ratione causa  
 ingentis futuros  
 imphoradicat in D  
 quere in Deimonib  
 & Diligendo  
 ex parte subjecti dici  
 cognio conjectura  
 perfectionem N. D  
 contingens futuros  
 vno nostro actus  
 non ex parte subjecti,  
 Deus videt actum no  
 penam de fallibilitate  
 uth, non tamen vid  
 detur arbitrium vi si  
 iactatum.

notatur in suâ causâ, quo modo in illâ continetur, & habet esse; atqui futura contingentia antecedenter ad decretum Dei non habent esse determinatum in suâ causâ: quia causæ sunt indifferentes ad ponendum aliquando effectum.

Confirmatur: implicat futura cognosci antequam habeant esse futurum, sed ante determinationem primæ causæ, quæ fit per divinum decretum, effectus contingentes non habent rationem futuri; ergo etiam taliter cognosci non possunt.

Obj. Deus perfectius comprehendit omnes causas creatas, quam ullus intellectus creatus; atqui intellectus creatus futura contingentia in causis secundis videt conjecturaliter; ergo divina scientia in comprehensione causæ creatæ videt effectus creatos contingenter futuros infallibiliter; cum cognitio conjecturalis dicat in Deo imperfectionem & consequenter in Deo implicet.

ꝛ. Distinguendo probat. cognitio conjecturalis ex parte subjecti dicit imperfectionem in Deo. Con. cognitio conjecturalis ex parte objecti dicit imperfectionem N. Deus autem cognoscens effectus contingenter futuros in causis creatis ut in libero arbitrio nostros actus: cognoscit illos conjecturaliter non ex parte subjecti, sed ex parte objecti, hoc est: Deus videt actuum nostrorum intrinsecam contingentiam & fallibilitatem quantum est ex vi liberi arbitrii, non tamen videt ipse fallibiliter: Quia videt liberum arbitrium vi sui decreti ad hos vel illos actus inclinatum.



QUÆS.

o XL  
partu ad auctorem  
nim negio Antidoti  
redat va non praece  
alunde habere possi  
riam, tuncque ut po  
der determinationem  
m eximiam Antid  
  
O II.  
futura contingens  
  
on possunt cogsci  
in suâ causâ; ut  
ur ratione veritati  
in causis suis pos  
i creatis vel in cau  
i, vel prout conti  
alæ creatæ becom  
quatenus est de  
increata considera  
ipsâ divinâ virtute  
ur in virtute deter  
quod vel est causa  
respectum & con  
emissis,  
gens, ut est in suâ  
m& ut continens  
quia causa contin  
pens non subditur  
Th. hic. Q. 14  
  
Deus non videt  
indis ante abso  
modo effectus cog  
nos-

*An Deus presciat certò futura contingentia absolutè  
in eorum veritate objectivà ante decretum?*

**D**ICO. Quod scitur à nobis, oportet esse necessarium etiam secundum quod in se est . . . sed ea, que sunt scita à Deo, oportet esse necessaria secundum quod subsunt divina scientia S. Th. hic. Q. 14. A. 13. O.

Explicatur & probatur: cum juxtà D. Ang. hic Q. 16. A. 3. O. unumquodque in quantum habet de esse, in tantum sit cognoscibile, futura contingentia nullam habent veritatem objectivam sine decreto divino existentiam habendam determinatè à Deo cognoscibilem, & ità futura contingentia ex vi objecti sui seu veritatis objectivæ non habent determinatam veritatem nec sunt cognoscibilia ut determinatè futura: quia non habent determinatum esse; ergo nec habent determinatam veritatem objectivam, cum veritas formalis consistat in hoc, quod res cognoscatur sicuti est & veritas objectiva, quod res possit cognosci sicuti est; ergo in illo statu, quo res non habet determinatum esse, etiam non fundat determinatam veritatem objectivam, futura autem contingentia ex meritis propriis & ratione suæ objectivæ veritatis non habent determinatum esse: quia res contingens, quantum est de se, est indifferens, ut vel aliquando sit, vel aliquando non sit; ergo quantum est de se, habet esse indeterminate nec potest fundare determinatam veritatem.



## QUÆSTIO IV.

An Deus videat futura contingentia in eorum ideis an  
verò in decreto sua voluntatis?

**D**ICO. Cum forma intelligibilis ad opposita se ha-  
beat . . . non produceret determinatum effectum,  
nisi determinaretur ad unum per appetitum . . . sequitur  
si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit. Non  
tamen res futura sunt causa, quod Deus sciat. S. Th.  
hic Q. 14. A. 8. O. & ad 1. sive Deus non vi-  
det futura contingentia in ideis præscindendo à de-  
creto, sed in essentiâ suâ determinatâ per de-  
cretum.

Probatur; imprimis Deus non videt futura contin-  
gentia antecedenter ad decretum in suis ideis: quia  
quidquid antecedenter ad divinum decretum in ide-  
is continetur, necessariò continetur: libera enim Dei  
decreta sunt fons vel formalis vel virtualis omnis cre-  
atæ & increatæ libertatis; sed futura contingentia  
non possunt necessariò contineri in divinâ essentiâ;  
ergo in signo antecedente divinum decretum non  
continentur nec repræsentantur in ideis; sed Deus  
in suâ essentiâ ut determinatâ per liberum decretum  
videt futura contingentia: quia eâ solum ratione  
Deus futura contingentia certò cognoscere potest,  
quâ ratione divinæ scientiæ sub ratione futuri pos-  
sunt objici; atqui non nisi dependenter à divino  
decreto futura contingentia scientiæ Dei certò obji-  
ciuntur: futurum enim nihil est ante causæ determi-  
nationem, nec certò est aliquid futurum, quam-  
diu later in potentia causæ liberæ indifferente & in  
neutram partem contradictionis præponderante;  
sed antecedenter ad decretum Dei res contingentes  
nullam habent determinationem causæ: continen-  
tur enim in virtute indeterminata & incerta causæ li-  
bere

beræ

beræ ; ergo antecedenter ad decretum Dei nec futurationem nec certitudinem habere possunt.

*Obj. 1.* Futura contingentia non habent necessariam connexionem cum decreto divino : quia imprimis substantia ipsa actus liberi non habet necessariam connexionem cum objecto decretato ; cum illa potuisset esse & non objectum decretatum, si Deus oppositum voluisset ; deinde ille respectus rationis, quem dicit decretum ad objecta decretata, non potest manifestare objectum : quia illud reale est, quod per aliquid rationis non potest manifestari, ergo nihil est in decreto Dei, per quod futura contingentia videri possunt.

*R.* Objectum volitum à Deo habet infallibilem connexionem cum decreto divino non ratione solius substantiæ decreti, ut est divina entitas, nec ratione solius respectus rationis formaliter considerati, sed ratione decreti divini terminati ad objectum decretatum, & fundantis talem respectum rationis.

*Obj. 2.* Decretum antecedenter efficax ad determinandam causam contingentem & liberam sine præsuppositione ejusdem consensus est læsivum libertatis : quia est suppositio antecedens libertatem, quam ipsa non potest avertere, nec est in manu ejus, & illâ positâ non stat non sequi effectum ; ergo destruit libertatem.

*R.* Quod suppositio antecedens non destruat libertatem, quando est radix & causa libertatis, sicuti est decretum divinum, unde, sicut non repugnat, quod Deus in se ens necessarium & modo immutabili causans sit tamen causa rerum & actionum mutabilium & contingentium & liberarum, ita non repugnat, quod detur suppositio antecedens, quæ in modo operandi sit immutabilis & infallibilis &

tamen ex parte rei causatæ causet aliquid contingens & liberum : quia Deus non solum causat substantiam actus liberi sed etiam modum, ut liber sit, nec illud, quod sequitur ex inimpedibili, sequitur inimpedibiliter, si causet inimpedibile & modum, quo sequatur, & substantiam actus, qui sequitur.

Q. In quo medio Deus videat peccata futura ?

R. Deus certò cognoscit futura peccata videndo actum & materiale peccati in suo decreto positivo, formalem malitiam verò in suo decreto permissivo, ità ut certitudo prævisionis malitiæ refundatur non in positivum sed in permissivum decretum.

Pro quo nota: duplex in Deo decretum esse distinguendum positivum & permissivum : quia juxta S. D. nostrum illa solum sunt futura, quæ Deus permittit esse vel vult esse ; positivum decretum est, quo Deus ab æterno determinat ut aliquid fiat, vi hujus decreti in tempore Deus positivè concurret & insuit in effectum prædefinitum ; permissivum decretum est, quo statuit denegare auxilium efficax nulli debitum, per quod impedita malitia fuisset, quæ ex vi arbitrii defectuosè operantis in defectu talis auxilii infallibiliter sequitur, ac ità permittere malitiam peccati.

Hoc notato probatur responsio : ratione illius decreti Deus certò cognoscit futura peccata, quod habet infallibilem quamvis logicam solum connexionem cum malitiâ peccati ; atqui decretum permissivum habet infallibilem connexionem cum futuro peccato ; illud enim decretum includit denegationem auxilii efficacis ad evitandum peccatum, sub quâ infallibiliter voluntas creata deficiet, quamvis talis malitia peccati non sequatur ex vi denegationis divini auxilii ; sed ex vi liberi arbitrii defectuosè operantis.

Dices

*Dices* : qui est causa antecedentis , etiam est causa consequentis , quod ex antecedente infallibiliter sequitur ; sed si Deus prædeterminat ad materiale peccati in actibus intrinsecè malis, est causa actus liberi, quem necessariò sequitur malitia peccati.

*R.* Qui est causa antecedentis etiam est causa consequentis , si hoc sequatur vi illius Con. Si hoc sequatur ex vi alterius causæ N. In præsentī defectus & malitia moralis non sequitur ex entitate actus ut ens est & actus à Deo prædefinitus , sed ut est à voluntate deficiente vel defectuosè operante positus , duplici enim modo potest unum ex alio sequi imò. Consecutione physicâ seu causalitatis , qualiter effectus sequitur ex suâ causâ. 2dò. Consecutione Logicâ sive illationis & causæ , quâ unum inferitur ex positione alterius , quamvis non sit effectus illius , itâ ex ambulatione Claudi certò inferitur claudicatio illius , quamvis claudicatio & irrectitudo ambulationis non ex vi ambulationis & virtute motrice sed ex defectu Tibiæ curvæ per se sequatur, ideoque infallibilitate Logicæ illationis non physicæ causalitatis.

## DISPUTATIO XII.

*De scientiâ Dei respectu contingentium conditionalium.*

## QUÆSTIO I.

*An Deus infallibiliter & certò cognoscat contingentia conditionata ?*

**S**uppono 1. Objectum conditionatè futurum , ut supra dictum est, est cujus eventus absolutè non enunciatur , sed dependenter à conditione , quæ conditio si sit ponenda , est absolutè futurum , si nunquam sit ponenda vel si præcinditur. An sit ponenda vel non ponenda, est conditionatè futurum.

*Supp.*



*Suppono 2.* Conditionatè futurum aliud est, quod habet aliquam connexionem cum conditione: si videl. futuritio dependet à conditione tanquam causâ vel occasione, ut: si Petrus Deum rogabit pro gratiâ, illam impetrabit. Aliud est, quod nullam habet connexionem cum conditione sed puram coexistentiam & concomitantiam temporis, ut: si Petrus dormiat, Paulus studebit. Et hæc vocantur futura conditionata disparata.

*Suppono 3.* Futura conditionata iterum alia sunt, quæ positâ conditione necessariò vel infallibiliter sequuntur ut: si ignem applicavero comburet; si Deus dedit gratiam efficacem Petro, Petrus convertetur; & hæc à Deo certò cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, per quam omnes veritates necessariæ à Deo cognoscuntur; alia sunt, quæ conditionem quidem habent, quæ est causâ vel occasio futuritionis, non tamen infallibilis, ità ut positâ conditione absolute objecti existentia possit non evenire, ut si pauper petierit eleemosynam, illam dabo. Et de his futuris conditionatis procedit in præsentì Quæstio.

**DICO.** *ipse Deus attestatur eis* (nempe Tyriis & Sidoniis) *quod acturi essent magna humilitatis penitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum* S. Th. 3. p. Q. 1. art. 5. ad 2. Quod igitur Deus certò & infallibiliter non solum ex parte subjecti, (id est quod Deus certò cognoscat objectum licet fallibile & incertum) sed etiam ex parte objecti (id est quod ipsum cognitum certum & infallibile sit) cognoscat omnia futura contingentia conditionata.

*Probatur 1.* Ex script. 1. Reg. 23. David fugiens à facie Saul in civitatem Ceilam, audito nuntio, quod Saul statuisset Davidem intrâ urbem latentem capere interrogavit & consuluit Dominum de duobus contingentibus conditionatis: primum erat: an, si David

maneret in urbe Saul eam esset obsessurus, quod tamen non est factum, quia nec David mansit in urbe, nec Saul eam obsedit, secundum futurum conditionatum: si Saul urbem Ceilam obsideret an cives David latentem essent tradituri, ad utrumque respondit Deus absolute affirmativè; ergò determinatè Deus cognovit, quod Saul esset obsessurus urbem, si David in illà maneret & quod cives Ceilani David essent tradituri, si Saul urbem obsideret.

2. Matth. 11. v. 21. dicit Christus: *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida. quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quae facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent*; ergo anima Christi per scientiam à Deo participatam cognovit Tyrios & Sidonios determinatè acturos poenitentiam, si Christi miracula vidissent.

*Probatur 3. ratione*: si absque ullà imperfectione sit possibilis modus habendi cognitionem non solum formaliter, sed etiam objectivè infallibilem & metaphysicè certam, tunc indubitatum est, talem cognitionem in Deo ente perfectissimo reperiri; atqui possibilis est aliquis modus in Deo, quo futura conditionata certò & infallibiliter ex parte objecti cognoscatur; ergo talis cognitio Dei non est deneganda.

*Obj.* Deus 4. Reg. 20. v. 1. Regi Ezechiae per Prophetam Isaiam absolute praedixit: *praece domini tua, morieris enim tu & non vives*, item Jon. 3. v. 4 Deus absolute dixit: *adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*: & tamen postquam orasset Ezechias, & poenitentiam egissent Ninivitae, nec Ezechias mortuus, nec Ninive est subversa; ergo ex hoc, quod Deus absolute praedixit aliqua esse futura conditionatè; non sequitur, quod Deus absolute infallibiliter illa ex parte objecti noverit futura, accedit, quod saepius de futuris contingentibus non loquatur affirmativè sed velut de

De hoc. De  
de conditione ut  
nem in & jam  
v. 11. de forte de  
11000

1) dicitur De  
pate conditiona  
tatis & hoc modo e  
tione in illis subje  
bis objectivè & con  
tant restu simplice  
cantes, vel dicit ab  
tantquam evenit  
Q. 17. a. 4. de 1.2.  
quae restu in illa  
et dicitur in corpore  
cum spe 1. Ad  
pateretur. id est de  
veritate. S. P. 1. ego  
venit Thagi. in n  
dicitur opinionem  
ad. De negotio  
tas cum respectu a  
modo remanet cog  
nitionem.

QU

des quædam decreta e  
Dei fuerunt

Supponit. Volitio  
dicitur: aliud sit  
pate dicitur quam sul  
dicitur aliud futurum  
vellet, si veniat e  
qua cum non est ali  
meus servante bene

DE SCIENT. DEI RESPECTU CONTING. COND. 179  
de rebus dubiis ut Gen. 3. v. 22. *Ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vite* Deuteron 4. v. 16. *Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem.*

¶ Dupliciter Deus potest cognoscere futura contingentia conditionata i modo. Per ordinem ad causas secundas & hoc modo cognoscuntur quidem à Deo cognitione infallibili subjectivè, attamen cognitione fallibili objectivè & conjecturali, quomodo intelligendi sunt textus scripturæ eventum per modum dubii indicantes, vel aliquid absolute prædicentes, quod tamen nunquam evenit ut pulchrè utrumque textum 2.2. Q. 171. a. 6. ad 2. exponit S. D. *Secundum hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis: morieris & non vires id est dispositio corporis tui ad mortem ordinatur: & quod dicitur Jona 3. Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur, id est hoc merita eius exigunt, ut subvertatur: Ss. PP. quoque in hoc sensu intelligendi & veteres Theologi, si negaverint in Deo certam & infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum ad d. Deus cognoscit futura contingentia conditionata cum respectu ad decretum divinum, & hoc modo terminant cognitionem etiam objectivè infallibilem.*

## QUÆSTIO II.

*An ponenda decreta ex objectis conditionata in quibus Deus futura conditionata cognoscat?*

**S**uppono 1. Volitio vel decretum conditionatum est duplex: aliud simpliciter conditionatum tam ex parte objecti quam subjecti, quod est tunc, quando dicitur aliquid futurum sub conditione, si voluntas id vellet, & vocatur conditionatum ex parte subjecti, quia actu non est aliquod decretum, sed esset, ut: meus servus iret Bonnam, si ego id vellem; hæc applici-

XII.  
oblecturus, quod  
David manit in vi  
n futurum condit  
sideret an cives Dei  
inque responderi De  
rminatè Deus cogn  
rbem, si David illa  
avid esset iudicari  
  
istis: Pa in Cr  
si in Tyro & Sive  
et in vobis, dicit  
fent; ergo anima  
viam cognovit Ty  
spenitentiam, si  
  
la imperfectione  
onem non solum  
libilem & meta  
st, talem cogni  
petiri; atqui pos  
solutum conditio  
objecti cognoscat;  
ganda.  
i Ezechie per Pro  
prape domini tue,  
Jon. 1. v. 4 Deus  
tus & Ninive/ab  
Ezechias, & per  
Ezechias mortuus,  
hoc, quod Deus  
conditionatè; non  
ibiliter illa ex parte  
rod sapientis de futu  
firmativè sed relat  
de

plicando ad Deum, si formetur in Deo decretum conditionatum ex parte subjecti & effectus (qui enuntiat sub conditione illius non absoluti sed conditionati decreti futurus) est cum illo decreto conditionato infallibiliter connexus; certum est, quod Deus futuritionem illius eventus videat per scientiam simplicis intelligentiæ; tales veritates conditionales dependentes à decreto conditionato sunt sequentes: si Deus decreverit Christum prædicare Tyriis, Christus Tyriis prædicabit, si Deus decrevit Tyrios convertere, convertentur; Deus harum propositionum veritatem infallibilem infallibiliter videt in solâ possibilitate decreti prædefinientis per simplicis intelligentiæ scientiam: videns enim possibilitatem decreti prædefinientis Christum ad prædicandum vel prædeterminantis Tyrios ad conversionem, videt etiam effectus habentes necessariam & infallibilem connexionem cum illis decretis. Aliud decretum est conditionatum ex parte objecti & absolutum ex parte subjecti, quæ est actus voluntatis de facto & actualiter à volente elicitus circa objectum de facto non ponendum, donec ponatur conditio & vi hujus decreti ponitur connexio inter conditionem & eventum ex ipsâ secuturum: ut volo & decerno dare elemosynam, si Petrus illam à me petierit: in hoc actu, etsi datio elemosynæ non habeat infallibilem connexionem cum petitione, quia tamen ego actualiter & efficaciter decerno conjungere elemosynam cum petitione, manifestum est, quod cognoscendo hoc decretum à me elicitum infallibiliter deducam hanc propositionem: si petierit dabo elemosynam.

*Suppono 2.* Certum est, quod in Deo dentur decreta conditionata ex parte objecti, vel quod in Deo dentur actus & determinatio præsens voluntatis divinæ cum alligatione objecti ad certam conditionem, quantumvis illa nunquam sit ponenda, nam imprimis

Matth,

Matth. 26. Christus dicit: quod si Patrem rogaret esset exhibiturus plus quam duodecim Legiones Angelorum, adeoque supposebat voluntatem Patris exhibendi tot Legiones sub hâc conditione, si filius rogaret. Similiter pactum, quo Deus Adamo promisit propagationem justitiæ originalis in posteros sub conditione non peccandi, erat voluntas absoluta præsens & efficax ex parte Dei promittentis, conditionata tamen ex parte objecti & quidem sub conditione nunquam implendâ vel redigendâ in actum. Demum 4. Reg. 13. v. 10. dicit propheta: *Si percussisses (baculo) Quinquies aut sexies sive septies percussisses Syriam ad consumptionem*; ergo Deus habuit decretum ex parte subjecti absolutum, ex parte objecti conditionatum, ut Rex Israel deleteret Syriam, si septies baculo terram percussisset. His suppositis.

DICO. *Non oportet, quod quæcunque scit Deus, sint vel fuerint, vel futura sint, sed solum ea, quæ vult esse vel permittit esse.* S. Th. hic Q. 14. a. 9. ad 3. Sive: Deus futura conditionata videt in suo decreto absoluto subjectivè & conditionato objectivè & ex parte objecti.

Probat. 1. Quando conditionalis non est vera vil-  
lationis, non potest esse vera absolutè, nisi virtute ali-  
eius causæ extrinsecæ, quæ posito antecedente infalli-  
biliter ponat consequens: quia, quæ non sunt ex suâ  
naturâ inter se infallibiliter connexa, non possunt hanc  
connexionem accipere, nisi ab aliquâ causâ extrinsecâ,  
quæ illa infallibiliter inter se connectat; atqui volitio  
conversionis Tyriorum non est ex naturâ suâ connexa  
cum volitione, quâ Deus decernit Christum apud Ty-  
rios prædicare, eò, quod prædicatione Christi existente  
Deus potuisset adhuc nolle eorum conversionem: ut  
patet per se, ergo debet accedere causa aliqua extrinse-

ca, quæ positionem conversionis tyriorum ita indissolubiliter cum prædicatione Christi connectat, ut stante tali connexione saltem in sensu composito Christum prædicare & tyrios non converti, non sit possibile; atqui talis causa infallibiliter unum cum alio connectens non potest esse ulla causa creata libera: quia voluntas creata est fallibilis & mutabilis, sed solum increata, quâ per voluntatem suam immutabilem & infallibilem unius ex altero consecutionem decernat; ergo admitenda sunt decreta Dei subjective absoluta, quorum cognitio sit simul infallibilis scientia rerum conditionatè futurarum.

Probat 2. Eatenus est aliquid determinatè cognoscibile & affirmabile, quatenus determinatè existit vel in se vel in suo effectu vel in suâ causâ necessariò connexâ cum illo: quia de objecto indifferenti non potest intelligi determinata affirmatio; atqui futurum contingens conditionatum non habet ullam determinationem in suâ causâ creatâ: cum ipsius causæ creatæ non existant; nec in se: cum ipsa res actualiter nondum existat; nec in suo effectu, qualem nondum habet; ergo de futuro contingenti non datur ulla determinata veritas sine actuali verificativo, quale solum esse potest decretum Dei ab æterno existens absolutum subjective & conditionatum objective.

*Obj. 1.* Decreta ex parte subjecti absoluta & ex parte objecti conditionata sunt. 1. *mò* Otiosa: quia otiosum est, quod caret honesto fine; atqui Deum velle convertere Petrum, si eat ad concionem, ad quam tamen non vult illum ire, nullum habet honestum finem.

2. *mò* Ridicula & irrisoria; quia aliquid promittunt sub conditione, quæ est in arbitrio promittentis; quam simul promittens nunquam vult ponere, ut ridiculum foret, si promitterem 100. aureos, si cras ad te veniam, & simul resolve cras ad te non venire; eodem

**DE SCIENT. DEI RESPECTU CONTING. COND. 183**  
eodem modo Deus irrisoriè ageret decernendo & promittendo Judæorum conversionem, si Christus apud illos prædicaret, apud quos tamen decrevit Christum non esse prædicaturum, irrisoriè utique ageret Dominus dicens famulo: volo, ut mihi portam apertas, si dedero tibi clavem; si simul efficaciter nollet dare clavem, & postea ob januam non apertam indignaretur servo; ergo etiam Deus volens Tyrios convertere sub conditione prædicationis Christi, quam nunquam vult fieri, injustè infidelitati Tyriorum irascitur, eosque ob illam punit.

3<sup>o</sup> **Impossibilia:** quia tunc promissio conditionata est impossibilis, quando consecutio conditionis appositæ est impossibilis, atqui Deus volens convertere Tyrios sub conditione prædicationis Christi reddit prædicationem Christi impossibilem per aliud decretum efficax, quo decernit Christum non prædicare tyriis: ergo impossibile est decretum Dei de conversione tyriorum, si Christus apud ipsos prædicaverit, dum scit hanc prædicationem propter aliud decretum esse impossibilem.

4<sup>o</sup> **Vana & inutilia:** quia vana est sollicitudo de rebus nunquam existentibus & non est necessaria providentia de rebus nunquam futuris; atqui objecta conditionata nunquam existent; ergo decreta subjectivè absoluta sunt vana & ad gubernationem rerum penitus inutilia.

5<sup>o</sup> **Ad I mum finis sufficiens habendi decreta** objectivè conditionata est, ut acquiratur certa & infallibilis cognitio futurorum conditionatorum, & pertinet ad universalem provisorem cum summâ rerum omnium infallibilitate posse plurima facere, quæ de facto ad ostensionem suæ libertatis vel ob alias causas nunquam faciet; sic voluntas Dei antecedens, quâ vult salvare omnes homines, non est otiosa & tamen illa attingit

XII.  
s tyriorum ita indiffi  
ti connectat, ut illu  
composito Christu  
i, non sit possibile  
cum alio connecter  
ibera: quia voluntas  
sed solum in re, a  
silem & indiffin  
ernat: ergo abso  
absoluta, quoniam  
rerum condicio  
  
determinate cog  
is determinate cog  
sua causa necessi  
indifferenti non  
atqui futurum  
ullam determin  
tus cause coæta  
stualiter nondum  
a nondum habet  
r ulla determinata  
ale solum esse po  
absolutum subje  
  
absoluta & ex par  
tiofa: quia otio  
atqui Deum velle  
nem, ad quam ta  
r honestum finem,  
a aliquid promit  
tio promittentis;  
de ponere, ut ridi  
aureos, si cred  
ad te non venies;  
eodem

etiam reprobos, qui æternam salutem nunquam obtinebunt.

Ad 2dum: promissio conditionata, cujus conditio pendet à solo arbitrio promittentis cum efficaci decreto non ponendi conditionem non est irrisoria, si promissio illa alium habeat finem, quam ut res promissa deducatur ad effectum; quamvis autem Dominus injustè indignaretur servo, cui mandavit portam aperire, si clavem dederit, portâ occlusâ ob non datam clavem, cum nullum aliud famulo suppetat remedium januam aperiendi, attamen quamvis Deus Tyriis negaverit prædicationem Christi, quæ ex divinâ præordinatione erat efficacissimum remedium ad conversionem, non tamen eisdem denegavit alia media ad conversionem sufficientia, ob quorum negligentiam justissimè à Deo reprehendi poterant.

Ad 3tium: promissio conditionata est impossibilis, si conditio sit impossibilis absolute & simpliciter. Con. si conditio sit impossibilis solum ex suppositione N. quando enim conditio est solum impossibilis ex suppositione, possunt adhuc haberi cum illâ impossibilitate decreta conditionata ex parte objecti ob honestos fines, quales non dantur in decretis habentibus annexas condiciones simpliciter impossibiles.

Ad 4tum: supremus gubernandi modus, quem habet Deus, exigit ut non tantum sciat, quæ absolute aliquando contingent, sed etiam, quæ ob altissimos fines nunquam sunt futura, possibile tamen est illa evenire.

*Obj. 2.* Hinc sequeretur: quod Deus habeat infinita decreta circa combinationes rerum possibilium, ut si Deus esset conditurus alium mundum tot essent producendæ muscæ.

R. Sicut Deus ab æterno ex infinitis infinitis creaturis possibilibus res absolute futuras absolutissimo decreto

creto



creto unico simplici actu voluntatis ad statum absolutæ existentiae extraxit, alias autem omnes creaturas non solum in statu puræ possibilitatis reliquit, sed etiam ad non futuritionem determinavit; ita similiter ex infinitis possibilibus combinationibus conditionum unâ simplici voluntate aliquas determinavit, quas videbat suæ generali providentiæ consentaneas, cæteris in statu puræ possibilitatis & non futuritionis conditionatæ relictis. Unde non sequitur quod quascunque combinationes disparatas decreverit sed solum eas quæ ad ordinem divinæ providentiæ pertinent.

*Obj. 3.* Omne decretum absolutum divinæ voluntatis infert & causat aliquam mutationem physicam & realem in creaturâ: quia ex illo resultat aliquis respectus rationis in Deo, qui cum advenire nequeat per mutationem Dei, advenire debet per mutationem creature; sed decreta conditionata, quorum conditio nunquam est ponenda, nullam possunt facere mutationem in creaturâ defectu conditionis nunquam ponendæ.

*R.* Distinguendo maj. omne decretum infert mutationem vel absolutam vel conditionalem Con. tantum absolutam N. quando decretum Dei est absolutum objectivè, tunc debet inducere in creaturâ mutationem realem physicam & absolutam, quando autem est decretum conditionatum objectivè, non debet inducere mutationem realem absolutè sed solum sub conditione, ad quod sufficit, quod ex vi decreti illius realiter mutaretur creatura, si conditio impleretur: quia conditio est sufficiens, ut divina voluntas aliter comparetur ad creaturas post illud decretum quam ante.

\* \*  
\*

M 5

QUÆ.

XII.  
tem nunquam  
uz, cujus condi-  
tum efficaci de-  
t irrita, si pro-  
am ut res promit-  
utem Dominus in-  
avit potam ap-  
tisa ob non d-  
ppetatur reman-  
ovis Deum  
ze ex divina  
dium ad con-  
t alia media  
n negligentiam  
impossibilis,  
pliter Con-  
ppositione N.  
ibilis ex hypo-  
impossibilitate  
ob honestos fi-  
tribus annexas.  
modus, quem  
quæ absolute  
ob altissimos  
tamen est illa  
is habeat infi-  
n possibilitatem,  
dum tot esse  
s infinitis crea-  
solutissimo de-  
creto

*Per quam scientiam Deus futura conditionata cognoscat.*

**G**Ravis est controversia inter Thomistas & recentiores. Thomistæ suprà datam divisionem scientiæ in eam quæ est simplicis intelligentiæ, & quæ est visionis, contendunt esse adæquatam ex rationibus allegatis proindeque ad alterutram pertinere cognitionem futurorum non tantum absolutorum sed etiam conditionatorum. Econtrà recentiores aliam pro salvandâ infallibilitate divinæ scientiæ de actibus liberis à voluntate creatâ eliciendis, quam dicunt mediam, scientiam in Deo statuunt, juxtà quos scientia media est cognitio conditionatorum, quæ ante omnem detèrminationem actualem & exercitam divinæ voluntatis Deo convenit, vi cujus prævidet, quidquid facturum est liberum arbitrium pro quâcunque occasione & conditione, antequam decreverit, quid futurum sit, tota igitur controversia in eo consistit, an Deus aliquid cognoscere possit non ut merè possibile, neque ut absolute futurum, sed tantum ut conditionatè, si voluntas creata in his vel illis circumstantiis cum talibus auxiliis poneretur, futurum præscindendo à decreto Dei, si hoc verum sit, erit aliqua scientia media inter scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est de rebus præscindendo à libero voluntatis divinæ decreto, & scientiam visionis, quæ supponit decretum; si verò omnis futuri etiam conditionati cognitio non sequatur sed supponat liberam voluntatis divinæ determinationem, nulla dabitur scientia media. Pro veritate Thomisticâ.

*DICO. Certitudo divina præscientiæ non excludit contingentiam singularium futurorum, quia fertur in ea secundum quod sunt præsentia, & jam determinata*

*nata*

nata ad unum, S Th. 2. 2. Q. 17. a 6. ad 1. Sive ad salvandam divinæ scientiæ circa actus liberos certitudinem aut humanæ voluntatis sub efficaciam gratiæ libertatem, ipsiusque gratiæ ad omnes actus meritorios necessariæ infallibilitatem alia inter simplicis intelligentiæ, & visionis media divinæ voluntatis determinationem, præveniens scientia non est admittenda.

Probat 1. Generaliter ex S. Scripturâ quæ affirmat absolutissimum Dei in nostras liberas voluntates & actiones hominum dominium, supremam in efficiendo & prædefiniendo quidquid vult independentiam & libertatem, universalem ejus in omnia providentiam, prædestinationem certam, non tantum certitudinæ scientiæ sed etiam causalitatis, intrinsecam gratiæ virtutem & efficaciam ut probant sequentia scripturæ loca: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud* Prov. 21. v. 21. *Deus det vobis cor omnibus ut colatis eum & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti* 2. Mach. 1. v. 3. *Non volentis neque currentis sed misereus est Dei ad Rom. 9. v. 16. Quis te discernit quid autem habes, quod non accepisti si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis,* 1. ad Cor. 4. v. 7. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* ad Philip. 2. v. 13. Atqui hanc doctrinam S. Scripturæ minuunt principia scientiæ mediæ: nam immò scientia mediæ affirmat aliquid esse à libero arbitrio, quod non est effectivè à Deo vel auxilio gratiæ divinæ: quia juxta principia scientiæ mediæ Petrus v. g. non accipit effectivè ab auxilio gratiæ, quod se determinet ad amandum, sed Petrus accipit à libero arbitrio, quod se determinet ad amandum; ergo Petrus accipit à libero arbitrio, quod non accipit effectivè ab auxilio gratiæ, quod Petrus non accipiat effectivè ab auxilio gratiæ, quod se determinet ad amandum juxta principia

cipia opposita patet : quia juxtà hæc principia auxi-  
 lium gratiæ determinatur à libero arbitrio ad amorem,  
 cum enim auxilium gratiæ sit de se indifferens ad amo-  
 rem vel odium, liberum arbitrium suâ determinatio-  
 ne facit, quod sit ad amorem, implicat autem, quod  
 aliquid effectivè determinet id, à quo effectivè deter-  
 minatur, igitur juxta principia sententiæ oppositæ pro-  
 positio hæc : voluntas mota ab auxilio gratiæ amabit :  
 est similis illi ; planta mota ab influentiâ solis germinabit  
 neutra enim juxtà illos habet infallibilem veritatem ab-  
 solutam ; sicut enim non est verum infallibiliter, quod  
 Planta mota à sole germinabit nisi sub conditione si be-  
 ne fuerit disposita, ità nec infallibiliter verum est abso-  
 lutè, quod voluntas mota ab auxilio gratiæ amabit,  
 sed solum sub hâc conditione, si voluntas se determi-  
 net ad amorem, & sicut influentia solis, quia non  
 causat dispositionem plantæ, idèd eam præsupponit,  
 ita auxilium gratiæ, quia non causat determinationem  
 liberi arbitrii, idèd præsupponit illam ; ex quo ulte-  
 riùs sequitur, quod sicut Angelus movens solem debeat  
 prævidere dispositionem plantæ, antequâ possit decer-  
 nere efficaciter germinationem plantæ per influentiam  
 solis, ità Deus debet prævidere determinationem liberi  
 arbitrii, antequam decernat efficaciter amorem liberi  
 arbitrii per auxilium gratiæ ; econtrà si dispositio Plan-  
 tæ esset effectivè à solis influentiâ, tunc Angelus mo-  
 vens solem absque aliâ prævisione dispositionis plantæ  
 posset efficaciter decernere illius germinationem, simi-  
 liter si determinatio liberi arbitrii esset effectivè ab au-  
 xilio gratiæ, tunc Deus absque ullâ prævisione prædi-  
 ctæ determinationis posset efficaciter decernere amo-  
 rem liberi arbitrii, discursus hic sumitur ex S. Th. de  
 ver. q. 6. a. 3. ad 4. ubi talis formaliter objectio.  
*Certitudo, qua est cum suppositione alicujus, non est  
 certitudo absoluta sed conditionalis, sicut non est cer-*

tum, quod sol causet fructum in plantâ, nisi cum hâc  
 conditione, si virtus generativa in plantâ fuerit bene  
 disposita, propter hoc, quod dispositio solis ad effectum  
 prædictum præsupponit virtutem Plantæ quasi causam  
 secundam, si igitur certitudo prædestinationis sit cum  
 suppositione secundæ causæ, non est certitudo absoluta  
 sed conditionalis tantum, ad hanc objectionem ita re-  
 spondet S. Th. dicendum, quod causa secunda, quam  
 oportet supponere ad inducendum prædestinationis effe-  
 ctum, etiam ordini prædestinationis subjacet, non au-  
 tem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus  
 superioris virtutis agentis & idè ordo divinæ prædesti-  
 nationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis hu-  
 mana, nihilominus tamen absolutam habet certitudi-  
 nem; quasi diceret: determinatio liberi arbitrii, quam  
 oportet supponere ad amorem, etiam causalitati gra-  
 tiæ subjacet, & idè motio divinæ gratiæ ad amorem,  
 quamvis se ad illum determinet liberum arbitrium, ni-  
 hilo minus tamen habet certitudinem absolutam.

Obj. Palmarium adversariorum argumentum :  
 Matth. II. & Luc. IO. *Va tibi Corozaim, va tibi*  
*Beithsaida, quasi in Tyro & Sidone facta fuissent virtu-*  
*tes, quæ facta sunt in vobis olim in cilicio & cinere pœ-*  
*nitentiam egissent; ubi Christus increpat Judæos,*  
 quod non egerint pœnitentiam, quam tamen Ty-  
 riis & Sidonii egissent factâ prædicatione Christi; si  
 autem Deus in suo decreto, quo volebat Tyriis dare  
 gratiam efficacem prædicante Christo, vidisset Ty-  
 riorum conversionem, non posset justè increpare  
 Judæos, cum non sit paritas: si enim Deus etiam  
 Judæis Christo prædicante voluisset dare gratiam ef-  
 ficacem, illi etiam fuissent conversi.

R. Idem argumentum S. Augustino à Pelagianis  
 fuit objectum L. de corrept. & grat. cap. 5. ubi  
 Pelagianos ita loquentes inducit S. P. *Cur corripia-*

*mini,*

mur, cur arguimur, reprehendimur, accusamur, quid facimus, qui non accepimus... hanc (obedientiam) non accepimus, quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, ad quod respondit S. D. cap. 7. perseverantiam esse donum Dei, corripimus tamen eos, justèque corripimus, qui cum bene viverent, non in eo perseverarunt, ex bonâ quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt.... nec se excusabunt dicentes... perseverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono. Ex hac S. Patris ratione; si enim non liberantur à damnatione, qui non audierunt Evangelium, multò minus, qui non acceperunt perseverantiam in Evangelio; cujus responsionis est fundamentum; ut aliquis justè corripiatur præ altero, satis est, quod habuerit auxilia sufficientia, quibus poterat perseverare, obedire, aut credere & de facto noluerit; non enim corripitur aliquis rationabiliter, nisi ob id quod obligatus poterat facere & non fecit, ad hæc tria autem non requiritur decretum efficax circa conversionem, quia ex eo, quod Deus habeat prædictum decretum, infallibiliter sequitur conversio, ideoque simul stare non posset non conversio cum potentiâ & obligatione convertendi, si ad potentiâ & obligationem convertendi, requireretur decretum efficax de conversione.

Probatur secundò conclusio specialiter; quod ad salvandam humanæ voluntatis cum divinâ præscientiâ & gratiæ efficaciam libertatem non serviat scientia media, quæ eadem difficultas à Massiliensibus semipelagianis excitata & à Prospero & Hilario discipulis S. Augustini suo præceptori proposita & ab eodem non per scientiam mediam, sed per Dei propositum ex se efficax & ex voluntatis divinæ definitâ sententiâ soluta fuit, ac itâ libertas salvata per prædestinationem libera-

Dei Reser-  
beratem pra  
liberes filios vo  
nus appt, eo qu  
m; illa civilica  
ipiam illam Create  
no, quod creatura  
liberum liberum  
ante ad quodam de  
sua sent media no  
mal Carori, & do  
quod non fit à  
iam.  
Mariano senten  
tenda libertate.  
sententia Augu  
taria explicat: l  
tatum sine lesione  
liberitatis t  
betur; ideoque  
tis, quæ prævolunt  
tandendum; ne  
t prævolunt; si er  
tiam in illis circumst  
tandem, necesse  
tate liberè determina  
tiam dependeat à  
tiam, sed conse  
tate libertati quod  
tiam libertatem  
tiam: quia  
tiam habet liberan  
tiam, quia defen  
tiam suos int  
tiam in Domino  
tiam Mariana præ

libertatis & libertatem prævolitam, quam scientiæ mediæ defensores salvari volunt per libertatem præscitam sed minus aptè, eò quod scientia mediæ evertit libertatem: illa enim scientia evertit libertatem, quæ non subjicit illam Creatori: omnis enim creatura hoc ipso, quod creatura sit, debet subjici Creatori, & secundum liberum debet in omni suâ determinatione ad agendum dependere à primo libero; atqui scientia mediæ non subjicit libertatem creaturæ ipsi Creatori, & docet aliquid esse à libero arbitrio, quod non sit à primo libero; ergo evertit libertatem.

Deinde Moliniana sententia majores habet difficultates in salvanda libertate, quam sententia Augustiniana: quia sententia Augustiniana prædestinationem libertatis ita explicat: Deus præcognoscit Petrum crediturum sine læsione libertatis, quia vult, quod in istis circumstantiis non solum credat, sed etiam liberè credat; ideoque in istis circumstantiis liberè credit, quia prævolitum est, quod se liberè determinet ad credendum; necesse enim est fieri, quod à Deo est prævolitum; si ergo à Deo prævolitum sit, quod Petrus in istis circumstantiis se determinet liberè ad credendum, necesse erit in istis circumstantiis Petrum se liberè determinare ad credendum, quæ necessitas cum dependeat à voluntate prævolitâ, non est antecedens, sed consequens, quia non minus conjungitur libertati quod infert libertatem, quam quod supponit libertatem; minores hæc explicatio patitur difficultates: quia decretum ex omnipotentia totaliter subdit liberam voluntatis creaturæ determinationem; quia defenditur hæc explicatio à S. Augustino contra suos impugnatores, quia deprimat arbitrium ut in Domino non in se ipso gloriatur. Sententia Moliniana præscientiam libertatis ita explicat,

plicat,

plicat, Deus decernit Petrum crediturum sine læsione libertatis; quia scit, quod in istis circumstantiis non solum credit, sed etiam liberè credit, ideoque in istis circumstantiis liberè credit quia præscitum est, quod se determinaret ad credendum, necesse enim est fieri, quod est à Deo præscitum; si ergo præscitum est, quod Petrus in istis circumstantiis se determinet ad liberè credendum, necesse erit petrum in istis circumstantiis se determinare liberè ad credendum, hæc verò necessitas dependens à libertate præscitâ non est antecedens sed consequens; quia non minus conjungitur libertati, quod supponit libertatem, quam quod infert libertatem; majores hæc explicatio patitur difficultates: quia decretum ex præscientiâ non subdit totaliter Deo liberam voluntatis creatæ determinationem; quia defenditur ab impugnatoribus contra Augustinum; quia elevat arbitrium, ut in se ipso non in Domino gloriatur. Sententia Augustiniana libertatem ità explicat: quidquid fit ex suppositione libertatis, non potest lædere libertatem etiamsi antecedit actum liberum; ergo quod fit ex suppositione libertatis prævolitæ, non potest lædere libertatem, etiamsi antecedit actum liberum, cujus ratio est, quod esse prævolitum non sit conditio destruens libertatem, alioquin non posset dici libertas prævolita sed potius necessitas prævolita, hæc explicatio minorem patitur difficultatem; quia libertas prævolita facit secundum liberum in suâ liberâ determinatione dependere à primo libero, ideoque gratia prædeterminans supponens libertatem prævolitam est congrua libertati secundi liberi. Sententia Moliniana libertatem præscitam ità explicat: quidquid fit ex suppositione libertatis, non potest lædere libertatem, etiamsi antecedit actum liberum; ergo quod fit



fit ex suppositione libertatis præcitiæ non potest laedere libertatem, etiamli antecedit actum liberum; cuius ratio est: quod esse præcitur non sit conditio destruens libertatem, alioquin dici non posset libertas præcita sed necessitas præcita, hæc explicatio majorem patitur difficultatem, quia libertas præcita tollit dependentiam secundi liberi à primo libero, ideoque gratia congrua supponens libertatem præcitam non est congrua libertati secundi liberi.

Obj. 1. Ad libertatem arbitrii requiritur, ut agens cum omnibus ad agendum prærequisitis possit componere non actionem, hoc non salvat sententia Augustiniana: quia cum decreto prædeterminante ad amorem implicat componi non amorem.

R. Negando maj. cuius falsitas apparet ex doctrina Angelica de ver. Q. 23. A. 5. ad 3. ita discurtit S. D. *quævis non esse effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate, non enim sunt ista impossibilia: Deus vult istum salvari & iste potest damnari, sed ista sunt impossibilia: Deus vult istum salvari & iste damnatur*; sufficit igitur, quod cum omnibus ad agendum requisitis componatur potentia ad non agendum, & sicut cum gratia sanctificante componitur potentia ad peccatum mortale & non peccatum mortale, & tamen existens in gratia liberè meretur, eodem modo cum decreto efficaci ad amorem componitur potentia ad odium & non odium, & tamen habens efficaciam ad amorem liberè amat, & certè si ad libertatem requireretur, quod cum omnibus prærequisitis ad agendum posset componi tam actus quam non actus, sequeretur voluntatem sua efficaci determinatione ad aliquid agendum ut, loquen-

dum : tollere sibi libertatem loquendi ; siquidem cum voluntate efficaci loquendi, quæ prærequiritur ad loquendum, non potest componi negatio loquelæ.

*Obj. 2.* Quod se ab intrinseco determinat ad agendum, non potest ab alio determinari ; sed voluntas se ab intrinseco determinat ad agendum ; ergo non potest à Deo determinari.

*R.* Distinguendo maj. quod se ab intrinseco determinat ut primum movens non potest ab alio determinari *Con.* quod se determinat ut secundum movens non potest ab alio determinari *N.* solutio est *S. Th. 1. P. Q. 105. Art. 4. ad 2. dicendum, quod moveri voluntariè est moveri ex se à principio intrinseco, sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco, & sic moveri ex se non repugnat ei, quod est moveri ab alio*

*Obj. 3.* Suppositio antecedens inseparabiliter inferens actum tollit potestatem ad utrumque ; quia, quod ante omnem voluntatis determinationem determinat voluntatem ad unum actum, tollit libertatem ad utrumlibet ; atqui prædeterminatio libertatis antecedit libertatis determinationem & inseparabiliter infert illam ; ergo tollit potentiam ad utrumque.

*R.* Distinguendo probat. maj. Quod determinat voluntatem ad unum actum remanente potestate ad utrumlibet, tollit potestatem ad utrumlibet *N.* quod determinat ad unum sublatâ potestate ad utrumlibet, tollit potestatem ad utrumlibet *Con.* suppositio antecedens, qualis est prædeterminatio libertatis, ante omnem voluntatis determinationem determinat quidem voluntatem ad unum remanente tamen potestate ad utrumlibet : quia determinat ad actum eliciendum dependentem à iudicio indifferente,

De sent. De  
tente, iudicio  
liberitatis  
voluntatem fe  
bonum erg  
quibus una co  
hunc deficit  
Obj. 3. tum,  
et potestatem  
ad agendum ne  
quod indifferen  
quod prædeter  
rentiam tam ob  
cultatis elicit  
libertatis,  
Obj. Ultimo T.  
et definit, quod  
Deo movens & ex  
necessitate agere  
faciatis voluntatem,  
agere, sicut  
voluntas agere, n  
est. At iuxta sent  
est, et liberum  
actum differenzat.  
et liberum actum  
voluntatem differenzat  
voluntatem ; quod  
indifferens ; quod  
potest differre non  
gratias, sed ho  
antimilli differre  
sententiam præta, i  
differre. *Con.* Tri  
tantum & Libertatem  
finis non habet. *bc*

DE SCIENT. DEI RESPECTU CONTING. COND. 195  
rente, quod tribuit potestatem ad utrumlibet, cum  
libertas radicalis consistat in indifferentiâ judicii:  
voluntas enim fertur in suum objectum sub ratione  
boni; dum ergo voluntati proponitur objectum,  
quod sub unâ consideratione est bonum & sub aliâ à  
bonitate deficit, voluntas non necessariò fertur in  
illud obj: ctum, sed habet vim quandam electivam  
& potestatem dominativam, ut positis omnibus  
ad agendum necessariis possit agere vel non agere,  
inquâ indifferentiâ consistit formaliter libertas; cum  
igitur prædeterminatio libertatis relinquat indiffe-  
rentiam tam objectivam judicij quam activam fa-  
cultatis electivæ & dominativæ, non derogat  
libertati.

*Obj.* Ultimò Trid. Sess. 6. de justificat. Can.  
4. ità definit: *si quis dixerit liberum hominis arbitrium  
à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo  
Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam ju-  
stificationis gratiam se disponat ac præparet, neque pos-  
se dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam ni-  
hil omninò agere, merèque passivè se habere. Anathe-  
ma sit.* At juxtà sententiam Augustinianam impossi-  
bile est, ut liberum arbitrium à Deo motum & ex-  
citatum dissentiat.

*R.* Liberum arbitrium per gratiam efficacem à  
Deo motum dissentire posse in sensu diviso, non  
composito; qui sensus divisus non illo modo est in-  
telligendus: quod habens gratiam de facto illi  
gratiæ dissentire non possit, sed tantum, si tollatur  
gratia efficax, sed hoc modo, quod habens grati-  
am possit illi dissentire, non tamen conjungere dis-  
sensum cum gratiâ, ità ut habeat gratiam & simul  
dissentiat, Con. Trid. damnavit Hæresim Luthe-  
ranam & Calvinianam, quæ ex antecedente Angu-  
stiniano videlicet hoc: gratia intrinsecè efficax,

decretum divinum prædeterminans, prædeterminatio Dei inferunt effectum infallibiliter & antecedenter ad determinationem liberi arbitrii: deducebat hoc consequens constanter negandum. Ergo tolli libertatem hominis, hominem impelli à Deo tam ad actum bonum quam ad actum malum, arbitrium humanum habere se tanquam instrumentum inanime, quod Deus quocumque vellet sine ipsius actione impelleret. PP. Con. Trid. ut salvarent libertatem, non damnarunt antecedens & loco gratiæ intrinsecè efficacis substituerunt gratiam congruam & extrinsecè efficacem dependentem à præscientiâ consensûs humani per scientiam mediam, sed potius damnarunt consequens, salvo antecedente ex quo non verè & per bonam sed per hæreticam illationem illud deducitur.

Probatur tertio: per scientiam mediam infallibilitatem gratiæ non melius salvari nec sufficientis, quæ phrasi Augustinianâ nominatur auxilium sine quo non: eo quod sine illâ non possit fieri actus bonus; nec efficacis, quæ appellatur ab Augustino auxilium quo: eò quod ipsa det ipsum agere, dum gratia sufficiens dat posse agere. Imprimis non melius salvatur gratia efficax, quia gratia intrinsecè efficax minores patitur difficultates, quam gratia congrua & extrinsecè efficax, quæ juxta principia scientiæ mediæ est determinata, cum gratia efficax juxta principia Augustiniana sit determinans: tum quia patitur easdem difficultates. Nam idem obijci potest gratiæ congruæ, quod ab adversariis obijcitur gratiæ intrinsecè efficaci: cur enim detur gratia determinans arbitrium uni & non alteri respondere omnes ultimatè cum Apostolo debent: tu homo quis es, ut respondeas Deo? cur uni dentur circumstantiæ congruæ non alteri; ratio etiam dari

alia

alia non potest ab adversariis quam ex apostolo : iudicia Dei abyssus multa ; contrà gratiam efficacem dicere poterant judæi : quid præ Tyriis increpamur ? nam æque bene ac Tyrii credidissetus, si voluisset Deus nobis dare determinationem, quam dedisset Tyriis : contrà gratiam congruam sunt eadem querelæ : quid præ Tyriis increpamur ? nam æque bene ac Tyrii credidissetus, si voluisset nos Deus ponere in circumstantiis illis, in quibus posuisset Tyrios ; tum quia major difficultas est in gratiâ determinatâ quam determinante : quia illa facit liberum arbitrium esse primam radicem discretionis bonorum à malis : cum gratia determinans arbitrium sit prima radix discretionis bonorum à malis. Gratia determinata facit voluntatem dominam & est pedisequa liberi arbitrii ; gratia determinans est domina & facit voluntatem pedisequam.

Deinde gratia sufficiens Augustiniana melius salvatur quam gratia sufficiens Molinistica : Quia gratia sufficiens Molinistica dicitur, quæ dat posse à libero arbitrio sine ulteriori auxilio determinandum, adeoque est versatilis & à libero arbitrio potest fieri efficax vel inefficax ; gratia sufficiens Augustiniana dat virtutem ad agendum supernaturaliter requisitam, quæ tamen in actum secundum non exit nisi accedente gratiâ efficaci, quæ fundatur in decreto determinante ; sicut enim virtus agendi supernaturaliter est realiter distincta ab actu secundo, ita in Deo datur decretum de dandis viribus supernaturalis auxilii cum omnibus ad actum primum requisitis, quin voluntas divina habeat decretum prædefinitivum ipsius operis meritorii, atque ita ex vi prioris decreti stabit in arbitrio creato gratia verè sufficiens, quin ipsum opus meritorium sit secururum, sicut igitur gratia est efficax per decretum definitivum abs-

que ullâ scientiâ mediâ, ita etiam est sufficiens independenter ab ullâ scientiâ mediâ per decretum de dandis viribus sufficientibus ad posse agere.

*Obj. 1.* Gratia sufficiens importat omne id, quod ex parte voluntatis liberæ ad agendum, si vellet, esset necessarium juxta illud Isai. 5. v. 4. *quid est, quod debui ultra vinea mea facere & non feci?* atqui homo per gratiam purè sufficientem in sensu Thomistico explicatam excitatus non habent vim ad agendum prærequisitam videlicet gratiam efficacem; ergo non habet gratiam simpliciter sufficientem.

*R.* Distinguendo maj. gratia sufficiens importat omne id, quod in voluntate creatâ ex parte potentiz ad supernaturaliter agendum est necessarium. *Con.* quod ex parte actus secundi ad agendum requiritur N. efficacia gratiæ, prout purè sufficienti opponitur, non se tenet ex parte virtutis in actu primo, sed ex parte actus secundi.

*Obj. 2.* ut aliquis liberè impleat præceptum, debet illud ita posse implere sicut potest non implere; atqui in principiis gratiæ determinantis præcepta divina non possunt ita impleri, sicut possunt non impleri, cum ad impletionem requiratur speciale auxilium.

*R.* Distinguendo maj. ut aliquis liberè impleat præceptum, debet posse implere & non implere ex propriâ applicatione ad utrumque N. ex propriâ applicatione ad unum & ex speciali auxilio prædeterminante ad aliud. *Con.* explico: ad libertatem non requiritur necessariò æqualis potestas ad utrumque oppositum, sed sufficit, quod voluntas possit unum ex se & aliud ex auxilio alterius, ut patet in exemplo cæci: hic si potest habere directorem paratum, potest rectè ambulare & cæspitare, non tamen habet æqualem potestatem ad utrumque: quia

DE SCIENT. DEI RESPECTU CONTING. COND. 199  
ex se potest cœspitare, & cum auxilio directoris rectè  
ambulare, quare si sine auxilio directoris, quem pa-  
ratum habet, se applicet ad ambulandum, infallibili-  
ter cœspitabit, & imputabitur ei cœspitatio: cum ex  
auxilio directoris potuisset rectè ambulare & non cœ-  
spitare. Fundatur hæc solutio in S. Th. 2. 2. Q. 2. a 5.  
ad 1. ubi ad hanc objectionem: *nullus tenetur ad id,*  
*quod non est in ejus potestate, sed credere aliquid expli-*  
*cite non est in hominis potestate, ergo.* ità respondet;  
*si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxi-*  
*lio gratia, sic ad multa tenetur homo, ad qua non potest*  
*sine gratiâ preparante, sicut ad diligendum Deum &*  
*proximum & similiter ad credendum articulos fidei,*  
*sed tamen hoc potest cum auxilio gratia: idem dicit Con.*  
*Trid. verbis S. Augustini Deus impossibilia non jubet*  
*sed jubendo monet & facere, quod possis & petere*  
*quod non possis.*

*Obj. 3. Qui non potest implere præceptum ex de-*  
*fectu auxilii, quod non est in suâ potestate, absolutè*  
*est impotens implere præceptum; atqui ex defectu gra-*  
*tiaë efficacis, homo est impotens implere præceptum,*  
*quod tamen auxilium non est in suâ potestate.*

*R. Distinguendo secundam partem mi. Quod non*  
*est in suâ potestate nec in nec directè Con. Quod non*  
*est in suâ potestate directè N. Explico: illud est*  
*directè in nostrâ potestate, quod possumus ex deter-*  
*minatione liberi arbitrii nobis dare, & sic auxilium præ-*  
*determinans non est in nostrâ potestate, illud autem in-*  
*directè est in nostrâ potestate, quod daretur nobis, si*  
*ei ex determinatione arbitrii nostri non poneremus im-*  
*pedimentum & hoc modo auxilium prædeterminans est*  
*in nostrâ potestate, quod sufficit, ut non impletio*  
*præcepti ex carentiâ auxilii prædeterminantis nobis im-*  
*putetur: quia, si propriè loquamur, carentia auxilii*  
*non est causa efficiens determinationem ad amorem con-*

trarium præcepto, sed potius ipsa determinatio ad amorem contrarium præcepto est causa carentiæ auxilii facientis amare præceptum; verum quidem est, quod si Deus præveniret voluntatem prius determinando ad amorem præcepti, tunc voluntas se non determinaret ad amorem contrarium præcepto, sed Deus non tenetur sic prævenire voluntatem, sed ob diversos sapientiæ suæ fines permittit se per amorem contrarium præcepto à voluntate præveniri. Sed de his plura 1. 2. Disp. XXV.

### QUÆSTIO IV.

*An & quæ scientia Dei sit causa rerum?*

**S**upponendum est: scientiam tam simplicis intelligentiæ quam scientiam visionis concurrere ad causalitatem rerum, sicut in artifice ars, per quam formantur plures ideæ, reddit artificem potentem producere opus arte factum, quæ eadem ars, postquam artifex se determinavit ad faciendum artificium juxta unam ex conceptis ideis, concurrat ad ipsum artefactum, ita Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit, quot modis imitabilis sit essentia divina per creaturas, accedente decreto, quod unam ex creaturis possibilibus velit producere, per scientiam visionis creaturam decretam producit, pro cuius pleniori deductione.

**DICO.** *Deus per intellectum suum causat res... necesse est, quod sua scientia sit causa rerum secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis S. Th. hic Q. 14. a. 8. O.*

Explicatur conclusio; utraque scientia Dei est causa rerum; simplicis intelligentiæ quantum ad virtutem & in actu primo non verò in actu secundo, scientia visionis causat res in actu secundo ut est approbationis.

Prima



Prima pars probatur : Scientia Dei ità se habet in mente divinâ, sicut ars in mente artificis; sed ars in mente artificis prout antecedit determinationem propriæ voluntatis ad opus est tantum causa artefactorum virtute & potentiâ : voluntas enim solùm dat applicationem & movet ad executionem efficaciter ipsam virtutem & potentiam, non autem dat virtutem, sed supponit, ut moveat illam : plus enim potest artifex quam de facto faciat ; ars etiam concurret directivè ad artefactum ostendendo finem & exhibendo ideam operis ; ergo scientia divina ut antecedit decretum voluntatis divinæ, sic est causa rerum directiva & in actu primo, scientia verò quæ antecedit voluntatem, est scientia simplicis intelligentiæ.

Secunda pars probatur : causa actualiter causans habet applicationem ad causandum ; atqui scientia simplicis intelligentiæ de se non dicit determinationem ad producendos effectus ; cum sit scientia necessaria & naturalis, quæ remoto decreto libero solùm importat virtutem, quâ ex parte intellectûs Deus possit ordinare & dirigere productionem creaturarum.

Tertia Pars, quod scientia visionis sit actualis causa rerum & futuritionis : probatur : scientia visionis repræsentat futurum determinatè ut futurum est : in hoc enim distinguitur à scientiâ simplicis intelligentiæ, quod hæc repræsentet res in statu puræ possibilitatis, illa verò in exercitio futuritionis & existentiæ ; atqui hæc scientia determinatè repræsentans futurum ut futurum est causa futuritionis, quia futura dependent à causâ primâ non solùm, ut habet virtutem causandi, sed ut applicatâ & determinatâ ad causandum & ut in exercitio practicè dicit secundum illud : *ipse dixit & facta sunt* ; ergo scientia visionis, quæ est scientia applicata & determinata dicens & faciens existentiam est causa rerum.

Probatur 2. Scientia Dei est causa rerum ut est scientia approbationis: atqui scientia approbationis pertinet ad scientiam visionis, quia scientia approbationis est scientia determinata ad producendum effectum & supponens in Deo voluntatem beneplaciti, hoc ipso autem, quod scientiæ Dei cognoscentis rem possibilem conjungatur efficax voluntas, res possibilis, quæ est objectum simplicis intelligentiæ, mutatur in objectum visionis, & de possibili transit in existens vel futurum, & ita scientia simplicis intelligentiæ desinit & accipit denominationem visionis; duo enim sunt in scientiâ visionis. 1. modo. Ordo ad voluntatem approbantem, in quâ fundatur, & secundum hunc ordinem ac quatenus voluntatem respicit, est scientia approbationis hoc est: in approbatione fundata & vi approbationis operans. 2. do. Ordo ad existentiam rei & secundum hunc ordinem dicitur scientia visionis; scientia igitur visionis & approbationis sunt quidem eadem scientia habens diversum ordinem, scientia approbationis respicit voluntatem approbantem, visionis existentiam rei approbatæ, uterque autem respectus requiritur ad scientiam visionis, eò quod illa non possit per modum visionis terminari ad existentiam rei, nisi fundetur in respectu approbationis, quam supponit.

*Obj. 1.* Scientia Dei, in quantum visionis & intuitiva, respicit rem ut existentem contemplando eam ut objectum; atqui in quantum respicit rem ut existentem illam contemplando, sic non causat rem, sed præsupponit causatam; ergo scientia visionis non formaliter ut talis sed materialiter & identicè quia est eadem cum scientia simplicis intelligentiæ, est causa rerum.

2. Distinguendo maj. Scientia Dei, in quantum visionis respicit rem ut existentem practicè Con. Purè speculativè N. *Explico*: licet formalitas & respectus visionis ut visio est, & formalitas ac habitudo causalitatis

tatis diversæ sint ex genere suo & separatim aliquando inveniuntur in Deo, sic Deus videt se & non causat se, & nos videmus multa, quæ non causamus, & ita datur in Deo scientia visionis speculativa, quæ ut talis non sit approbationis, at scientia visionis in Deo respectu Creaturarum necessariò postulat utramque formalitatem & respectum: quia per scientiam visionis respicit res creatas ut existentes vi talis scientiæ & non per existentiam præsuppositam sed à se derivatam, & ideo visio illa est practica: quia postulat per locum intrinsecum habere adjunctam productionem sui objecti, quod respicit ut à se procedens; sicut igitur generatio quæ Pater æternus generat filium, est visio illius intuitiva & simul generativa: quia intuetur illum ut procedentem à se vi illius visionis, sic creatio est visio Creaturarum creativa suo decreto & imperio dans existentiam.

*Obj. 2.* Scientia præsupponens rem causatam non est scientia practica sed speculativa; atqui scientia visionis præsupponit rem, quam videt, esse causatam & existentem: quia præsupponit voluntatem Dei, quæ est efficax ad rem producendam; ergo ipsa non addit aliquid, quod ad causalitatem pertinet: aliàs enim voluntas, quam præsupponit, non esset efficax.

*R.* Distinguendo probat. mi. Voluntas, quam præsupponit scientia visionis est efficax in intentione Con. in executione N. *Explico:* voluntas est efficax in duplici ordine scil. in ordine intentionis & affectûs ac in ordine executionis & effectûs; voluntas se solâ est efficax in intentione: quia se solâ vult efficaciter & volendo movet potentias executivas mediante imperio ad executionem, se solâ tamen non est efficax in executione & effectû, quia se solâ efficaciter non operatur sed mediante imperio intellectûs & potentiis; hæc jam applicando ad scientiam Dei, verum quidem est, quod existentia rerum sit efficaciter volita ante imperium practicum &

XI.  
 lorum ut effi-  
 approbationis perma-  
 approbationis et  
 tum effectum & lap-  
 acit, hoc ipso au-  
 tem non possibilem  
 possunt, quæ est  
 utatur inspectum  
 distens vel futurum,  
 desine de recipit  
 im sunt in scientiâ  
 approbationem, in  
 finem ac quædam  
 approbationis hoc est  
 approbationis operans  
 tum hunc ordi-  
 igitur visionis  
 entia habens di-  
 is respicit volun-  
 tam rei approba-  
 tur ad scientiam  
 modum visionis  
 idetur in respectu  
 visionis & intui-  
 implando eam ut  
 rem ut existentem  
 m, sed præsup-  
 non formaliter  
 a est eadem cum  
 ta rerum.  
 ei, in quantum  
 tice Con. Præ-  
 litas & respectus  
 habitudo causati-  
 vus

& scientiam visionis per actum voluntatis scientiam visionis precedentem, sed nondum intelligitur executâ: quia voluntas executioni mandat mediante imperio intellectûs, & sic quousque ponatur imperium hoc, res nondum intelligitur executâ & consequenter nec intuitivè visa: quia intuitio fertur super rem executam, ante executionem enim non intelligitur res ut existens seu coexistens cognitioni.

*Obj. 3.* Scientia visionis se habet ad creatas res sicut scientia artificis ad res artefactas juxtâ S. D. sed artifex non causat artefacta per scientiam intuitivam operis artefacti; ergo similiter Deus res creatas non causat per scientiam intuitivam suorum operum.

*R.* Scientiam visionis convenire cum scientiâ artificis demptis imperfectionibus; conveniunt in hoc: quod, sicut scientia artificis non solum quatenus directiva, sed etiam quatenus effectiva videlicet per actum imperii applicantis potentiam executivam ad inducendam formam artefacti ad illud efficaciter concurret; sic etiam divina scientia non solum per directionem & ostensionem finis, quod pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam per efficax imperium ad scientiam visionis pertinens influit in opus; sunt autem duæ notabiles differentiæ 1.º. Quod in artifice creato potentia executiva sit ab intellectu & voluntate realiter distincta nec proinde per solum imperium efficaciter operatur & producit effectum, sed per membra exteriora applicando activa passivis. Econtra potentia executiva Dei solo intellectu & voluntate operantis ab ejus efficaci imperio formaliter immanente & virtualiter transeunte est indistincta. 2.º. Finitâ operatione & executione artificis res artefacta in conservari non amplius ab ipso dependet, unde cognitio intuitiva operis jam facti non est practica sed speculativa, at omnes Creature etiam in conservari dependent ab executivâ potentiâ & scientiâ Dei practicâ.

DIS-

DISPUTATIO XIII.

*De voluntate & libertate Dei.*

**A**D omnem formam sequitur aliqua inclinatio, quæ vocatur appetitus, qui est naturalis si sequatur formam quæ à natura inest, sensitivus, si sequatur formam per sensus apprehensam & quia variæ formæ per sensus apprehenduntur, hinc non est tantum unus, sicut naturalis, sed varius; denique est intellectualis, si sequatur formam per intellectum cognitam & hic dicitur voluntas.

QUÆSTIO I.

*An voluntas Dei habeat se per modum potentia vel actûs.*

**D**ICO. Oportet in Deo esse voluntatem cum sit in eo intellectus, & sicut suam intelligere est suum esse, ita suum velle, S. Th. hic Q. 19 a. 1. O.

*Explicatur & probatur*: imprimis in Deo est voluntas; quia in ente, in quo est intellectus, etiam est voluntas; cum voluntas sit appetitus intellectualis vel inclinatio in bonum cognitum, ideoque omnis substantia intellectualis etiam est volitiva.

Deinde illa voluntas non est per modum potentia: quia est perfectio simpliciter simplex excludens omnem imperfectionem & includens quidquid pertinet ad lineam volitivi, consequenter habet se per modum purissimi actûs uti supra etiam de intellectu diximus; & ex ibi dictis hic formari & solvi possunt objectiones.

QUÆSTIO II.

*An voluntas Dei ut libera distinguatur virtualiter à seipsâ ut naturali?*

**D**ICO. Deus .... respectu illorum, quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet, S. Th. hic Q. 19, a. 10, Q.

Ex.

XII.  
 ...scientiam  
 ...inclinatio  
 ...imperio  
 ...hoc, in  
 ...nec  
 ...per  
 ...gignit  
 ...ad  
 ...S. D.  
 ...ritivam  
 ...tas  
 ...um  
 ...venire  
 ...quatenus  
 ...directum  
 ...ad  
 ...concurrit  
 ...directionem  
 ...simpliciter  
 ...ad  
 ...duram  
 ...creato  
 ...realiter  
 ...efficaciter  
 ...exteriora  
 ...executiva  
 ...ejus  
 ...transfere  
 ...executione  
 ...ab  
 ...operis  
 ...Creaturæ  
 ...potentiæ  
 ...DIS.

*Explicatur:* Sicut scientia simplicis intelligentiæ & scientia visionis non distinguuntur virtualiter ex parte subjecti sed solum ex parte objecti: quia scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad omnia possible, scientia verò visionis terminatur ad futura præterita & præsentia, ità voluntas Dei necessaria & libera non distinguitur virtualiter ex parte subjecti sed solum ex parte objecti, in quantum voluntas necessaria terminatur ad divinam bonitatem, quæ est objectum primum divinæ voluntatis, voluntas autem libera terminatur ad creaturas, quæ sunt objectum secundarium divinæ voluntatis.

### Q U Æ S T I O III.

*In quo consistit actus liber divinæ voluntatis & quomodo stet cum immutabilitate?*

**N**ihil fide certius, & lumine naturali notius est quam in Deo dari libertatem perfectissimam; at nihil in Theologiâ difficilius quam illam libertatem cum immutabilitate Dei concordare; quia actus liber exigit indifferentiam, ut potuerit esse vel non esse, immutabilitas autem Dei necessitatem importat, ratione cujus quidquid in Deo est, ità est, ut non potuerit non esse, hinc explicatu difficile, quomodo summa Dei immutabilitas cum summâ ejus libertate & indifferentiâ consistat. Pro quo.

*Nota 1.* Libertas bene definitur Dominium actûs ad opposita. Dicitur 1mò: Dominium, quo significatur potestas cujusdam indeterminationis & independentiæ ab objecto, circa quod agens liberum versatur, in hoc enim operatio liberi agentis ab operatione agentis necessarii distinguitur, quod potentia agentis necessarii ità ab objecto proposito adæquetur, ut non sit in ipsius potestate objectum illud respicere aut in oppositum divertere, dum econtrà facultas agen-

agentis liberi non ita adæquatur à proposito objecto, nec ab ipsius attractione ita subjugatur, quin vel ipsi resistere illudque deserere, quæ est libertas exercitii, vel ad oppositam partem, quæ est libertas quoad specificationem, se determinare possit. Dicitur 2dò: Dominium sui actûs: quo significatur velle & nolle, qui sunt actus liberi arbitrii, per quos suam indifferentiam circa objectum exercet. Dicitur 3tiò: ad opposita, quo significatur objectum & terminus libertatis, quæ sunt opposita vel contradictoriè ut esse vel non esse objecti vel opposita contrariè ut: bonum & malum, quæ pertinent ad libertatem contrarietatis.

*Nota 2.* 4. esse potissimum modos explicandi libertatem Dei. 1mus: Quod libertas non consistat in aliqua formalitate Deo intrinseca sed in denominatione extrinseca proveniente ab effectibus à Deo productis. 2dus: Actum liberum, superaddere ad perfectiones Deo necessarias perfectionem aliquam intrinsecam, quæ, quia libera est, deficere potuit & in Deo non esse. 3tius: Libertatem consistere in entitate modali defectibili aut saltem in respectu rationis, quem habet actus Dei liber ad creaturas existentes & futuras. 4tus: Actum Dei liberum consistere in terminatione ratione distincta ab actu necessario, quæ terminatio potuit in Deo non esse.

DICO. *Voluntas divina que ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam*, S. Th. hic Q. 19. a. 3. ad 5. Sive actus liber divinæ voluntatis est ipse actus necessarius connotans creaturas velut terminum, qui potest non esse terminus.

*Probat*ur 1. Exercitium divinæ libertatis non consistit adæquatè in aliquo extrinseco; quia est perfectio increata Dei, quæ ab æterno fuit intrinseca Deo; Deus enim ab æterno liberè voluit creare mundum, 2dò Non

con-

consistit in perfectione Deo intrinsecâ defectibili: quia perfectio defectibilis entitativè in ratione perfectionis imperfectionem importat: nam posse non esse est maxima imperfectio. 3<sup>to</sup> Actio libera non superaddit ad necessariam modum aliquem seu entitatem modalem defectibilem, quia ille modus importaret in Deo aliquam potentialitatem, cum divina essentia ad illum modum se haberet ut perfectibile ad perfectivum & consequenter in Deo daretur aliqua compositio. 4<sup>to</sup> Actus liber non constituitur formaliter per respectum rationis ad creaturas: quia est aliquid reale Deo ab æterno conveniens, à quo dependet tota vis & efficacia divinæ providentiæ, in quo fundatur scientia Dei libera; absurdum autem esset, si diceretur, hoc esse aliquem respectum rationis à nobis constructum. 5<sup>to</sup> Sed libertas divinæ voluntatis consistit adæquatè in ipsâ entitate volitionis divinæ subjectivè necessariâ & immutabili, terminativè & objectivè indifferenti propter non necessariam & independentem terminationem sui actus ad objecta creata volita: quia actus liber secundum rationem formalem libertatis est Deo adæquatè intrinsecus: quia est perfectio simpliciter simplex, hic actus autem Deo intrinsecus vel est indifferens subjectivè, quatenus hic actus voluntatis creandi mundum poterat in Deo non esse, vel est indifferens objectivè & terminativè, quatenus æterna Dei voluntas in se eadem & immutata perseverans aequè ab æterno potuisset se determinare ad mundum in suo nihilo relinquendum, ac jam se determinavit ad dandum illi esse; atqui actus Dei liber non potest esse indifferens indifferentiâ subjectivâ: aliàs enim aliquod divinum potuisset non esse & Deus foret mutabilis; ergo actus Dei liber est solùm indifferens indifferentiâ activâ, objectivâ & terminativâ, quatenus idem motivum divinæ bonitatis, quod propter connexionem necessariam cum divinis perfectionibus

&amp;



& adæquationem cum divinâ voluntate est ratio, ut divina voluntas amet necessariò suas divinas perfectiones, illud idem inquam motivum propter connexionem contingentem cum objectis creatis est ratio, ut divina voluntas circa illa sit activè objectivè & terminativè indifferens & sibi ipsi ex infinitorum possibilium cumulo objecta determiner, vel acceptando volita, vel respuendo nolita; ità ut idem simplicissimus actus divinæ voluntatis absque ullâ diversitate perfectionis propter diversitatem volitorum & nolitorum à volitis volitio, à nolitis nolitio denominetur, in quâ indifferentiâ activâ ratio perfectissimæ libertatis nempe dominium & independentia actus ab objecto salvatur. Hæc sententia videtur fuisse S. Th. 1. Cont. Gentes cap. 83. ubi totam differentiâ & distinctionem actus divinæ voluntatis in quantum est necessarius, à seipso in quantum est liber constituit in habitudine ad objectum necessarium & habitudine ad objectum non necessarium. Verba ejus sunt: *Voluntas uno eodemque actu vult se & alia à se, sed habitudo ejus ad se est necessaria & naturalis, habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quandam non quidem necessaria & naturalis neque violenta aut innaturalis sed voluntaria.*

Obj. 1. Actus liber ex suâ ratione formali potest esse & non esse, atqui nihil divinum potest esse & non esse; ergo nihil divinum est actus liber.

Re Distinguendo maj. Actus liber ex suâ ratione potest esse & non esse aut subjectivè & passivè aut objectivè activè & terminativè Con. tantum subjectivè & passivè N. stant igitur simul in actu libero divinæ voluntatis necessitas & contingentia, necessitas subjectiva & contingentia activa, qua actus, qui ab æterno fuit & non potuit non esse, potuit tamen ab æterno velle quod noluit & nolle quod voluit.

Pars I. Theol. Schol.



Obj.

*Obj. 2.* De essentia libertatis est terminatio contingens ad objectum volitum; nihil autem divinum potest esse terminatio contingens: cum terminatio contingens ad objectum volitum possit non esse.

*ꝛ.* Distinguendo probat mi. terminatio ad volitum contingens potest non esse subjectivè, quantum ad hoc, quod dicit in recto N. objectivè, quantum ad id quod subjicit & connotat in obliquo Con.

*Obj. 3.* Voluntas divina est subjectivè libera; ergo etiam debet esse subjectivè indifferens.

*ꝛ.* Distinguendo sequelam debet esse subjectivè indifferens id est intrinsecè indifferens Con. debet esse subjectivè indifferens respectu subjecti vel actus voluntatis, qui potuerit esse vel non esse N. Voluntas divina, quæ est intrinsecè libera, est etiam intrinsecè indifferens non respectu actus voluntatis entitativè spectati, sed respectu objecti voliti, quod, quia non est necessarium, illam ità terminavit, ut potuerit non terminare.

*Obj. 4.* Si indifferentia divinæ libertatis se tenuit ex parte objecti; ergo poterit Deus nolle modò, quod ab æterno voluit, sicut de facto divina subsistentia potest terminare naturam humanam, quam ab æterno non terminavit, ità etiam divina voluntas poterit modò terminari ad producendum mundum novum, ad quem producendum non fuit ab æterno terminata.

*ꝛ.* Deum mutandum intrinsecè, si aliquid modo vellet, quod noluit ab æterno juxta S. Th. hic Q. 19. a. 7. O. ubi ita: *aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle, uno modo sic, quod de novo incipiat sibi illud esse bonum quod non est absque mutatione ejus . . . . alio modo sic, quod de novo cognoscat sibi illud esse bonum, cum prius hoc ignorasset, ex utroque capite est impossibile Deum de novo aliquid velle, siquidem tam substantia Dei, quam ejus scientia est omnino immutabilis;*

De Volunta  
liberitate; ergo Deu  
voluit æterno,  
voluit, quod a  
non esset ab æte  
de ista voluisset  
contingente produ  
tum esset Deo  
esset bonum, et  
tamo.

Q. U.  
An in dicitur

DICO, Quodam  
rationes, ut  
vel probet iniquitas  
non circa actiones crea  
ventes, S. Th. hic  
sunt virtutes nullam in  
sua intentione virt  
Probatur 1. pars: o  
est in Deo esse pe  
nitentem penitentes  
tamen (a qua aliqua  
esse peccandi non p  
convenit) sicut peccet  
ergo in Deo sive divi  
na libertas, magis  
Deo voluit debetum libe  
ritatis voluntas ejus i  
tamen divine provide  
bantem vocat veri  
entium intellectui o  
lectione, ut duo dic  
formam voluntati  
voluntatis tunc malum

DE VOLUNTATE & LIBERTATE DEI. 211  
*tabilis*; si ergo Deus aliquid modo vellet, quod non  
voluit ab æterno, non mutaretur intrinsecè ex parte  
voluntatis, quod aliquis actus in Deo modo esset, qui  
non fuisset ab æterno, siquidem eodem actu, quo  
de facto voluisset mundum ab æterno producere, po-  
tuisset nolle producere, sed ex hoc, quod jam aliquid  
bonum esset Deo vel cognosceretur bonum, quod non  
fuisset bonum, vel non fuisset cognitum bonum ab  
æterno.

#### QUESTIO. IV.

*An in divinâ voluntate sint virtutes virtualiter  
distinctæ?*

**D**ICO. *Quaedam virtutes morales sunt circa ope-  
rationes, ut putà circa dationes & sumptus...  
nil prohibet hujusmodi virtutes in Deo ponere: non ta-  
men circa actiones civiles sed circa actiones Deo con-  
venientes, S. Th. hic Q. 21. a. 1. ad 1. Sive in Deo  
dantur virtutes nullam involventes imperfectionem ut  
justitia misericordia virtualiter distinctæ.*

*Probatur 1. pars: omnis perfectio simpliciter sim-  
plex est in Deo ente perfectissimo; atqui virtutes ad  
voluntatem pertinentes nullam involventes imperfe-  
ctionem (à quâ aliquæ virtutes ad voluntatem perti-  
nentes præcindi non possunt ut humilitas, religio,  
pœnitentia) sunt perfectiones simpliciter simplices;  
ergo sunt in Deo sive divinâ voluntate, tales ex S. Th.  
sunt liberalitas, magnificentia & specialiter justitia quâ  
Deus reddit debitum sibi implendo in rebus id, quod  
sapientia & voluntas ejus habet, & debitum secundum  
ordinem divinæ providentiæ cuilibet creaturæ, &  
hanc justitiam vocat veritatem, inquantum per eam  
omnia divino intellectui commensurantur. Denique mi-  
sericordia, quæ duo dicit materiale & formale, de  
formali est actus voluntatis, quo quis intendit alienam  
miseriam sublevare malum ab alio propulsando & bo-  
num*

num largiendo, & secundum hanc rationem competit Deo, de materiali est affectus compassivus, quo quis dolet & tristatur de malo alterius eique condolet, & secundum hoc misericordia in Deo esse nequit. Licet autem quædam opera tribuantur justitiæ, eò quod in eis magis manifestetur justitia, & alia tribuantur misericordiæ, quia in eis clariùs apparet misericordia, attamen in omnibus operibus invenitur misericordia, in quantum Deus omnibus dat esse quod habent, & justitia (de quâ plura 2. 2. Disput. XXI.) in quantum Deus dat omnibus entibus id, quod est conveniens suæ sapientiæ & bonitati.

2. *Pars probatur*: ex dictis de attributis in genere & de scientiâ Dei: quæ distinguuntur in creaturis ex genere suo eò quod habeant diversa specificativa formalia, distinguuntur in Deo virtualiter; atqui justitia, misericordia & cæteræ virtutes nullam involventes imperfectionem in creaturis habent diversa specificativa formalia & non tantum distinguuntur ex limitatione subjecti: alia est enim honestas sublevandi alienam miseriam, alia reddendi debitum ad æqualitatem &c.

*Obj.* Omnia attributa pertinentia ad lineam volitivam habent idem specificativum formale scilicet divinam bonitatem, ergo non distinguuntur virtualiter.

*R.* Sicut juxta superius dicta divinum intelligere varias habet lineas secundum diversas rationes intelligendi in essentiâ Dei unam quasi primordiale & alias particulares: ita diversæ sunt lineæ volitivæ, una quasi primordialis, quæ est ipsa voluntas prout consideratur divina bonitas absolutè & secundum se, aliæ ad eam nostro modo intelligendi consequentes prout eadem divina bonitas est ratio miserendi, debitum reddendi &c.

*Q.* Quænam admittendæ sunt in divinâ voluntate affectiones?

DE VOLUNTATE & LIBERTATE DEI. 213

R. Solæ illæ, quæ in conceptu formali nullam involvunt imperfectionem; aliæ, quæ dicunt essentialiter imperfectionem, non nisi metaphoricè de Deo dicuntur.

Hinc 1. in Deo datur formaliter amor, gaudium & delectatio: quia Deus non tantum gaudet & delectatur de bono creato, prout eminenter in Deo continetur, sed etiam de bonitate increatâ, quam Deus formaliter possidet, & cui intimè & per summam identitatem unitur; gaudium enim & delectatio sunt actus voluntatis circâ bonum præsens & possessum; ergo etiam datur formaliter in Deo amor: quia omnis delectatio oritur ex amore; cui non obstat: quod amor præscindat à præsentia objecti; quia amor præscindit à præsentia objecti negativè non exigendo, ut objectum sit præsens vel absens, uti gaudium exigit præsentiam & desiderium absentiam, sed amor est indifferens, & est de objecto tam præsentem quam absente; cum sit tendentia in bonum sive illud sit præsens, sive absens, an autem amor & gaudium in Deo distinguantur virtualiter, controversatur; pro negativâ est, quod solum distinguantur ratione diversorum objectorum, uti scientia visionis & simplicis intelligentiæ. Pro affirmativâ est, quod videantur habere diversam rationem formalem sub quâ sive diversum motivum: quia ratio possessi & consecuti se habet solum ut ratio formalis quæ in amore, in gaudio verò se habet ut ratio formalis sub quâ, & amor est principium vel causa virtualis gaudii & delectationis.

2. In Deo non datur formaliter desiderium nequidem respectu bonorum, quæ sunt extrâ Deum: quia desiderium est circâ bonum non habitum nec actu nec virtute, nec formaliter nec eminenter; atqui Deus omne bonum in se continet vel formaliter vel eminenter; ergo nullum bonum desiderare potest. Quando igitur SS. PP. dicunt: Deum desiderare nostram salutem,

O ;

loquuntur

loquuntur metaphoricè de desiderio secundum quid & quoad effectum : quia sicut Pater desiderans sanitatem Filii eidem de medico & sufficientibus mediis provider, ita Deus ex voluntate, quâ omnes amat & vult antecedenter consequi æternam beatitudinem, habet secundum quid desiderium : quia vult æternam beatitudinem, & omnibus confert vel offert mediâ & auxilia sufficientia ad eandem ut non præsentem & ab omnibus nondum possessam.

3. In Deo non est propriè odium ; quia odium strictè dictum vult alteri malum ex displicentiâ personæ, sicut amor vult alteri bonum ex complacentiâ personæ ; ideoque ad odium requiritur, quod sit displicentia personæ & ex hâc illi malum velit ut malum, quod Deo respectu creaturæ convenire non potest, imprimis enim creatura non potest displicere Deo : *diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. 11. v. 25. Deinde creaturæ non potest velle malum ut malum ; quia voluntas divina non potest ferri extrâ objectum suum, quod est divina bonitas ; nulli igitur vult malum, nisi ob bonitatem suam, vult peccatori pœnas, quatenus in illis relucet divina bonitas, ordo justitiæ, pulchritudo universi ; in pœnis enim duæ sunt rationes : nempe quod sint malæ subjecto cui infliguntur, & quod sint ostensivæ divinæ justitiæ & hoc modo vult illas divina voluntas.

4. In Deo non datur formaliter ira ; quia ira est appetitus vindictæ cum spe ulciscendi ex tristitiâ procedens ; sed tristitia in Deo repugnat ; qua mvis igitur in Deo detur vindicta, non tamen propriè datur ira sed metaphoricè & impropriè ut dicit S. Th. hic Q. 47. a. 1. ad 1. *Ira non dicitur in Deo secundum passionem animi, sed secundum iudicium justitiæ prout vult vindictam facere de peccato.*

## DISPUTATIO XIV.

*De objecto voluntatis divina.*

## QUESTIO I.

*An sola bonitas divina sit objectum adaequatum  
divina voluntatis ?*

**D**ICO. *Voluntas divina necessariam habitudinem  
habet ad bonitatem suam, quae est proprium eius  
objectum S. Th. hic Q. 19. A. 3. in O.*

Probatur: imprimis objectum motivum voluntatis divinae est sola divina bonitas: quia objectum motivum voluntatis est finis: medium enim ut medium solum appetitur propter finem, vel in quantum est conducibile ad finem; atqui sola bonitas increata est finis divinae voluntatis juxta illud Prov. 16. v. 9. *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Deinde objectum terminativum voluntatis divinae est sola divina bonitas: quia illud est objectum formale terminativum voluntatis, quod per se ab illâ attingitur & alia ratione ipsius; sed sola divina bonitas per se primo attingitur à voluntate divinâ, bona vero creata tantum ratione ipsius: alias enim divina voluntas speciem & mensuram acciperet à bonitate creatâ, quod implicat: cum sola increata bonitas habeat adaequatam commensurationem & proportionem actualitatis cum voluntate Dei.

*Obj. 1.* Illud est motivum & finis voluntatis, propter quod voluntas operatur; sed voluntas Dei operatur propter creaturas: Deus enim res corporeas creavit ad hominis utilitatem easque ordinavit ad hominem tanquam media ad finem.

*R.* Distinguendo maj. illud est motivum voluntatis, propter quod voluntas operatur tanquam propter causam & rationem volendi ex parte voliti N. tanquam propter causam & rationem volendi ex

O 4

parte

parte volentis **Con.** omnia quippe Deus & res corporeas & ipsum hominem vult propter suam bonitatem velut rationem volendi ex parte divinæ voluntatis ex parte autem voliti unam rem ordinat ad utilitatem alterius, quod S. Th. hic Q. 19. A. 5. O. ita exprimit *vult Deus hoc esse propter hoc sed non propter hoc vult hoc*, quod est dicere inter objecta materialia vult Deus unum se habere instar finis & aliud instar medii non tamen, ut se habeant per modum finis respectu sui actus.

*Obj. 2.* Hinc sequeretur in Deo nullam virtutem præter charitatem dari: quia actus habens pro motivo formali increatam Dei bonitatem est actus charitatis.

*R.* Motivum divinæ bonitatis eminenter continet motiva aliarum virtutum, quod ita explicatur: objectum justitiæ & misericordiæ creatæ est jus alienum servandum illæsum & miseria aliena sublevanda; cum igitur Deus non possit moveri ab aliquâ bonitate creatâ, misericordia divina movetur à bonitate divinâ prout est ratio miserendi, justitia à bonitate divinâ prout est ratio præmiandi, quæ diversitas sufficit, ut specificativa horum attributorum virtualiter differant à specificativo divini amoris.

*Obj. 3.* Merita & demerita nostra movent divinam justitiam ad præmiandum & puniendum.

*R.* Illa movent divinam voluntatem in se ipsis considerata **N.** ut in divinâ bonitate contenta **Con.** divina enim bonitas ut est ratio præmiandi & puniendi movet divinam voluntatem, ut merita remuneret & demerita puniat.

QUÆ



## QUÆSTIO II.

*An Deus necessariò amet suam bonitatem?*

**D**ICO. *Bonitatem suam esse Deus ex necessitate vult* S. Th. hic. loc. cit.

Probatur Deus vult five amat ( cum amor juxtà S. D. hic Q. 20. A. 1. O. sit naturaliter primus actus voluntatis ) suam bonitatem necessariò & quoad specificationem & quoad exercitium : quælibet enim potentia ad suum objectum primarium debità applicata secluso omni impedimento fertur necessariò in illud , non solum quoad specificationem sed etiam quoad exercitium ; sed objectum formale primarium voluntatis divinæ est divina bonitas comprehensa & Deo identificata , nec potest impedimentum aliquod adesse , ergo suam bonitatem diligit Deus necessariò utrâque necessitate specificationis & exercitii.

*Obj.* Juxtà S. Th. de pot. Q. 10. A. 2. ad 3. Spiritus Sanctus , qui procedit ex amore divinæ bonitatis , liberè procedit ; ergo amor divinæ bonitatis est liber.

¶ S. D. ibid. loquitur de libertate non prout opponitur necessitati sed prout opponitur coactioni ut patet ex iis quæ ibidem dicit. *Sic autem & Deus suâ voluntate amat seipsum , licet de necessitate amet seipsum.*

## QUÆSTIO III.

*An & quomodo Deus amet creaturas possibles & actuales?*

**D**ICO. *Ex parte ipsius boni , quod aliquis vult amato . . . . . necesse est dicere , quod Deus quædam aliis magis amat* S. Th. hic Q. 20. A. 3. O.

Explicatur & probatur : Deus omnibus creatu-

O s ris

ris vult bonum, ita tamen ut aliqua bonitatem  
 illam consequantur, alia autem habeant bonitatem  
 illam solum consequibilem, & ex hoc dicitur Deus  
 amare creaturas actuales amore efficaci, cum enim  
 amor Dei non sit affectivus, qui bonitatem supponat  
 in rebus, à qua trahatur, sed effectivus, qui  
 ipsam amabilitatem ponat in rebus, idè illas crea-  
 turas liberè amat amore efficaci, quibus esse & om-  
 nem bonitatem quam habent, liberè tribuit, quem-  
 admodum creaturis actualibus illas amando omnem  
 bonitatem, quam habent liberè communicat; crea-  
 turas autem possibles amat affectu simplicis com-  
 placentiæ ideoque necessariò: quemadmodum enim  
 amat suam bonitatem necessariò ut communicabi-  
 lem creaturis, ita necessariò amat creaturas possibi-  
 les, quibus sua bonitas est communicabilis, & si-  
 cut ex eo, quod ideæ divinæ sint imitabiles per es-  
 sentiam à creaturis, non possunt cognosci ideæ, ni-  
 si cognitis creaturis possibilibus, ita etiam ex eo,  
 quod bonitas divina per essentiam sit communicabi-  
 lis creaturis, non potest amari illa bonitas, nisi simul  
 ametur terminus communicabilitatis, qui sunt crea-  
 turæ possibles; voluntas igitur Dei, quia est infinita,  
 extendit se ad omnem bonitatem, ut scientia di-  
 vina ad omnem veritatem, ita ut bonitas actualis re-  
 rum terminet efficacem voluntatem Dei, sicut fu-  
 turæ veritates scientiam visionis, bonitas verò pos-  
 sibilis terminat inefficacem voluntatem, sicut pos-  
 sibilis veritas scientiam simplicis intelligentiæ, &  
 sicut scientiam simplicis intelligentiæ diximus esse  
 in virtute & quasi in actu primo causam rerum, ita  
 etiam dicendum est; amorem possibilium esse vir-  
 tutem & quasi in actu primo effectivum, inquan-  
 tum approbat & sibi complacet in habitudine possibi-  
 li, quam habent res ad esse; item sicut scientia simpli-  
 cis

De Dicitur Ve  
 in sapientia est  
 complacenti  
 amabiles, est  
 in sapientia & libe  
 quoniam possibi  
 bonitate di  
 Q. U. E.  
 Quando volens  
 habet p  
 DICO, Cum q  
 ... efficiat  
 domo p  
 ia & m  
 Explorat; sola à  
 meo, quod pot  
 cher, non est futu  
 sibilis, quia Deu  
 a futuræ, idè que  
 a tantum circa crea  
 am circa creaturas po  
 sibilis est, an p  
 sicut non futuræ  
 utinquendo in statu  
 amodo earum futuræ  
 dicit, nec volendo  
 sicut sequens videtur  
 volens, quia actus divi  
 sicut non terminat  
 quoniam habet necessari  
 da sunt, ad illud pe  
 carum terminari; atq  
 futuræ. In ipsa colle  
 non habet necessarian  
 vult; et potest

DE OBJECTO VOLUNTATIS DIVINÆ. 219  
cis intelligentiæ est scientia necessaria, inã amor  
simplicis complacentiæ, quam habet Deus ad cre-  
aturas possibles, est amor necessarius fundatus non  
in contingente & liberã, sed necessariã connexionem,  
quam habent possibilia cum ideis divinis, omnipo-  
tentiã & bonitate divinã.

#### QUÆSTIO IV.

*Quomodo voluntas divina decernens futuritionem  
habeat se circã creaturas possibles?*

**D**ICO. Cum esse divinum non sit determinatum  
... effectus determinati ab infinitã ipsius perfe-  
ctione procedunt secundum determinationem volunta-  
tis & intellectus ipsius S. Th. hic Q. 19. A. 4. O.

Explicatur: sola à Deo determinata sunt futura,  
omne verò, quod potuit fieri & Deus non decrevit  
ut fieret, non est futurum, & itã omnes creaturæ  
possibles, quas Deus non decrevit futuras, non  
sunt futuræ, ideòque voluntas divina libera fuit,  
non tantum circã creaturas futuras ut fierent, sed  
etiam circã creaturas purè possibles, ut non fierent,  
sed difficultas est, an potuerit voluntas divina circã  
creaturas non futuras se habere merè suspensivè,  
eas relinquendo in statu possibilitatis, purè non de-  
cernendo earum futuritionem, ac itã nec nolendo  
positivè, nec volendo, quod contrã plures Tho-  
mistæ negantes videtur probari hãc ratione: non  
implicat, quin actus divinæ voluntatis subjectivè ne-  
cessarius non terminetur ad objectum creatum: quia,  
quod non habet necessariam connexionem cum divi-  
nã bonitate, ad illud potuisset actus divinæ volun-  
tatis non terminari; atqui non tantum creaturæ non  
futuræ, sed & ipsa collectio creaturarum actualium  
non habebat necessariam connexionem cum divinã  
bonitate; ergo potuisset ad illam non terminari;

er-

ergo Deus in mundo creando fuit liber & libertate contradictionis : quia actus divinæ voluntatis circa mundum creandum ita fuit : voluit, ut potuisset esse : non voluit ; fuit etiam liber libertate contrarietatis : quia ita fuit : voluit, ut potuisset esse : noluit. Et consequenter creaturæ non futuræ poterunt non esse terminus divinæ voluntatis, ut nec volitæ nec nolitæ essent.

*Obj. 1.* Divinum decretum positivè terminari ad cujuslibet rei esse vel non esse nihil aliud est, quam cujuslibet rei esse & non esse dependere ab actualissimâ Dei voluntate : decretum enim Dei nil aliud est, quam divina voluntas in actu secundo infinîtè perfecta ; atqui cujuslibet rei esse vel non esse dependet à divinâ voluntate : quia quæ sunt, idèò sunt, quia Deus illa voluit, & quæ non sunt, idèò non sunt, quia Deus illa noluit, & ante omne decretum Dei nihil est futurum vel non futurum, sed tota radix futuritionis est decretum vel decernens producere, vel decernens non producere.

*2.* Esse rerum dependet à volitione, non esse rerum vel à nolitione vel à non volitione, radix futuritionis est decretum, radix non futuritionis vel est nolitio vel non volitio.

*Obj. 2.* Illa libertas est in Deo admittenda, quæ est perfectissima & actualissima ; sed libertas per modum actûs & exercitii physici est perfectior & actualior, quam quæ est per modum puræ omissionis & exercitii tantum moralis & interpretativi.

*3.* Negando mi, cum enim Deus à creaturâ sit independens & creatura nullam habeat connexionem necessariam cum divina voluntate, est circa creaturas ita liber, ut manens immutabilis possit vel terminari ad esse creaturarum aut non esse, vel non terminari ad esse & non esse.

## DISPUTATIO XV.

*De voluntate antecedente & efficaci.*

## QUÆSTIO I.

*An Deus velit omnes homines salvos fieri.*

**S**uppono 1. Quod voluntas dividatur non distinctione aliquâ virtuali intrinsecâ, sed juxta diversitatem objectorum volitorum in voluntatem signi & voluntatem beneplaciti: voluntas beneplaciti est propriè & formaliter voluntas: quia est actus divinæ voluntatis in Deo formaliter existens, voluntas verò signi non est propriè sed metaphoricè voluntas: quia non est ipse actus voluntatis sed signum extrinsecum illius quomodo testamentum dicitur ultima voluntas testatoris, cujusmodi signa tria numerantur respectu boni scilicet operatio, præceptum & consilium, duo respectu mali ut: prohibitio & permissio; ex his signis sola operatio est infallibile signum absolutæ divinæ voluntatis: quia impossibile est Deum operari, quod non velit; cum omnia, quæ voluit, fecit in cælo & in terra.

**S**uppono 2. Voluntas beneplaciti dividitur in voluntatem antecedentem & consequentem: voluntas antecedens est, non quasi sit generalis & indifferens voluntas antecedens determinationem nostræ voluntatis, sed quod per illam Deus velit aliquid prout secundum se & sua intrinseca præscindendo à circumstantiis est aliquid bonum & conveniens, unde etiam voluntas inefficax & conditionata appellatur, quod non velit effectum cum omnibus circumstantiis ponendum sed sub conditione & ideò non semper impletur, sed impleretur, si conditio poneretur. Voluntas consequens est, quâ Deus vult aliquid in particulari ut vestitum omnibus circumstantiis; unde etiam vocatur voluntas absoluta & effi-

cas.

cax, quia absolutè & efficaciter decernit. His præmissis,

**DICO.** *Deus antecedenter vult omnem hominem salvari sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ.* S. Th. hic Q. 19. a. 6. ad 1.

Prima Pars probatur ex illo Apóst. 1. ad Timoth. 2. *Deus omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, quod non tantum simpliciter asserit Apóstolus, sed etiam probat imò quia unus est Deus omnium, omnium creator, omnium curam habet, idò. unus est mediator Dei & hominum 3tò qui dedit semetipsum pro omnibus; est etenim omnium Redemptor; hæc autem voluntas Dei salvandi omnes homines est in Deo formaliter & non solùm metaphoricè & eminenter: quia voluntas beneplaciti est in Deo formaliter; atqui voluntas antecedens salvandi omnes homines est voluntas beneplaciti; est enim circà objectum à Deo volibile vid. circà salutem omnium secundum se consideratam præscindendo à circumstantiis, ob quas magis divina justitiæ manifestatur, si Deus permittat quosdam deficere; exempla D. N. sunt: sicut in iudice est voluntas inefficax & antecedens propriè dicta, quâ vellet servare vitam malefactoris, in quantum est homo, præscindendo à circumstantiis, in quibus de bono communi est reum morte puniri; in mercatore est propriè voluntas inefficax & antecedens servandi merces præscindendo à circumstantiis naufragii, in quibus melius est perdere merces quam vitam; ità in Deo est propriè voluntas antecedens & inefficax salvandi omnes nullo excepto præscindendo à circumstantiis, in quibus ad manifestationem suæ bonitatis in electos & justitiæ in reprobos convenientius est, ut quidam permittantur deficere, quam quod omnes salventur.

Secunda Pars, quod Deus velit consequenter aliquos

quos damnari constat : quia quidquid de facto fit, Deus voluit voluntate consequente ad minus permittere ; atqui quidam de facto damnantur , ergo Deus consequenter voluit ab æterno aliquos damnari.

*Obj. I.* Locum Apost. Deus vult omnes homines salvos fieri S. Aug. variis locis explicat , nullibi tamen explicat de omnibus universaliter acceptis , aliquando dicit omnes sumendum esse in distributione accommodatâ ut sensus sit. Deus vult omnes. qui salvantur, salvos fieri , itâ ut nullus salvetur quem Deus non voluerit salvum fieri , sicut si unicus foret in civitate vinopola, omnes apud illum adferrent vinum , hoc est nullus adferret vinum apud alium. Aliquando vult omnes sumi universalitate incompletâ nempe pro generibus singulorum , uti terminus omne accipitur , dum dicitur : omne animal fuit in Arca Noe , & in hoc sensu Deus vult omnes salvos fieri : hoc est : ex omnibus statibus & generibus hominum vult aliquos salvari , aliquando demum explicat locum Apostoli , quod intelligendus sit causaliter & non formaliter : sive Deum causare, quod homines sancti velint omnium salutem.

*§.* S. Aug dum in hunc modum citatum textum Apost. explicat , intelligit per velle voluntatem consequentem in Deo : Deus enim voluntate consequenti solum vult illos salvari , qui salvantur ; vult ex omnibus generibus , ætatibus & statibus hominum aliquos non omnes salvari voluntate consequente ; item vult voluntate consequente homines justos omnium salutem desiderare & velle , at, si per velle intelligatur voluntas antecedens , uti locum Apost. intellexit Damasc. lib. 2. de fid. Orthod. cap. 29 intelligendus est de omnibus absolutè : solutio sumitur ex S. Th. in 1. dist. 46. Q. 1. a. 1. ad 1. *Secundum Damasc. verbum Apost. intelligitur de voluntate antecedente sed non de*

*consequente*

*consequente sed secundum Aug. intelligitur de consequente.*

*Obj. 3.* Voluntas inefficax, quæ caret suo effectu, est imperfecta voluntas, quæ in Deo non est admit-tenda.

*R.* Voluntas inefficax ex impedimento aliquo extrinseco effectum voluntatis impediente est imperfecta  
**Con.** Voluntas inefficax ex dispositione & ordinatione ipsius voluntatis est imperfecta  
**N.** Voluntas antecedens salvandi omnes homines est inefficax ex ordinatione divina: quamvis enim Deus omnes secundum se salvos velit fieri & ad hoc media sufficientia præparet, quia tamen est ad decorem universi & ad manifestationem attributorum Dei, quod aliqui deficiant, ex suâ ordinatione permittit aliquos à fine suo deficere & æternum perire.

*Obj. 3.* Voluntas illa antecedens, si in Deo daretur, non esset sincera: mercator enim non haberet sinceram voluntatem servandi merces, si illas in tempestate absque dispendio vitæ servare posset; Judex non haberet sinceram voluntatem reo servandi vitam, si illam absque dispendio boni communis conservare posset; ergo cum divina bonitas in thesauris suis habeat infinita media salvandi omnes homines, dum omnes non salvat, non habebit veram & sinceram voluntatem omnes salvandi.

*R.* **N.** consequentiam: Disparitas est: mercator est persona particularis, cui incumbit intendere particulare bonum & lucrum, unde si in periculo naufragii non quærat omnibus modis absque dispendio majoris boni servare merces, non censetur sincerè velle servare merces; Deus verò est provisor universalis, cujus est intendere bonum universi, & permittere, quod aliquæ creaturæ à suo fine deficiant; unde cum sincerâ voluntate salutis alicujus per se consideratæ potest per-

De virtute  
 sermone  
 del. ubi dicitur  
 quæritur, deo  
 quæritur.  
 Hæc in intellectu  
 est dispositio  
 ad servare per  
 Q  
 Christiani si pro  
 detur  
 NICO. P  
 iam iustit  
 S. Th. 1. p. Q. 49.  
 Probat 1. Et  
 ficitur illi Apoc. 2. a  
 membra merces  
 nona morari et  
 ritus pro omnibus  
 uno peccatis, ergo  
 uno peccaverunt, i  
 mortuus.  
 ubi probatur Tri  
 labitur: est sic pro  
 amamoria ejus be  
 sat, quærit merita  
 Et ratio conat  
 virtutes Quæritur p  
 caritate Anthonis C  
 in quibus servatur  
 primum marem sua  
 dicitur in libro Cor  
 Cor. 1. non in core  
 que. Quæritur pe  
 Peri 1. Thol. Scol.



DE VOLUNTATE ANTECEDENTE & EFFICACI. 225  
permittere peccatum, ne impediatur majus bonum videlicet ordo divinæ providentiæ, manifestatio attributorum, decor justitiæ & splendor misericordiæ divinæ.

Ex dictis inferitur meritò à Clemente XI. damnatam esse propositionem Quenelli 30. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

## QUESTIO II.

*An Christus sit pro omnibus passus & per Christum Deus det omnibus media sufficientia?*

**D**ICO. Passio Christi fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis S. Th. 3. p. Q. 49. a. 3. O.

Probatum imò Ex pluribus locis S. script., nobis sufficiat ille Apost. 2. ad Cor. 5. v. 14. & 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt & pro omnibus mortuus est Christus*, ubi Apost. ex eo, quod Christus pro omnibus mortuus est, inferat omnes in Adamo peccasse, ergo sicut singuli nemine excepto in Adamo peccaverunt, ita Christus etiam pro singulis est mortuus.

2dò probatur ex Trid. sess. 6. de justif. cap. 3. ubi ita definit: *etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed id duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.*

Ex quibus constat bene damnatas esse à Clemente XI. sequentes Quenelli propositiones, in quibus significatur in sensu Authoris Christum pro solis electis, aut iis qui de facto salvantur aut gratiam Christi recipiunt, passionem & mortem suam obtulisse sunt autem in ordine 31. *Desidera Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium inferat, quando eis illam optat. Optavit utique pacem omnibus, pro quibus*

*Pars I. Theol. Schol.*

P

Chri.

Christus mortuus est, nec tamen omnes eandem pacem recipiunt. 32. *Iesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos de manu angeli exterminatoris.* 33. *Pro quantum oportet bonis terrenis & sibi met ipsi renuntiasset, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Iesum Christum, ejus amorem, mortem & mysteria ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.*

*Obj. 1.* Loca S. script. in quibus Christus dicitur mortuus pro multis, ut Matth. 20. v. 28. *Filius hominis. . . venit dare animam suam redemptionem pro multis & Matth. 26. v. 28. Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effundetur &c.*

*R. 1.* Per verbum *multi* sæpè exprimentur omnes ut ad Rom. 5. v. 15. *Si unius delicto multi mortui.*

*R. 2.* Christus dicitur mortuus pro multis non pro omnibus, quantum ad efficaciam Con. Quantum ad sufficientiam N.

*Obj. 2.* Loca script. in quibus Christus dicitur non pro omnibus orasse, pro quibus autem Deum oravit, pro illis etiam satisfecit & illos solos redemit, ait enim Jois 17. v. 19. *Non pro mundo rogo sed pro his, quos dedisti mihi unde S. Th. 3. p. q. 21. 2. 4. ad 2. Dicendum quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, sed pro his solum, qui erant predestinati, ut per ipsum vitam consequerentur aeternam.*

*R.* Ex his plus non sequi, quam quod Christus non pro omnibus sed solum pro Apostolis & electis oraverit fundens illam specialem orationem ante mortem, vel quod pro solis electis oraverit oratione absolutâ procedente ex voluntate consequente,

*Obj. 3.* Plura loca S. Aug. in quibus S. Pater dixit solos illos redemptos esse à Christo, qui actu salvantur.

R. Verbum redimere duos habere sensus, imprimis significat sufficiens pretium pro libertate captivi offerre cum voluntate, ut illud pretium applicetur captivo si impedimentum non ponat, 2dò significat, quod actu liberetur captivus. Quando igitur S. Aug. dicit illos redemptos, qui salvantur, vel neminem perire, quem Christus redemit, loquitur de redemptione secundo modo sumptâ.

DICO. 2. *Præparatum est homini remedium ex passione Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ.* S. Th. 3. p. Q. 49. a. 2. ad 2.

Probat: Deus omnibus illis per Christum præparat, dat & offert media sufficientia ad salutem, quos ordinat ad finem æternæ beatitudinis: quia sine hâc præparatione & oblatione finis æternæ beatitudinis non est consequibilis sed impossibilis, ideoque Deus nullum potest ordinare ad hunc finem, cui non offerat media, quibus sit ille finis consequibilis; atqui Deus per voluntatem antecedentem ordinat omnes homines ad finem æternæ beatitudinis, & obligat omnes, ut ad hunc finem tendant; ergo omnibus media, quibus hunc finem consequi possint, offert. Deum autem offerre & paratum esse, non est ita accipiendum, quod se habeat ad instar munera nobis offerentis, quæ ex determinatione nostri arbitrii possumus acceptare vel recusare; sed sensus est: quod Deus sit paratus nobis conferre gratiam, dum habet sinceram & absolutam voluntatem ex parte actus & conditionatam ex parte objecti conferendi homini gratiam, si homo non posuerit impedimentum, & hoc ipso dicitur homo habere auxilium paratum, quod sit conditionatè ordinatus ad illud habendum, si non impediverit.

*Obj. 1. Per illam solam voluntatem operatur Deus*

in hominibus, quæ sunt ad eorum salutem, per quam vult Deus simpliciter eorum salutem; atqui per voluntatem antecedentem Deus non vult simpliciter hominum salutem; ergo per illam non operatur illa, quæ sunt ad eorum salutem; atqui auxilia sufficientia sunt ad hominum salutem.

R. Distinguendo maj. Per illam voluntatem operatur Deus illa, quæ sunt ad hominum salutem efficaciter, per quam vult simpliciter hominum salutem. Con. Per illam voluntatem operatur Deus illa, quæ sunt ad illorum salutem ineffaciter, per quam vult hominum salutem simpliciter. N. Præparatio mediolorum efficacium & consecutio salutis pertinent ad voluntatem Dei consequentem & efficacem, præparatio mediolorum sufficientium, quæ sunt media ineffacacia, pertinet ad voluntatem Dei antecedentem.

Obj. 1. Homo peccator ut oblatam gratiam recipiat debet se per orationem ad Deum convertere; sapius autem non habet gratiam orationis; ergo nec tunc habet gratiam oblatam, quam acceptare possit.

R. Hominem quandoque habere datam & receptam gratiam sufficientem ad orandum, aliquando habere paratam ac oblatam & dandam, si non ponat impedimentum; quando habet actu datam, potest orare potentiâ intrinsecâ & ex datis, quando habet oblatam, potest orare potentiâ extrinsecâ & ex dandis, si non ponatur impedimentum.

Obj. 3. Tota Script. plena est præceptis & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum; atqui Deus non præcipit impossibilia; ergo dat auxilium sufficiens ut possint converti.

R. Tota Script. plena est præceptis ut peccatores convertantur ad Deum cum auxilio dando & parato. Con. cum auxilio semper prius dato. N. dare autem auxi-

auxilium sufficiens, quo quis possit converti tum auxilio dando & parato nihil aliud est, quam dare posse ad recipiendum auxilium dans velle, quod posse datur, quando Deus dare vult auxilium, si homo non impeditur.

*Obj. 4.* Si peccatoribus non ita detur, ut actu recipiatur gratia sufficiens ad agendam pœnitentiam & implenda præcepta, sequitur illis secundum præsentia, quas habent vires, præcepta Dei esse impossibilia, quod est damnatum in primâ propositione Jansenianâ.

*R. N. ant.* Quia præcepta in isto casu adhuc sunt possibilis ob auxilium Dei paratum & oblatum, & præterea propositio Janseniana procedit de hominibus justis.

*Inst.* Ad minus si justis urgente præcepto & insurgente tentatione non detur gratia sufficiens ulteriori auxilio non indigens, vera erit propositio Janseniana: aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentia, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilis fiant.

*R.* In hominibus justis præter gratiam sanctificantem & virtutes supernaturales connexas dari urgente præcepto auxilium sufficiens consistens in motione ad actus imperfectos v.g. illuminatione, inspiratione, excitatione inferente debilem amorem justitiæ. Quibus gratiis si bene utantur & ultiores gratias petant, robustiorem impetrabunt; ideoque iis absolute præcepta sunt possibilis partim per gratias datas, partim per dandas.

*Obj. 5.* Ex his sequitur peccatores, quibus actu non datur gratia sufficiens ad pœnitentiam & salutem, non magis posse agere pœnitentiam, quam damnatos.

R. N. consequentiam: damnati non habent oblatas gratias nec libertatem ad bonum & malum, sicut habent homines in hac vitâ etiam obdurati ob auxilium paratum, cui ponitur impedimentum.

Obj. 6. Juxtâ S. Aug. si homini in statu innocentiae denegatum fuisset auxilium sufficiens sive adjutorium *sine quo non*, homo sine culpâ fuisset: quia non potuisset implere præceptum; ergo non implendo non peccasset, ergo etiam si nobis quandoque denegeretur auxilium sufficiens, erimus sine culpâ.

R. N. consequentiam: disparitatem dat ipse S. Pater L. de corrept. & grat. cap. 11. *Si hoc adjutorium (intellige sine quo non) vel Angelo vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis naturafacta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent: nunc autem quibus deest tale adjutorium, iam pœna peccati est. Quid clarius pro nostrâ sententiâ.*

Obj. 7. Si aliquibus non daretur gratia sufficiens, essent maximè infideles, quibus Christus nondum est prædicatus, hoc autem non, cum illis dentur Angeli Custodes, qui eos illuminent & ad salutem dirigant.

R. Cum S. Th. hic Q. 113. a. 4 ad 3. *Sicut infideles non privantur interiori auxilio naturalis rationis, itâ etiam non privantur exteriori auxilio toti natura humane divinitus concessio scil. custodia Angelorum, per quam etsi non juventur quantum ad hoc, quod vitam aeternam bonis operibus mereantur, juvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahantur, quibus & sibupsis & aliis nocere possunt, nam & ipsi demones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt.*

Obj. ult. Sententia negans actualiter recipi ab omnibus

DE VOLUNTATE ANTECEDENTE & EFFICACI. 231  
nibus hominibus auxilia sufficientia videtur favere sen-  
tentia Jansenii, Quenelli, Calvinii & aliorum hete-  
rodoxorum, qui omnes gratias sufficientes nega-  
ruat.

2<sup>a</sup>. Duo potissimum à Calvino aliisque suspecti doceri.  
1<sup>o</sup> Non dari in Deo voluntatem antecedentem de salu-  
te omnium, nec generalem in Christo redemptionem,  
per quam omnibus media ad salutem sufficientia præ-  
parantur, unde inferunt Christum pro solis electis esse  
mortuum & eis remedia ad salutem præparasse. 2<sup>o</sup>  
Nullam in statu naturæ lapsæ dari gratiam sufficientem  
sed solam efficacem physicè prævenientem, unde in-  
ferunt Deum in statu naturæ lapsæ præcipere impossi-  
bilia, homines in eo peccare, quod vitare non pos-  
sunt, justis interdum gratiam deesse, quâ præcepta  
impleri possint; contra hos duos errores ab Ecclesiâ  
damnatos schola Thomistica docet: 1<sup>o</sup> Omnibus  
tam adultis, quam parvulis media ad salutem sufficien-  
tia per voluntatem Dei antecedentem esse præparata,  
Christum mortuum pro omnibus quoad sufficientiam  
etsi non quoad applicationem & efficaciam. 2<sup>o</sup> In  
statu naturæ lapsæ dari gratiam sufficientem, at, quod  
tales gratiæ sufficientes omnibus promiscuè & indiffe-  
renter dentur, negat major pars discipulorum S. Th.  
aliique, qui in hoc non sunt damnati ab Ecclesiâ.

### QUÆSTIO III.

*An Deus prædefiniat effectus liberos sine læsione  
libertatis?*

**DICO.** Cum voluntas divina sit efficacissima, non so-  
lum sequitur, quod fiant ea, que Deus vult fie-  
ri, sed & quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult,  
vult autem quadam fieri Deus necessario quadam con-  
tingenter, S. D. hic Q. 19. a. 8. in O.

*Probatur: Necessitas virtualiter & æquivalenter con-*

sequens nostram voluntatem non officit libertati, sicut necessitas formaliter consequens nostram libertatem eam non lædit: ex hypothèsi enim, quod meliberè determinaverim ad standum, necessariò sto, quæ necessitas non tollit libertatem: quia consequitur formaliter exercitium libertatis; sed necessitas orta ex efficacîâ divinæ voluntatis consequitur virtualiter & eminenter nostram libertatem: quia quod consequitur ad aliquid, quod eminenter in se continet nostram libertatem, consequitur eminenter ad nostram libertatem; voluntas autem divina eminenter continet in se nostram voluntatem, & libertatem: magis enim juxtà S. Aug. habet in suâ potestate nostras voluntates quam nos ipsi; ergo necessitas orta ex efficacîâ divinæ voluntatis est æquivalenter consequens & consequenter libertatem non lædit. Licet igitur præmotio non sit in nostrâ potestate quasi effectivè & originativè, cum à nobis non deriveretur, est tamen in nostrâ potestate quasi terminativè & quoad usum, quia ad hoc à Deo datur, ut voluntas habeat usum & actuale exercitium libertatis, & ità æquivalenter est consequens & in potestate nostra: quia facit actum, ad quem movet & applicat voluntatem, esse in ejus potestate & Dominio voluntatis subijci.

*Obj* Si Deus independenter à consensu liberi arbitrii prædefiniat actus nostros; ergo ille, quem non prædefiniit ad actus bonos, erit excusabilis: non enim omisit actum bonum suo, sed decreti divini gratias efficaces prædefinientis, defectu, quod ad aliquid actu benè agendum requisitum est.

*R.* Nullum peccatorem excusabilem esse, quia, præterquam quod possit bene agere, non ex viribus propriis sed ex viribus gratiæ divinæ, ponit impedimentum gratiæ per propriam malitiam ut pulchrè deducit S. Th. 3. Cont. gentes cap. 159. *Licet aliquis per motum liberè*



beri arbitriū divinam gratiam nec promereri, nec ad-  
vocare possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam  
recipiat, dicitur enim de quibusdam. Job 21. Recede  
à nobis scientiam viarum tuarum nolumus & Job. 24.  
Ipsi fuerunt rebelles lumini; & cum hoc sit in potestate  
liberi arbitrii impedire divinam gratiæ receptionem, non  
immerito imputatur ei, qui impedimentum præstat  
gratiæ receptioni, Deus enim quantum in se est para-  
tus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homi-  
nes salvos fieri. . . sed illi soli gratiâ privantur, qui in  
seipsis gratiæ impedimentum præstant, sicut sole mun-  
dum illuminante in culpam imputaretur ei, qui oculos  
claudit, licet videre non possit nisi lumine solis prævenia-  
tur. Ex quibus colligitur quod cum nemo, quantum-  
vis justus sit immunis à peccato originali & actuali sal-  
tem veniali, nemo est: qui non humiliter agnoscere  
debeat pro meritis peccatorum suorum se posse justè à  
Deo derelinqui.

*Inst. 1.* Si homo per propriam culpam possit pone-  
re impedimentum gratiæ efficaci, poterit etiam eidem  
resistere: ponere enim impedimentum est resistere  
gratiæ.

R. Negando consequentiam: quia licet aliquis im-  
pedimentum possit ponere ingressui radii solaris clau-  
dendo fenestram & ejus receptioni ponere impedimen-  
tum, illum tamen receptum non potest privare suo  
effectu; ità licet homo per antecedentia peccata possit  
se facere indignum gratiâ efficace, & ità ponere impe-  
dimentum, illâ tamen receptâ non potest effectum im-  
pedire in sensu composito.

*Inst. 2.* Ad minus se poterit præparare ad gratiam  
efficacem non ponendo impedimentum.

R. Nec hoc, quia juxtà S. D. in cap. 12. Epist. ad  
Hebr. Lect. 3. Hoc ipsum, quod aliquis non ponit ob-  
staculum, ex gratiâ procedit, unde, si aliquis ponat

*Et tamen moveatur cor ad removendum illud hoc est ex dono gratiæ Dei, vocantis per misericordiam suam .... quod ergo à quibusdam removetur illud obstaculum, hoc est ex misericordiâ Dei, quod autem non removetur, hoc est ex justitiâ eius.*

*Inst. 3.* Ad minus in primo peccato hominis & Angelorum nullum positum impedimentum fuit gratiæ: cum nullum præcesserit peccatum.

*R.* Distinguendo assump. nullum fuit positum impedimentum per peccatum antecedens Con. concomitans N. quia peccatum primum hominis & Angelorum fuit prius privatione auxilii efficacis in genere causæ materialis dispositivæ: non enim repugnat, quod aliqua sint simul duratione & sibi invicem priora & posteriora in diverso genere causæ: ut patet in exemplo venti aperientis fenestram, cujus ingressus præcedit aperi- tionem fenestræ in genere causæ efficientis: cum ad eam activè concurrat, sequitur autem in genere causæ materialis dispositivæ, quia aperi- tio fenestræ disponit ad venti ingressum.

#### Q U Æ S T I O IV.

*An & quomodo Deus ab æterno prædesiniat actus malos?*

**N**ota: In peccato duæ rationes inveniuntur, una ad quam sequitur malitia, alia, ad quam nulla sequitur malitia, voluntas humana peccans producit actum peccati sub utrâque ratione; quia est virtualiter multiplex, cum eliciat actum ut mota à Deo & ut primo seipsam movens; ut mota à Deo elicit actionem sub ratione, ad quam non sequitur malitia, ut seipsam movens elicit actum sub ratione, ad quam sequitur malitia; ratio ad quam non sequitur malitia, completitur quidquid entitatis actualitatis & perfectionis est in actu peccati, & vocatur materiale peccati, ratio ad quam

De libertate  
non compo-  
natur necis e-  
deprenti causâ p-  
causantia; est  
liberum inquant-  
libet ratione  
NCO. Om-  
libet Deum,  
quod Deus sit o-  
ctis. Sed per  
quodam de-  
fuit in causâ.  
1. Perceptio  
actum peccati sub  
malitia: comes en-  
malitia, habere en-  
sunt ordinabiles in D-  
natur sub compo-  
ca causâ peccati en-  
led, quod habet e-  
de in Deum: quæ  
depredebitur conne-  
peccato & homicid-  
actu deficiens, pe-  
catorum ratio continet  
peccati operantis & t-  
actu deficiens erroris in  
inordinabiles, potest t-  
vultus si non veniat  
tione, volentes t-  
Tunc clarificatione  
debeti mortis sunt  
concomitantis in  
proprietate ratio de  
vultus tunc si

quam consequitur malitia, est formale peccati, voluntas humana peccans est efficiens & deficiens, ut efficiens dependet à causâ primâ, ut deficiens non dependet à causâ primâ; est efficiens, in quantum operatur, est deficiens in quantum operatur difformiter ad legem Dei & rectam rationem his notatis.

DICO. *Omne ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam... unde relinquitur quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum est actio. Sed peccatum nominat ens & actionem cum quodam defectu... defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam, S. Th. 1. 2. Q. 79. a. 2. in O.*

1. Pars explicatur & probatur: Deus concurret ad actum peccati sub illâ ratione, ad quam non sequitur malitia; omnes enim rationes ad quas non sequitur malitia, habent entitatem Physicam, secundum quam sunt ordinabiles in Deum ut ultimum finem, ideoque cadunt sub omnipotentia divina, quæ ut universalissima causa physica extendit suam causalitatem ad omne illud, quod habet entitatem Physicam, & est ordinabile in Deum; quamvis autem illæ duæ rationes sint inseparabiliter connexæ ut: homicidium in quantum operatio & homicidium in quantum operatio à lege æternâ deficiens, potest tamen una attingi sine aliâ: quia una ratio continetur intrâ objectum adæquatum potentia operantis & non altera; sic quamvis bonitas entis & veritas entis sint proprietates transcendentales inseparabiles, potest tamen potentia attingere bonitatem entis & non veritatem, ita intellectus attingit ens ut verum, voluntas ut bonum; aliud exemplum S. Th. est in claudicatione, in quâ ratio motus & ratio defectuosi motus sunt duæ rationes inseparabiles, & tamen ratio motus in claudicatione procedit à virtute progressivâ, ratio defectuosi motus provenit à curvitate tibiæ; item si pictor pingat defectuoso penicillo

lo juxta regulas artis, pictura quoad id, quod perfectionis habet, procedit à pictore, quoad defectum artis à penitenti defectuoso; magister ducens manum discipuli in scriptione concurrat ad formationem Characterum defectuosorum, in quibus tamen ratio perfectio is attribuitur magistro, ratio defectus discipulo: quia defectus in claudicatione, picturâ vel scripturâ inventi non continentur intra latitudinem objecti adæquati virtutis progressivæ aut artis rectè moventis, sed potius repugnat eidem objecto.

*Secunda Pars probatur*: Deus non causat actum peccati sub illâ ratione, ad quam sequitur malitia, quia sic causaret malitiam peccati, quod repugnat fidei & est damnatum à Trid. Sess. 6. de justif. cap. 6. si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona operari Deum non solum permittive sed etiam proprie & per se adeo, ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli. Anathema sit.

*Obj. 1.* Quod est causa materialis peccati, est causa peccati: quia peccatum materiale & formale inseparabiliter conjunctum importat; atqui Deus non est causa peccati, in quo erravit Calvinus; ergo non est causa materialis peccati.

*R.* Negando maj. quia licet à Deo sit actio peccati, non tamen à Deo est peccatum, cujus distinctionis rationem dat S. Th. in 2. dist. 37. Q. 2. A. 2. O, quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat sive in generali, sive in speciali; non potest dici, quod hoc à Deo sit simpliciter, unde non potest dici absolute, quod peccatum sit à Deo ut homicidium aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac adnotatione: in quantum est actus & in quantum est ens.

*Obj. 2.* Hominem facere malum sive peccatum non est aliud, quam facere actum, quem scit habere

bere malitiam annexam ; atqui Deus suâ prædeterminatione facit , ut homo faciat actum , quem scit habere malitiam annexam ; ergo si prædefiniat actum est Author peccati.

82. Distinguendo maj. hominem facere malum sive peccatum non est aliud , quam facere actum sub utrâque ratione , & secundum illam , ad quam sequitur malitia , & secundum illam , ad quam non sequitur malitia Con. tantum secundum illam rationem , ad quam sequitur malitia N. actus , qui est prohibitus , sub utrâque ratione egreditur à voluntate humanâ. Primò ut dicit habitudinem ad voluntatem præcisè. Secundò ut dicit habitudinem ad voluntatem deficientem , Primo modo non est malus nec prohibitus , idèdque absque læsione sanctitatis divinæ est à voluntate ut motus à Deo ; Secundo modo est malus & prohibitus & est à solâ voluntate deficiente , sicut igitur in artificialibus pictore applicante penicillum juxtâ regulas suæ artis , quidquid est perfectionis attribuitur pictori , quidquid autem est defectus , attribuitur defectuoso penicillo , ita voluntas se subjiciens regulæ divinæ est penicillus rectus , voluntas verò se non subjiciens , sed difformiter operans est penicillus defectuosus , utramque voluntatem Deus supremus Artifex applicat secundum regulas suæ sapientiæ , idèdque quidquid est rectitudinis in motu utriusque voluntatis , remittitur in causalitatem divinam , quidquid verò malitiæ conjungitur motui voluntatis se regulæ divinæ non subjicientis , in solam voluntatem velut in primam & proximam causam reducitur ; quorum ratio est : quod tam penicillus defectuosus quam voluntas se non subjiciens regulæ divinæ secundum aliquid subjiciantur morioni applicanti , & secundum aliquid non subjiciantur , unde actus egrediens à volunta-

te ut subditâ divinæ motioni non nisi actualitatem & perfectionem importat; actus verò egrediens à voluntate partim subditâ partim non subditâ divinæ motioni dicit perfectionem aliquam conjunctam malitiæ, itâ, ut perfectio tribuatur voluntati subditæ, malitia voluntati non subditæ adscribatur: impossibile enim est, quod malitia actûs voluntatis tribuatur moventi voluntatem, si malitia non tribuatur voluntati secundum illam rationem, secundum quam movetur, sicut effectus causæ non tribuitur causanti causam, si non procedat à causa secundum quod est causata.

*Obj. 3.* Deus esset Author peccati, si consuleret vel præciperet materiale peccati: eò quod materiale peccati non possit à creatura, cui datur consilium vel præceptum poni absque formali; ergo multò magis, cum moveat physicè ad materiale peccati.

*R.* Negando consequentiam: disparitas est, quod voluntas movens physicè solum causet & velit ea, quæ subduntur suæ virtuti & causalitati: vult enim solum illud, quod agit; voluntas autem movens moraliter non solum vult illud, quod intendit, sed etiam quæ per se cum illo sunt connexa; quia ergo materiale peccati per se ab homine poni nequit sine formali, Deus præcipiendo vel consulendo materiale diceretur Author formalis malitiæ.

## DISPUTATIO XVI.

*De existentia & essentiâ providentia & prædestinationis,*

**I**ntellectum & voluntatem Dei secundum nostrum modum intelligendi sequitur providentia respectu omnium rerum creaturarum, & prædestinatio respectu creaturarum intellectualium. Est autem prædestinatio grammaticaliter sumpta prævia destinatio, de-

sti-

DE EXISTENT, & ESSENT, PROVIDENT, & PRÆDEST 239  
stinatio verò accipitur vel pro determinatione alicujus faciendi, vel pro designatione, vel pro missione & ob congruitatem horum significatorum Sancti Patres & Theologi hoc nomine usi sunt, ad indicandam ordinatorem aliquorum in vitam æternam in Deo æternaliter existentem, vi cujus in tempore salvantur.

## QUÆSTIO I.

*Quid sit providentia, an & quid sit prædestinatio?*

**D**ICO. I. *Providentia principalis est pars prudentia . . . prudentia autem proprium est . . . ordinare alia in finem.* S. D. hic Q. 22. A. 1. in O. hanc in Deo dari probat Script. Sap. 8. v. 1. *attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter*; contra Atheos probat ratio demonstrans existentiam Dei, Deum enim existere & rerum providentiam non habere apertissima est insania. Secundò ipsæ causæ secundæ effectuum suorum providentiam habent, multò magis causa prima, cujus similitudinem causæ secundæ in causando participant. Tertio mirabilis ordo, pulchritudo, ornatus, dispositio universi providentiam divinam demonstrant. Quarto ipse conflictus elementorum ac variarum causarum contrariarum providentiam divinam indicant: in tantâ enim diversitate & perpetuo dissidio creaturarum mundus subsistere non posset, nisi aliqua suprema intelligentia summo consilio & sapientiâ mundo præsideret; circa hanc providentiam scienda sunt sequentia.

Primò providentiam juxta diversitatem objectorum materialium dividi in providentiam naturalem & supernaturalem, in prædestinantem & reprobantem; unus quippe finis & ratio formalis, quam divina providentia in omni suo effectu respicit, est  
ma,

manifestatio divinarum perfectionum, idèdque inter partes divinæ providentiæ non est distinctio virtualis intrinseca, sed, quia objecta materialia & effectus ad hunc finem ordinati inter se differunt, dum alii pertinent ad ordinem naturæ, alii ad manifestandam misericordiam in electis, alii ad ostendendam justitiam in reprobis, idcirco alia vocatur providentia naturalis alia prædestinans vel prædestinatio, alia reprobans vel reprobatio.

Secundò ad providentiam plures actus intellectûs & voluntatis concurrere, quos per analogiam ad nostros actus & secundum prioritatem objectorum in Deo distinguimus, quorum primus est volitio sive intentio finis: hæc enim est, quæ movet ad electionem mediorum. Secundus cognitio mediorum proportionatorum. Tertius consilium seu iudicium illorum. Quartus est electio. Quintus denique imperium.

Tertiò Providentiam pertinere ad intellectum ut immediatè elicientem, ad voluntatem verò ut imperantem juxtà S. Th. hic A. 1. ad 3. *providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem*: item Q. 5. de verit. A. 1. *O providentia includit & scientiam & voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativâ sed practicâ*, ratio est: quia providentiæ est ordinare in finem media; sed ordinare per se & propriè spectat ad intellectum: ordinare enim est considerare unum in ordine ad aliud, considerare autem per se pertinet ad intellectum, unde etiam providere etymologiam suam habet à videre.

Quarò providentiam consistere formaliter in actu imperii electionem mediorum subsequente. Colligitur ex S. Th. hic A. 1. ad. 1. *præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet,*

com-



competit Deo secundum illud Ps. *præceptum posuit & non præscribit. Et secundum hoc competit Deo ratio prudentia & providentia.* Ratio est; quia providentia consistit in efficace ordinatione mediorum ad finem; atqui ipsum imperium electionem mediorum subsequens est efficax ordinatio mediorum ad finem: nam in voluntate duæ reperiuntur habitudines ad finem, prima vocatur ordo intentionis estque ordo volendi finem, secunda vocatur ordo executionis, estque ordo consequendi finem volitum, ordo intentionis terminatur & completur in actu electionis, quo voluntas supposito iudicio de mediorum congruitate eligit media ad finem consequendum congruentia, ordo executionis incipit ab imperio electionem subsequente, quo voluntas movetur in exercitio ad applicandum se & potentias executivas ad executionem mediorum & assecutionem finis; providentia igitur consistit in ordine efficaci mediorum pertinente ad ordinem executionis, quâ voluntas tendit ad consecutionem finis intenti per executionem mediorum electorum.

Quintò providentiam divinam secundum nostrum modum intelligendi distingui Primò à scientiâ Dei practicâ: quia hæc est simul de mediis & fine, providentia autem non est circâ finem, sed circâ media ad finem: est enim de ordinandis in finem. Secundò distingui ab arte: quia ars est circâ res, ut habent conformitatem cum dictamine artificis, providentia habet se circâ res ut ordinantur in finem. Tertiò distingui à lege Dei: quia lex Deo non est imposta sed creaturis & est imperium regale respiciens subditos, providentia consistit in imperio monarchico respiciente actum Dei liberum, qui est usus & executio. Quartò distingui ab ideis: quia hæc possunt pertinere ad intellectum speculativum, pro-

*Pars I. Theol. Schol.*

Q

viden-

videntia semper pertinet ad intellectum Dei practicum. Quintò distingui à potentiâ Dei executivâ : quia licet potentia tam executiva quam providentia formaliter consistant in imperio tanquam actu practico scientiæ, tamen hic actus habet rationem potentie secundum munus exequendi, rationem verò providentiæ secundum munus dirigendi & secundum munus dirigendi inadæquatè præsupponitur sibi ipsi ut habenti munus exequendi.

*Dices.* Actus imperii in Deo videtur involvere imperfectionem, infert enim subdicionem.

&. Actum imperii in Deo non infert subdicionem sed subordinationem virtuales, quæ, sicut reperitur absque imperfectione inter intellectum & voluntatem divinam, ita quoque actus imperii, ad quem consequitur usus & executio, nullam involvit in Deo imperfectionem.

**DICO. 2.** *Deo conveniens est homines prædestinare . . . ratio transmissionis creature rationalis in finem vite æternæ prædestinatio nominatur* S. Th. hic Q. 23. A. I. O.

Explicatur : prædestinatio quandoque latius sumitur pro quâcunque prædefinitione divinâ & in hoc sensu sæpius à S. Aug. & aliis PP. sumitur, ut, dum dicitur prædestinatio in bonum & prædestinatio in malum. Aliquando sumitur strictiùs pro illâ determinatione, quâ creatura rationalis efficaciter & infallibiliter destinatur ad æternam beatitudinem, & in hoc sensu ita definitur à S. Augustino : præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur, & à S. Th. transmissio creature rationalis in finem vite æternæ. Quod vero præter supernaturalem providentiam generalem quâ Deus omnes homines & creaturas rationales ordinavit ad gloriam, sisque præparavit media sufficiencia

tia

DE EXISTENT. & ESSENT. PROVIDENT. & PRÆDEST. 243

ita ad illam consequendam, detur hæc providentia specialis sive prædestinatio, quâ aliquos efficaciter ordinat & transmittit ad æternam beatitudinem, est definitum à Trid. Sess. 6. cap. 12. *ibi : nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Supponit igitur aliquos à Deo electos sive prædestinatos. Et constat ex Scripturâ Rom. 8. v. 30. *quos prædestinavit, hos & vocavit* Ephes. 1. v. 5. *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* Act. 13. v. 48. *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Et ratio est : sicut in Deo datur duplex voluntas respectu finis, ad quem homines sunt conditi, una antecedens, quâ vult omnes salvos fieri, alia consequens, quâ vult aliquos ad salutem pervenire ; ita etiam duplex admittenda est providentia supernaturalis, una generalis fundata in voluntate Dei antecedente, alia specialis, quæ vocatur prædestinatio fundata in voluntate Dei consequente & efficaci, quâ aliqui finem, ad quem sunt conditi, infallibiliter consequuntur : si enim illi, qui perveniunt ad salutem, absque speciali Dei providentiâ & præordinatione salutem consequerentur, illorum salus esset præter Dei intentionem, nec ipse eligeret homines sed illi se eligerent, nec ex proposito Dei, sed ex proposito humanæ voluntatis salvarentur, quod repugnat verbis Christi Joan. 15. v. 16. *non vos me elegistis, sed ego elegeri vos.* Adde : quod aliquis virtute propriâ non potest obtinere, ad illud debet transmitti ab alio : sicut enim sagitta, quia non potest ex se attingere scopum, debet per sagittarium ad scopum transmitti ; ita ad vitam æternam, quæ omnes vires nostras excedit, debemus transmitti, quæ transmissio & ordinatio mediolorum, quibus perveniamus ad vitam æternam, ab æterno in mente Dei existens est prædestinatio.

Q 2

QUÆS.

*An prædestinatio sit actus divini intellectus.*

**H**Æc difficultas tam de providentiâ quam de prædestinatione moveri potest, utraque enim pertinet ad intellectum & voluntatem, unde dubitatur, quid formalius importet, de providentia generali S. Th. hic Q. 22. A. 1. ad 3. ait: *providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis, nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.*

**DICO.** *Prædestinatio est quedam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens* S. Th. hic Q. 23. A. 2. in O. sive prædestinatio formaliter pertinet ad intellectum.

Probat: ad illam potentiam pertinet prædestinatio, ad quam spectat ordinare media, quibus Electi finem suum vitam æternam obtineant; atqui ad intellectum pertinet ordinare media conducentia ad finem, sicut ad voluntatem pertinet velle & approbare media proposita & ordinata per intellectum, ergo prædestinatio est actus divini intellectus, sed qualis sit actus intellectus dicetur quæst. seq.

**Obj. I.** Prædestinati in sacris litteris dicuntur Electi Matth. 22. v. 14. *multi sunt vocati pauci vero electi* Ephes. 1. v. 4. *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* Rom. 9. v. 12. & 13. *non ex operibus sed ex vocante dictum est . . . . Jacob dilexi Esau autem odio habui*, ergo prædestinatio est electio, & electio pertinet ad voluntatem. Vocatur etiam Rom. 8. v. 28. *propositum: diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

**R.** His & similibus textibus exprimitur prædestinatio vocibus significantibus actum voluntatis, quia *volitionem*

De Electis & Es  
vocat prædippo  
imponit.  
Obj. S. Th.  
prædestinatio præf  
ctibus voluntat  
electum ipsa pe  
Negando  
destinatio in d  
tum aliquorum i  
media prædesti  
non sequitur, q  
Q  
de qua acti for  
Plures actus in  
rationem, ut e  
primò. Deus per se  
agnoscit, quod & qu  
& possit. Secundo  
vocat vult aliquos  
æternam. Tertio p  
ur media, per que  
dici possit. Quarto  
voluntas, qui vocat  
vocationem per actum  
perit.  
DICO. Deus ad  
vocat rationem et  
hic Q. 23. A. 1.  
vocat; præde  
stinationem habet q  
intermediate efficit  
tens eam ratio  
quæ hæc impetium

DE EXISTENT. & ESSENT. PROVIDENT. & PRÆDEST. 245  
tionem præsupponit, non quod eam formaliter  
importet.

*Obj. 2. S. Th. 3. P. Q. 1. A. 3. ad 4. dicit:*  
*prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum; ergo*  
*est actus voluntatis, alias præsupponeret seipsam,*  
*esset enim ipsa præscientia.*

*R. Negando consequentiam: licet enim præ-*  
*destinatio inadæquatè sumpta præsupponat præscien-*  
*tiam aliquorum futurorum: videlicet prout est circà*  
*media præsupponit præscientiam finis, ex hoc tamen*  
*non sequitur, quod sit actus voluntatis.*

### Q U Æ S T I O III.

*In quo actu formaliter & essentialiter consistat præ-*  
*destinatio?*

**P**lures actus intellectûs concurrunt ad prædesti-  
nationem, uti etiam plures actus voluntatis uti  
Primò. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ  
cognoscit, quos & quot ad salutem æternam perduce-  
re possit. Secundò per actum voluntatis sive inten-  
tionem vult aliquos efficaciter perducere ad vitam  
æternam. Tertio per actum intellectûs proponun-  
tur media, per quæ quilibet ad vitam æternam per-  
duci possit. Quartò hæc media approbata per actum  
voluntatis, qui vocatur electio, diriguntur ad exe-  
cutionem per actum intellectûs, qui vocatur im-  
perium.

*DICO. Deus ab æterno præparavit prædestinando;*  
*concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem S.*  
*D. hic Q. 23. A. 2. ad 3.*

Explicatur: prædestinatio consistit in actu impe-  
rii electionem subsequente: quia prædestinatio con-  
sistit in actu efficacissimo divini intellectûs transmi-  
tentis creaturam rationalem ad vitam æternam; at-  
qui hic est imperium: quia imperium est actus intel-

Q 3

telle-

intellectus, per quem media electa propter finem diriguntur in executione ad finem obtinendum; ergo prædestinatio formaliter consistit in imperio. Ex quibus:

Sequitur 1. subjectum prædestinationis activæ est Deus ipse ut prædestinans: quia prædestinatio activæ sumpta est imperium Dei sive actus formaliter immanens divini intellectus & virtualiter transiens perducens creaturam rationalem ad vitam æternam.

Secundò subjectum prædestinationis passivæ est creatura rationalis, in quâ reperiuntur effectus prædestinationis activæ: ut vocatio sive gratia vocationis, justificatio sive gratia justificans, glorificatio sive gloria æterna, in quibus prædestinatio passivæ accepta consistit.

Tertiò finis prædestinationis est gloria seu vita æterna, circâ quam prædestinatio mediâtè & circâ media: hoc est beneficia illa, per quæ Deus creaturam rationalem efficaciter perducit ad vitam æternam, immediatè versatur: est enim prædestinatio actus prudentiæ & providentiæ immediatus, cujus immediatum objectum sunt media.

Obj. prædestinatio à SS. PP. sæpe indicatur per actum voluntatis, & solo habito actu voluntatis, quo Deus vult electum efficaciter salvare, præciso omni alio actu electus certò salvabitur; alias enim non esset actus efficax, ergo prædestinatio essentialiter consistit in actu voluntatis.

R. Sicut suprâ: prædestinatio præsupponit actum voluntatis, & ideo significatur quandoque à SS. PP. nomine exprimente actum voluntatis, quandoque nomine exprimente actum intellectus sic à S. Aug. appellatur electio, propositum, definitio, prædefinitio, definita voluntatis sententia, constitutio, discretio, dispositio, præparatio, electio,

De Electo & Electio, a quod i  
aucto. de be  
scientie Deus  
causæ; quib  
intellectum p  
pavris enim e  
re voluntatis  
pleam futuris  
qui vocatur ipse  
ratis mediæ  
vas ad eternam  
telligitur volunt  
per intellectum  
Q U  
As prædestinat  
DICO, Prædesti  
consequatur  
21. A. 6. O.  
Probatummet  
ritus neque arget  
in prædestinatione  
brione demari  
providentia immota  
sua dispositio Sap  
arum folia nom  
lectum Deo notu  
Joan. 1. v. 13. Se  
11. de 12. Oves m  
viam æternam de  
non spes eas qui  
multo prædesti  
tuum & cert  
determinatione c  
determinationem vel rez  
vocationis à dicit

DE EXISTENT. & ESSENT. PROVIDENT. & PRÆDEST. 247  
lectio, eò quod involvat actum voluntatis. Dicitur  
autem lib. de bono perseverantiæ cap. 14. præ-  
scientia, & Deus præscisse, quibus daturus esset ut  
crederent : quibus indicat S. P. prædestinationem  
ad intellectum pertinere. Non obstat allegata ratio :  
quamvis enim divina voluntas sit efficacissima in ge-  
nere voluntatis, non tamen intelligitur dare com-  
pletam futuritionem, nisi adsit actus intellectus,  
qui vocatur imperium : sicut enim voluntas in crea-  
turis mediante intellectu movet potentias executi-  
vas ad executionem, ità in Deo actu purissimo in-  
telligitur voluntas virtualiter subordinata intellectui  
per intellectum facere, quidquid decrevit facere.

#### Q U Æ S T I O I V.

*An prædestinatio sit in se certa & immutabilis ?*

**D**ICO. *Prædestinatio certissime & infallibiliter  
consequitur suum effectum S. Th. hic. Q.  
23. A. 6. O.*

Probatur: numerus prædestinatorum soli Deo cog-  
nitus neque augeri neque minui potest, nec repro-  
bi prædestinatione salvati, nec prædestinati repro-  
batione damnari possunt ; si enim omnia divina  
providentia immutabilis in numero pondere & men-  
surâ disposuit Sap. 11. ut & capillos capitem &  
arborum folia numeret, multò magis numerus E-  
lectorum Deo notus erit certus, ut testatur Christus  
Joan. 1. v. 18. *Scio quos elegerim.* Joan. 10. v.  
27. & 28. *Oves meæ vocem meam audiunt, ... &  
ego vitam æternam do eis : & non peribunt in æternum  
& non rapiet eas quisquam de manu meâ ; quamvis  
autem Deo prædestinatorum & reprobatorum nume-  
rus sit notus & certus, nulli tamen absolutâ & in-  
fallibili certitudine constat, quod sit de numero præ-  
destinatorum vel reprobatorum, nisi hoc speciali re-  
velatione divinâ didicerit.* Q + Obj.

*Obj.* Secundum S. Aug. si non es prædestinatus fac ut prædestineris ; ergo homo non prædestinatus potest facere, ut prædestinetur.

*R.* Si locus iste in S. Aug. inveniatur, ita est intelligendus : si non exerces opera prædestinatorum, incipe illa exercere, & illa continuare usque ad finem & eris prædestinatus, id est ostendes in effectibus, te esse prædestinatum, nullus enim in bono perseverabit usque ad finem, nisi sit prædestinatus, cum perseverantia in bono sit effectus prædestinationis.

*Q. 1.* Quomodo Deus certò possit scire numerum prædestinatorum ?

*R.* Non per scientiam mediam, quæ omnem causæ determinationem antevertens nullam potest fundare certitudinem & effectûs infallibilitatem ; sed per scientiam visionis & approbationis, quæ subnixâ proposito sive decreto efficaci divino videt media determinata infallibilia, quibus electus ex intentione Dei perducendi ad gloriam per media determinata & infallibilia salutem assequatur : non enim Deus electo media vago & inordinato modo præparat, ut si auditâ concione non convertatur, convertatur gravi morbo : quia hoc imperfectum divinæ providentiæ genus esset, sed modo determinato, ut his certis & determinatis mediis convertatur & ad finalem perseverantiam perducatur, in quâ prædefinitione Deus certò ordinem prædestinationis & media, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur, cognoscit.

*Q. 2.* An major sit numerus prædestinatorum quam reproborum ?

*R.* Non solum respectivè ad omnes homines major est numerus reproborum quam prædestinatorum, sed etiam inter Christianos plures æternum pereunt, quam salvan-

De Error. &  
liberantur constat  
sacri deli, qui  
in certis Aug.  
dem / vos veri  
sibi, in comp  
aratus (sunt :  
completur, p  
m, se etiam  
fimus... In  
aris,

DISP

De infir

In prædestinat  
Iudem consider  
reante media, per  
tam æternam, quæ  
in dandi gloriam,  
in intentionem, ide  
reda ad consecutio  
in æternam gloriam  
re Dei nullum hab  
tatem quam bonitate  
voluntis ex parte Dei  
quantum propriam t  
in certis prædestinati  
in intentionis dandi

QU

et, quando præde

Quæ reprobetur  
in ratione  
in, sequipiam titul



DE EXISTENT. & ESSENT. PROVID. & PRÆDEST. 149  
salvantur ut constat ex dicto Christi : multi vocati,  
pauci electi , qui pauci dicuntur respectu multorum,  
ut explicat S. Aug. lib. 3. Cont. Crescon. cap. 66. *ii-*  
*dem ipsi boni verique Christiani , qui per seipos mul-*  
*ti sunt , in comparatione malorum , falsorumque sti-*  
*dem pauci sunt : sic multa grana , quibus magna hor-*  
*rea implentur , pauca dicimus in comparatione palea-*  
*rum , sic etiam... multa sunt stella, quas numerare non*  
*possimus.... Pauca dicimus in comparatione arena*  
*maris.*

## DISPUTATIO XVI.

*De causis & effectibus predestinationis.*

**L**icet prædestinatio secundum rationem suam essen-  
tialem consistat in actu intellectûs vel imperio im-  
perante media , per quæ prædestinatus consequatur  
vitam æternam , præsupponit tamen voluntatem effica-  
cem dandi gloriam , quam Theologi vocant Decre-  
tum intentivum ; ideò enim Deus decernit & imperat  
media ad consecutionem æternæ gloriæ , quia voluit  
dare æternam gloriam , hoc decretum intentivum ex  
parte Dei nullum habet aliud motivum vel rationem  
finale quam bonitatem divinam : cum actus divinæ  
voluntatis ex parte Dei nullum aliud habeat motivum,  
quam suam propriam bonitatem , sed controvertitur  
an ex parte prædestinati detur aliqua causa ipsius electio-  
nis vel intentionis dandi æternam gloriam.

### QUÆSTIO I.

*An & quomodo prædestinatio sit facta ante prævisa  
merita ?*

**Q**uæstio movetur de adultis : quia parvulorum  
ante usum rationis decedentium nulla sunt meri-  
ta , neque gloriam titulo mercedis sed hæreditatis ac-

Q 5

ci-

cupiunt, ideoque eorundem electio ad gloriam prævisionem meritorum non potest supponere. Et sensus Quæstionis est: an ex parte objecti voliti prius volita sit gloria antequam intelligantur futura merita, per quæ adulti in executione obtinebunt gloriam; nulla enim in actu divino intelligitur prioritas vel posterioritas, nisi ratione objectorum.

DICO. *Quare Deus... hos elegit in gloriam & illos reprobavit. non habet rationem nisi divinam voluntatem* S. Th. hic Q. 23. a. 5. ad 3.

Probat<sup>ur</sup> 1. ex celebri loco Apost. ad Rom. 9. ubi ad probandam gratuitam prædestinatorum præreprobis electionem ad hæreditatem æternam adhibet Apostolus exemplum Patriarchæ Jacob, qui fuit typus Electorum, & Esau, qui præfiguravit reprobos; *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali... non ex operibus sed ex vocante dictum est ei... Jacob dilexi, Esau autem odio habui; cui cum objici posset Deum ita fore injustum & acceptorem personarum, respondet Apostolus: Nunquid ergo iniquitas apud Deum? absit... miserebor cujus misereor & misericordiam præstabo, cujus miserebor, igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei... ergo cujus vult miseretur, & quem vult, indurat; si replicaretur, quid ergo bonum opus ab homine quæritur? si unus gratuita voluntate deputatur ad gloriam & alius in massâ perditionis relinquitur. Respondet iterum Apostolus: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo, annon habet potestatem figulus luti ex eadem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, concludit tandem difficillimam Disputationem hæc exclamatione Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viae eius; atqui si electio esset ex præiis meritis non esset recurrendum ad independentiam, De-*

minium

De Cos & I  
minium i miser  
esse impetum &  
Deum prom  
genet quia fel  
lum esset ha  
rationem ad gl  
iam.

Probat<sup>ur</sup> 2.

quod prudent

quam media ali

cia sunt in episcop

sancti appetitum p

reitione non vol

cutione medio sin

perit ad inveni

gunt ad finem creati

efficiat ad illum fine

trid. sect. 4. de just

usque sunt præditi quia

terna; ergo Deus;

dit dare merita, qu

que electio ad prim

et præiis meritis, n

deus vult eligere ad g

tantum libet enim Deus

debet ad gloriam, cau

tem in inentione.

Qui 1. Quod data

de merito hic depen

deus habet con

merent merita,

genet utalis per

de merito hic depen

re, utpendo c

est de merito à meriti

XVI.  
od gloriam peri-  
gnere. Et vici  
dicitur prius vita  
magna, per  
vici: nulla em  
vel phantas, n  
re in gen & illi  
dromatatem  
st, ad Rom ubi  
atorum p  
tam adhibe  
qui sunt qu  
reprobos, in  
essent aut mal  
ei... Jacob  
th obijci posset  
personarum, reb  
iniquitas apud  
eor & misericor  
non volentes ve  
ergo cuius vult  
reprobos, quid  
at? si unus gra  
& alius in malis  
erum Apostolorum  
Deo, an non lo  
dicit facere alia  
in consummationem  
rationem hanc  
arum sapientia  
vult iudicia vult  
io esset ex p  
dependentem. Do  
minum

DE CAUSIS & EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS. 251  
minium & misericordiam Dei, ut ostenderetur, non  
esse iniquitatem & acceptationem personarum apud  
Deum & in promptu esset ratio: cur unus præ alio eli-  
geretur: quia scilicet unius merita præviderentur, quæ  
alius non esset habiturus; ergo ex mente Apostoli  
electionem ad gloriam non præcedit prævisio meri-  
torum.

Probat 2. ratione: omne agens intellectuale,  
quod prudenter & ordinatè eligit, prius vult finem  
quam media ad finem, maxime, si tam finis quam me-  
dia sint in ejus potestate; nam media quæ talia tantum  
sunt appetibilia propter finem, & causa finalis est in in-  
tentione ratio volendi ipsa media, sicut econtra in ex-  
ecutione media sunt causa finis; ergo ordine naturæ  
prior est intentio finis quam electio mediorum; atqui  
gloria est finis creaturæ rationalis & merita sunt media  
efficacia ad illum finem consequendum: quia juxta  
Trid. sess. 6. de justif. cap. 7. *Hujus justificationis  
causa sunt finalis quidem gloria Dei & Christi ac vita  
æterna*; ergo Deus prius intendit dare gloriam, quam  
velit dare merita, quæ sunt media ad gloriam; sicut  
igitur electio ad primam gratiam juxta omnes non est  
ex prævisis meritis, ita etiam electio ad gloriam: quia  
Deus prius eligit ad gloriam, quam ad primam gra-  
tiam: ideo enim Deus eligit ad primam gratiam, quia  
elegit ad gloriam, causa autem finalis est prior suo ef-  
fectu in intentione.

*Obj. 1.* Quod datur per modum coronæ, illius  
dandi intentio fit dependenter à meritis: Corona enim  
necessariam habet connexionem cum meritis: si enim  
non præcedant merita, non est corona; atqui æterna  
gloria datur adultis per modum coronæ; ergo intentio  
dandi gloriam est dependenter à meritis.

R. Distinguendo conseq. Intentio dandi corona  
est dependenter à meritis vi ejusdem voluntatis futuris  
Con.

Con. vi alterius voluntatis præexistentibus vel futuris N. Si essent duæ personæ intendentis alicui dare coronam, quarum una potestatem haberet dandi merita, alia potestatem non haberet dandi merita; in illâ, quæ potestatem non habet dandi merita, non potest esse efficax voluntas dandi coronam, nisi prævideantur merita ex aliâ aliquâ voluntate præexistentia vel futura; at illa, quæ novit se habere potestatem conferendi merita, vi illius intentionis, quâ vult efficaciter coronam, facit merita esse futura inchoativè, & ideò non est necesse, ut ante intentionem dandi coronam prævideat merita, sicut ille, qui merita non habet in suâ potestate, antequam efficaciter velit dare coronam, debet prævidere merita.

*Obj. 2.* Non potest esse voluntas aliquem puniendi absque prævisis demeritis; ergo neque potest esse voluntas præmiandi absque prævisis meritis.

R. N. consequentiam; verum quidem est, quod sicut pœna non datur sine demeritis in executione, ita neque datur corona absque meritis in executione, in hoc tamen differunt, quod ratio coronæ sit quid de se bonum, ratio pœnæ sit quid de se malum; & ideò pœna non potest esse de se voluta, sed pœna solum est bona, si sit iusta, non est autem iusta, si non sit debita propter aliquod demeritum; unde voluntas inferendi pœnam abstrahendo à demeritis non est iusta neque laudabilis, velle autem alteri coronam est de se bonum; quare sicut sine ullâ prævisione meritorum v.g. Petri possum velle efficaciter dare aliquod bonum non debitum v.g. Canonicatum, dummodo sciam, collationem Canonicatûs esse in meâ potestate, ita etiam sine ullâ prævisione meritorum Petri possum velle, ut Canonicatum, quem volo illi dare, habeat excellentiori modo nempe sub ratione coronæ; dummodo sciam tam collationem Canonicatûs, quam collationem

me-

meritorum esse in meâ potestate ; nullam enim Petro facio injuriam, sed magnum beneficium, quod velim ipsi Canonicatum independenter ab ipsius meritis, & quod ex voluntate illâ gratuitâ, quâ volo, ut Canonicatum dignè possideat, præparem illi conferre merita, quibus reddatur dignus Canonicatu ; itâ à pari, ut Deus unico actu velit conferre aeternam gloriam per modum coronæ, sufficit, quod Deus habeat in suâ potestate quæcunque merita, quæ vi istius intentionis in sequenti signo præparabit, nec ullam electis facit injuriam, sed summum beneficium decernendo illis dare gloriam per modum coronæ sine ullâ prævisione meritorum.

*Inst.* Itâ pœna est medium aptum ad manifestationem divinæ justitiæ, uti gloria est medium aptum ad manifestationem divinæ misericordiæ ; ergo sicut Deus ex amore, quo amat suam misericordiam, potest independenter à meritis velle salvare electos, itâ ad ostendam suam justitiam poterit independenter à demeritis velle punire reprobos.

R. Distinguendo ant. Inflictio pœnæ justæ est medium aptum ad ostendam divinam justitiam. Con. Inflictio pœnæ non justæ N. ut pœna sit justa, debet esse inflictio mali debiti propter aliquod demeritum, ideoque non est utilis ad manifestandam divinam justitiam, nisi prævideatur demeritum ; corona autem potest esse bonum indebitum, unde voluntas manifestandi misericordiam imperat voluntarem conferendi gloriam ut coronam, & hæc voluntas imperat voluntatem conferendi gratiam efficientem merita, at voluntas manifestandi justitiam imperat voluntatem permittendi peccatum & admissio peccato voluntatem inferendi pœnam.

*Obj. 3.* Si Deus efficaciter intendat dare gloriam ante prævisa merita, prædestinati salvarentur sine meritis ;

ritis: omnis enim voluntas efficax Dei est infallibiliter connexa cum effectu; sed consequens est contra fidem ergo ant, ex quo videtur sequi, est falsum.

R. N. sequel. quia ipsa merita sunt effectus voluntatis intentivæ, quia enim ex suâ bonitate vult dare gloriam, ideò vult dare gratiam & merita, per quæ excellentiori modo obtineatur gloria, quam intendit dare voluntas intentiva & gratuita ex parte subjecti non autem ex parte objecti, quia Deus eligit electos ad coronam promerendam seu per merita acquirendam, & sic eliguntur sine meritis, sive nondum in prævisione habentes merita, ut tamen non accipiant gloriam sine meritis, sed tantum habentes merita. Pater familias gratis vocavit otiosos stantes in foro ad promerendum denarium diurnum, non ut illum gratis haberent, sed ex iustitiâ; merita igitur non sunt motivum electionis, sed sunt medium executionis, id est: Deus misericorditer vult, ut v.g. Petrus per bona opera perveniat ad vitam æternam, quare autem potius voluerit Petrum prædestinatum per merita venire ad gloriam, quam Paulum reprobum, non habet aliam rationem, quam divinam voluntatem; distinguendum ergo est inter has propositiones: Deus gratis vult dare gloriam: Deus vult dare gloriam gratis: Deus vult dare gloriam per merita: Deus vult dare gloriam propter merita; licet enim Deus gratis: id est: non motus à meritis velit dare gloriam per voluntatem intentivam, non tamen vult dare gloriam gratis in executione si per ly gratis: intelligatur: sine meritis.

*Obj. 4.* S. Aug. & alii Ss. PP. sæpiùs dicunt præscientiam meritorum præcedere electionem, ergo electio non est facta absque prævisis meritis. Pro responsione.

*Adverte.* Præter Decretum intentivum gloriæ meritorum prævisionem antecedens, dari aliquod decretum

exc-

executivum circà gloriam merita prævisa consequens: sicut enim in nobis intentio & usus sunt duo actus voluntaris, & intentio electionem mediorum antecedit, & usus eorum electionem subsequitur ac circà executionem mediorum & finis versatur, ità proportionally in Deo ex parte objecti per analogiam ad nostros actus duo decreta distinguimus, intentivum, quo electos non prævisis meritis vult salvare, & ex quo movetur ad electionem mediorum, per quæ illos vult salvare; alterum decretum executivum, quo vult efficaciter exequi merita, quibus prædestinati suo tempore gloriam consequuntur; quando igitur Ss. PP. dicunt electionem ad gloriam præcedere præscientiam meritorum, loquuntur de decreto executivo: ipsam enim gloriæ executionem præcedunt Sanctorum merita, & ipsam voluntatem dandi in executione gloriam præcedit præscientia meritorum: quia enim Deus prævidit Sanctorum merita, quæ ex suâ voluntate gratuitâ intendente illos salvare ipsis dedit, vult illis dare coronam gloriæ; hanc utramque voluntatem expressit S. Aug. in ser. 7. de V. Dom. *Eligit autem (Deus) sicut dicit Apostolus & secundum suam gratiam* (quibus intelligitur decretum intentivum, liberale & gratuitum) *& secundum illorum iustitiam* (quo intelligitur decretum executivum merita prævisa supponens)

**Q.** An electio hominum facta fuerit post prævisionem peccati originalis?

**R.** affirmativè: quia homines fuerunt electi ad gloriam liberantem à massâ perditionis, ergo fuerunt electi post prævisum peccatum (videlicet in aliquo genere causæ, nempe materialis prius permittendum ut destruendum per Christum) per quod fuit constituta massa perditionis. Antecedens patet ex communi sententiâ de incarnatione, quod ex meritis Christi sine

præ-

prædestinati homines, Christi autem incarnatio decreta est post prævisum peccatum.

*Obj.* Ex meritis Christi sunt prædestinati non tantum homines sed etiam Angeli: est etenim primus prædestinatorum tam hominum quam Angelorum; atqui Angeli sunt prædestinati ante prævisum peccatum Adami: quippe cujus causa impulsiva fuit Angelus damnatus.

*R.* Peccatum Adami præsupposuit reprobationem Angelorum ordine executionis, non autem intentionis; hic enim ordo formari potest in prædestinatione divina: 1<sup>o</sup> modo. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ omnes homines cognovit ex uno oriundos posse peccato originali in unam damnationis massam colligari & ab illâ massâ per gratiam Christi Redemptoris liberari. 2<sup>o</sup> modo. Decrevit permittere perditionis massam, ut materiam incarnationis & decrevit incarnationem Christi ut Redemptoris à massâ perditionis, unde vi ejusdem signi fuit futurum peccatum originale & incarnatio Christi cum mutuâ prioritate à quo: siquidem præcessit futuritio peccati originalis in genere causæ materialis, præcessit verò futuritio incarnationis in genere causæ finalis. 3<sup>o</sup> modo. Ad majorem gloriam Christi hominum Redemptoris voluit etiam, ut esset caput Angelorum, & eis intuitu meritorum Christi conferre gratiam non à peccato liberantem sed præservantem & gloriam; cumque illa voluntas Dei de conferendâ Angelis gratiâ & gloriâ ex meritis Christi fuerit solum ex consequenti, non dicitur Christus mortuus pro Angelis aut illorum Redemptor. 4<sup>o</sup> modo. Denique ad ostendendos Thesauros suæ misericordiæ & justitiæ quosdam homines prædestinavit ex massâ perditionis & alios in illâ reliquit; licet igitur Deus intenderit permissionem peccati Adami & postea quosdam reprobaverit ex Angelis, media tamen particularia ad exequendam dictam permissionem.

De Causa & Effectu  
Gratiae, ut quæ sit  
solum prævisum  
peccatum.

Quis sciat

Nulla requiritur  
ut licet in se et  
reprobationis inquam  
Deus autem non  
quærens talia  
Quod aliquo modo  
naturalem consequens  
voluntate Dei labant  
reprobatione Christi non  
tamen; quæ quavis  
et solum damnationem  
reprobatione solæ beatitudinis  
et hanc intentionem; quæ  
reprobationis.

UCCO. Est error  
negativus. S. Th. hic  
reprobationis sunt gloriæ  
fidelium & probat  
primò effectus præ  
dictum ut constat  
etiam reprobationis a  
non prævisum, et  
non, sed est justitia  
et prævisum. Et  
reprobationem & infirmitatem  
et tantum finem  
damnationis finis; si  
autem non mediata  
damnationis mediocri  
Pari 1. Int. Schol.



DE CAUSIS & EFFECTIBUS PRÆDESTINAT. 257  
sionem, inter quæ fuit permissio tentationis serpentis,  
solum præparavit Deus post intentam Angelorum re-  
probationem.

## QUÆSTIO II.

*Qui sunt effectus prædestinationis?*

**T**Ria requiruntur ad effectum prædestinationis imò  
ut sit in se est bonum: quia omnis effectus præ-  
destinationis in quantum talis est à Deo prædestinante,  
Deus autem non potest esse causa mali, idèd peccata  
quatenus talia non sunt effectus prædestinationis. 2dò.  
Quod aliquo modo conducatur ad beatitudinem super-  
naturalem consequendam. 3tio. Ut oriatur ex efficaci  
voluntate Dei salvandi hominem, quare operationes  
meritorie Christi non sunt effectus nostræ prædestina-  
tionis: quia quamvis sint à Deo & de facto conducant  
ad nostram beatitudinem, non tamen sunt ex efficaci  
intentione nostræ beatitudinis sed præsuppositæ sunt  
ad hanc intentionem: quia incarnatio Christi est causa  
prædestinationis.

**DICO.** Est executio prædestinationis vocatio &  
magnificatio. S. Th. hic Q. 23. a. 2. O. Sive effectus  
prædestinationis sunt glorificatio, justificatio, vocatio.

Explicantur & probantur singuli

Primò effectus prædestinationis est beatitudo  
electorum ut constat ex Apostolo enarrantes ef-  
fectus prædestinationis ad Rom. 8. v. 30. *Quos  
autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos  
vocavit, hos & justificavit, quos autem justifica-  
vit illos & glorificavit.* Et ratio est: quia causa me-  
diorum efficacium & infallibiliter ex intentione ope-  
rantis inferentium finem etiam est causa non imme-  
diata sed mediata finis; sic Medicus præparans medi-  
cinam est causa mediata sanitatis consecutæ; sed præ-  
destinatio est causa mediorum efficacium ex intentione

*Part. I. Theol. Schol.*

R

præ-

prædestinantis inferentium intallibiler finem : ut patet ex definitione prædestinationis ; ergo est causa mediata glorificationis.

*Dices* : Beatitudo electi est futura ante prædestinationem ; quia intentio Dei dandi beatitudinem, quæ est efficax, est ante electionem mediorum, & consequenter ante prædestinationem consequentem electionem mediorum ; atqui vi istius efficacis intentionis beatitudo est futura ; ergo prædestinatio non est causa futuritionis æternæ beatitudinis.

*R.* Beatitudo ante prædestinationem est futura futuritione adæquatâ & completâ & in executione N. Futuritione inchoatâ & in intentione. *Con.*

Secundò, Effectus prædestinationis est gratia justificationis etiam per peccatum interrupta : ratio est ; quia omnes conditiones effectûs prædestinationis conveniunt gratiæ interruptæ, sive, quæ, postquam est collata, per peccatum est perdita : nam 1. est à Deo 2. cum effectu conducit ad æternam beatitudinem : quia illa, quando dabatur, dabat jus ad gloriam ex divinâ intentione consequendam reipsâ, & tale jus non fuit per peccatum amissum, sed solum per peccatum est suspensum, proinde remoto per pœnitentiam peccato gratia prius collata causabat jus ad æternam gloriam, cujus gloriæ quantitas non tantum cor respondet quantitati gratiæ reparationis, sed etiam quantitati gratiæ primitivæ concessæ & secundum suam substantiam consideratæ, ut docetur 1. 2. Disp. XXIX. de merito & 3 p. Di. p. XXXII. 3. quod hinc sequitur : gratia interrupta provenit ex efficaci intentione Dei intendentis dare gloriam ; ex his sequitur in prædestinato non tantum justificationem non interruptam quæ mediante Dono perseverantiæ continuatur usque ad finem vitæ sed etiam quamcunque justificationem prædestinati esse effectum prædestinationis.

*Dices* 1. Prima gratia collata Adamo & interrupta per

per peccatum non fuit effectus prædestinationis ; ergo nec justificationes aliorum electorum per peccatum interruptæ, Ant. patet : quia prædestinatio Adami fuit post prævisum peccatum Adami, & consequenter post prævisam interruptionem gratiæ ; ergo non potuit esse causa gratiæ ante interruptionem collatæ

R. N. consequentiam, disparitas est ; quod licet Adam in statu innocentiae habuerit gratiam & jus ad gloriam, illa tamen gratia non fuit ex efficaci voluntate dandi Adamo gloriam ; cum Deus Adamum prædestinaverit post prævisum peccatum ; gratia autem aliis hominibus prædestinatis concessa licet per peccatum interrupta, est ex efficaci voluntate divina illis tribuendi gloriam.

Dices 2. Ut aliquid sit effectus prædestinationis, debet cum effectu conducere ad æternam beatitudinem ; atqui gratia interrupta ad æternam beatitudinem non conducit : non enim per penitentiam redit eadem numero sed alia æquivalens.

R. Ad effectum prædestinationis non requiritur, quod persistat usque ad consecutionem gloriæ in sua propria entitate individuali : alioquin opera meritoria per peccatum non impedita non essent effectus prædestinationis ; sed sufficit, quod permaneat in suo effectu vel in suo æquivalenti.

Tertiò. Effectus prædestinationis est gratia vocationis sive omnes vocationes etiam inefficaces prædestinati sunt effectus prædestinationis. Ratio est : quia omnia illa, quæ conducunt ad finem & ultimum effectum prædestinationis, cæteris paribus sunt effectus prædestinationis, atqui vocationes inefficaces in prædestinato conducunt ad finem prædestinationis : quia licet sint inefficaces pro actu conversionis v.g. in ordine ad quem tribuuntur immediatè nihilominus aliquo modo emolliunt cor prædestinati & paulatim disponunt

Illud, ut facilius cum auxilio efficaci convertatur, & ita mediis prædictis vocationibus Deus exequitur ultimum effectum prædestinationis nimirum gloriam; nam juxtà Apostolum ad Rom 8. v. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.*

Dices: illa auxilia divinæ gratiæ sunt effectus prædestinationis, quæ certò & per se conducunt ad consecutionem gloriæ; atqui auxilia merè sufficientia neque certò neque per se conducunt ad consecutionem gloriæ: eò quod sint communia reprobis & electis, neque habeant infallibilem connexionem cum gloriâ: cum pertineant non ad voluntatem Dei consequentem sed antecedentem, quæ ipsum gloriæ finem non efficaciter intendit.

3. Distinguendo maj. Quæ certò & per se vel absolute, vel factâ suppositione sive ut cum aliis conjuncta conducunt ad consecutionem gloriæ Con. tantum secundum se & absolute N. Ita similiter distinguitur mi. Licet enim in sensu diviso possit contingere, quod vocationes inefficaces nullatenus cum effectu conducant ad æternam vitam, non tamen in sensu composito: quia omne beneficium Dei in statu naturæ lapsæ collatum prædestinatis confertur illis intuitu meritorum Christi ex complacentia æternæ vitæ, quæ illis prius est volita, adeoque ex voluntate consequente electos salvandi.

Q. 1. An permissio peccati in prædestinato sit effectus prædestinationis?

3. affirmativè ita S. Th. 1. 2. Q. 79. 2. 4. O. ubi loquens de excacatione, quæ permissioem peccati includit ait: *dicendum, quod excacatio est quoddam prambulum ad peccatum, peccatum autem ad duo ordinatur, ad unum quidem per se scil. ad damnationem, ad aliud autem ex divinâ misericordiâ vel providentiâ scil.*

scil. ad sanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humiliantur & convertantur sicut Aug. dicit in lib. de nat. & grat. unde & excacatio ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus, qui excacatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus, sed ex divinâ misericordiâ excacatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excacantur, sed hac misericordia non omnibus impenditur excacatis sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur ad Rom. 8. Ex quibus hæc formatur probatio: quidquid à Deo præparatur electis ex intentione beatitudinis ipsis conferendæ, est effectus prædestinationis; sed permissio peccati præparatur electis ex intentione ipsis conferendi æternam beatitudinem; unde David ps. 118. v. 17. Bonum mihi, quia humiliasti me; ergo est effectus prædestinationis.

**Obj. 1.** Omnis effectus prædestinationis est beneficium supernaturale ex voluntate consequente & providentiâ speciali à Deo datum & per se conducentis ad consequendam gloriam; atqui permissio peccati, quæ est denegatio gratiæ, ex quâ infallibiliter sequitur lapsus in peccatum, non est gratia, sed potius pœna; ergo non est effectus prædestinationis.

**R.** Distinguendo maj. Omnis effectus prædestinationis debet esse beneficium supernaturale vel in se intrinsecè ratione sui vel extrinsecè & ratione illius ad quod ordinatur. Con. semper intrinsecè & ratione sui. N. Permissio peccati ratione sui non est gratia, sed potius carentia gratiæ, non est beneficium ex meritis Christi, sed potius pœna ex propriis demeritis, nec ut talem poterant electi illam petere, nec Christus promereri, quod tamen illa permissio peccati

R. 3

cati

cati extrinsecè ordinetur ad majorem gloriam electi, ut ex illâ humiliatus cautior & humilior resurgat, fiat speculum pœnitentiæ, gratia est extrinsecè à Ch isto promerita & à nobis postulari potuit, uti illam à patre postulavit Christus.

*Obj. 2.* Effectus prædestinationis est à providentiâ Dei speciali; atqui permissio peccati est à providentiâ Dei generali, pertinet enim ad Deum, ut provisorum generalem ad majorem decorem universi quoddam defectus sive physicos sive morales permittere.

*R.* Permissio peccati secundum se considerata & ut conducens ad pulchritudinem universi & ad manifestationem divinorum attributorum est elicitive à providentiâ Dei generali; ut autem conducit ad bonum electorum mediatè & imperativè procedit à prædestinatione, & consequenter est effectus providentiæ specialis non elicitus sed imperatus, uti etiam potest dici de vocationibus inefficacibus, quod sint effectus elicitus à providentiâ generali, sed inquantum ordinantur ad majorem gloriam electi, sint imperati à providentiâ speciali; sic iterum permissio peccati in reprobis respectu reproborum est effectus reprobationis, respectu electorum est effectus prædestinationis, inquantum permissio peccati in reprobis conducit ad bonum electorum; sicut enim mala naturalia in universo non semper ordinantur ad bonum illorum, quibus accidunt, ita malum culpæ aut permissio peccati non semper eligitur in bonum illius, in quo permittitur, bene tamen in majus bonum nobilissimum partium universi scilicet prædestinatorum.

*Q. 2.* An substantia prædestinati propriè sit effectus prædestinationis?

*R.* Negativè, probatur: ut sit aliquid propriè effectus

fectus prædestinationis, debet ex efficaci intentione dandi gloriam à Deo conferri & poni in electo tanquam medium conduens ad consecutionem gloriæ; atqui has condiciones non habet substantia prædestinati, sed illa præsupponitur ad voluntatem consequentem & efficacem dandi gloriam: prius enim antequam aliquos ex massâ perditionis Deus efficaciter elegerit, voluit creare homines, voluit enim prius Christum Redemptorem, ut succurreret generi humano per peccatum lapso. Unde S. Aug. Ep. 105. *Christus non pro ullis ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est ut justificentur.* Dicitur propriè, si enim nomine effectus prædestinationis non intelligatur præcisè illud, quod est medium à Deo ordinatum ad finem consequendæ gloriæ, sed omne illud, quod aliquo modo conducit ad effectus prædestinationis, certum est, substantiam prædestinati esse effectum prædestinationis latius sumptum; nam prædestinati substantia est causa efficiens actuum, quibus homo justificatur & promeretur gloriam imò est ipsa causa efficiens gloriæ & visionis beatificæ, quam producit mediante intellectu lumine gloriæ elevatio; item potest esse motivum per modum objecti gratiarum actionis pro creationis & conservationis beneficio, per quod contrariæ sententiæ possunt conciliari.

### Q U Æ S T I O III.

*An ex parte prædestinati desur causa in ordine executionis respectu primi effectus prædestinationis?*

**Q**uestio maximè est de primo effectu prædestinationis sive de prima gratia, quia certum est, quod sequentes effectus in prædestinato causam habeant; opera enim ex prima gratia facta possunt mereri sequentes gratias, de prima autem gratia do-

euerunt Pelagiani & semipelagiani illam dari ob præcedentia opera ex viribus naturæ facta & quidam Catholici adhuc de facto docent dari ad minùs causam aliquam dispositivam gratiæ, vel hanc infallibiliter connexam esse cum operibus naturalibus ex lege Dei & pacto inito cum Christo de non denegandâ gratiâ facienti quod in se est. Contra quos:

DICO. *Impossibile est, quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostrâ.* S Th. hic Q. 23. 2. 5. O. Sive non datur ex parte hominis prædestinati ulla causa gratiæ sive primi effectûs prædestinationis meritoria aut dispositiva aut ex lege Dei & pacto inito cum Christo infallibiliter eum operibus ex viribus naturæ elicitis connexa.

*Probatur 1.* Apud S. Apost. & S. Aug. inscrutabilis & irresolubilis est sententia, cur unus homo accipiat primam gratiam sive primum effectum prædestinationis & alter non, cur unus à Deo liberetur à malsâ perditionis, & alter non liberetur; atqui si ex parte prædestinati daretur causa aliqua ex solis viribus naturæ meritoria aut dispositiva cum gratiâ infallibiliter connexa, foret quæstio illa resolubilis, responderi enim posset: quod hic se disposuit & fecit, quod in se fuit & alius non.

*Probatur 2.* Deus sæpè vocat homines omnis generis vitis deditos relictus iis, qui ab ineunte ætate se exercuerunt in bonis operibus naturalibus; ergo huiusmodi opera non movent Deum ad conferendam gratiam vel primum effectum prædestinationis.

*Probatur 3.* Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis; atqui Christus primum effectum suæ prædestinationis non meruit; erat enim ille unio hypostatica, quam Christus non meruit; ergo neque nos primum effectum prædestinationis mere-  
mur.

Proq



*Probatur 4.* Si prima gratia cadat sub merito, jam non esset gratia, quod enim debitum est de condigno vel de congruo, non est pura gratia; atqui prima gratia est pura gratia.

*Probatur 5.* T. id. fess. 6. de justif. cap. 5. docet. *Justificationis exordium sumendum esse ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur.*

*Obj. 1.* S. Th. 1. dist. 41. Q. 1. art. 3. in O. ait: *Opus bonum præcedens gratiam non est causa meritoria eius sed solum dispositio quadam & in responsione ad 2. dicit: prædestinatio respectu hujus effectus habet rationem justitiæ distributiæ scilicet respectu gloriæ.... sed respectu primi effectus scilicet gratiæ habet rationem magis liberalitatis quam justitiæ, quia gratia datur gratis & non redditur meritis, unde ex parte recipientis non est assignare causam, quare dignus sit gratiâ, sed solum dispositionem quandam; Ergo datur solum in prædestinatis dispositio ad gratiam; ergo invenitur in prædestinatis aliquid, ratione cujus detur 1 mus effectus prædestinationis.*

*2.* S. D. Loqui de gratiâ habituali, ad quam datur in homine dispositio non ex viribus naturæ, sed ex viribus gratiæ, cui non obstat, quod S. D. Loquatur de primo effectu prædestinationis: quia intelligendus est non de effectu primo simpliciter, sed de primo inter principales prædestinationes effectus, qui sunt gratia & gloria, inter quos 1 mus effectus est gratia habitualis.

*Obj. 2.* In suppl. Q. 14. 2. 4. O. ait: *Opera extrâ Charitatem facta non sunt meritoria ex condigno neque æterni neque temporalis alicujus boni apud Deum, sed quia divinam bonitatem decet, ut ubique dispositionem invenit, perfectionem adjiciat, ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extrâ Charitatem facta, &*

*secundum hoc opera ista ad triplex bonum valent scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam & ad assuetudinem bonorum operum.*

R. Opera bona extrà Charitatem facta esse dispositionem ad gratiam non positivam habentem connexionem positivam cum gratia, nec negativam infallibilem, sed negativam fallibilem, quæ aliquod impedimentum gratiæ removet; per exercitium enim bonorum operum extrà Charitatem mitigantur passionnes, removentur plura peccata, quæ gratiam demerentur, & quibus homo ostium cordis Deo clauderet & divinæ gratiæ plura obstacula opponeret, quod autem ex solis viribus naturæ aliquis non possit se disponere ad gratiam dispositione negativâ infallibili, ex eo patet, quia tunc homo se disponit dispositione negativâ infallibili, quando omne impedimentum receptionis formæ excludit; atqui homo propriis viribus non potest vitare omne peccatum mortale, per quod ponitur impedimentum gratiæ; ergo non potest se homo ad gratiam auxiliantem disponere dispositione negativâ infallibili.

*Obj. 3.* Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam: non enim videtur congruens esse, ut Deus non det suam gratiam illi, qui conatur benè agere, & facit quantum est in seipso.

R. Hoc ipsum, quod aliquis faciat quod in se est convertendo se ad Deum, est ex Deo movente cor ipsius in bonum, unde S. Th. 1. 2. Q. 109. a. 6. ad 2. *Cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus à Deo.*

*Obj. 4.* S. Th. Q. 14. de verit. a. 11. ad 1. ait: *Si aliquis taliter (id est in Sylvis) nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fugâ mali, certissimè est tenendum quod ei Deus vel per inter-*

¶ AME

nam inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium; Ergo homo faciens, quod in se est ex propriis viribus infallibiliter accipit gratiam.

R. Hominem in hoc corruptionis statu non sequi ductum naturalis rationis in omnibus sine speciali auxilio tum illuminante, ut sciat homo, quid justum sit, tum dirigente, ut quod justum est, faciat; quod si per auxilium Dei hoc faceret, etiam ulterius juvaretur, sicut contigit Cornelio unde non sequitur, quod Deus homini facienti, quod in se est, ex viribus naturæ, gratiam infallibiliter largiatur.

#### Q U Æ S T I O. IV.

*An merita puri hominis possint esse causa meritoria prædestinationis alterius quoad electionem & omnes effectus?*

**S**uppono 1. Purum hominem posse de congruo alterius prædestinationem quoad aliquos effectus promereri: siquidem plura dona supernaturalia largitur Deus aliquibus ex prædestinatis propter merita alterius, ut constat in S. Paulo, cujus conversio orationibus S. Stephani communiter à SS. PP. tribuitur.

Soppono 2. Ex 1. 2. Disput. XXIX de merito, quod bona opera uniuscujusque solum sint meritoria de condigno respectu propriæ beatitudinis & bonorum, quæ ad illam ordinantur, non verò respectu beatitudinis & bonorum, quæ alteri personæ sunt conferenda, eò quod gratia puri hominis solum sit gratia personalis, non verò capitalis, & propterea gratiæ Christi ejusque meritis tribuitur, ut possit de condigno totam nostram prædestinationem quoad omnes ejus effectus promereri, quare quæstio solum est, an

secun-

secundum præsentem Dei ordinationem purus homo alterius personæ prædestinationem quoad omnes effectus possit de congruo promereri.

DICO. Ita prædestinatur à Deo salus alicujus ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet in salutem vel orationes propria vel aliorum; vel alia bona vel quicquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur, S. Th. hic Q. 2. 3. a. 8. Q.

Explicatur: merita unius puri hominis non possunt secundum præsentem Dei ordinationem esse causa meritoria prædestinationis alterius quoad omnes suos effectus. Est communior.

Probatur: quod est alicujus hominis prædestinationis effectus v. g. S. Pauli non potest esse causa omnium effectuum prædestinationis: aliàs idem posset esse causa sui ipsius, sed orationes v. g. factæ à S. Stephano pro S. Paulo sunt effectus prædestinationis S. Pauli; quia quidquid conducit aut efficaciter promovet hominem ad suam salutem est effectus suæ prædestinationis; ergo orationes S. Stephani non possunt esse causa omnium effectuum prædestinationis S. Pauli.

Obj. I. Deus prius vidit orationem S. Stephani, quam conversionem & prædestinationem S. Pauli; ergo orationes S. Stephani non sunt effectus prædestinationis S. Pauli: effectus enim est posterior causâ. Antecedens probatur ex S. Th. 3. p. Q. 1. a. 3. ad 4. Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum; S. ideò sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ità etiam prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.

æ. N. anteced. ad cujus probationem dicitur: S. D. velle, quod, quia prædestinatio formaliter spectata

Statuta secundum illud, quod dicit in recto, consistit in imperio electionem subsequente, præsupponit electionem mediorum, vi cuius media & effectus prædestinationis sunt inchoativè futura, & idè, sicut prædestinatio Christi Domini præsupponit permissionem peccati non in omni genere causæ sed in genere causæ materialis ut statim dictum; sic prædestinatio Pauli vel imperium Dei imperans executionem mediorum prævisorum, per quæ converteretur Paulus, præsupponit electam esse orationem S. Stephani, per quam converteretur Paulus.

*Obj. 2.* Ille potest alteri mereri omnes effectus prædestinationis, qui potest mereri primum effectum; atqui unus homo potest alteri mereri primum effectum; quia primus effectus prædestinationis est gratia fidei sive vocationis quam Trid. sess. 6. de justif. cap. 8. dicit: fundamentum totius justificationis, ac proinde primum effectum prædestinationis; atqui hanc potest unus homo alteri mereri; ergo.

*R.* Ad gratiam fidei sive vocationis, quæ est primus effectus prædestinationis non pertinet tantum prima gratia in prædestinato recepta, sed etiam plura alia extrinseca, quæ Deus supernaturali providentiâ ordinavit ad effectum hominem salvandi, inter quæ etiam numerantur orationes sanctorum, quibus de congruo aliis merentur primam gratiam.

*Obj. 3.* Christus Dominus de condigno meruit omnes effectus nostræ prædestinationis; ergo unus homo justus poterit de congruo alteri mereri omnes effectus: sicut enim unio personalis fuit sufficiens principium meriti de condigno respectu prædestinationis aliorum hominum, ita gratia habitualis puri hominis est sufficiens principium ad merendum de congruo prædestinationem alterius.

*R.* Negando consequentiam, disparitas est: quod

merita

merita Christi Domini pertineant ad gratiam unionis, gratia unionis præcessit in intentione divinâ nostram prædestinationem, & ideò non fuit effectus, sed causa nostræ prædestinationis; media autem efficacia in ordine ad salutem alicujus & pertinentia ad gratiam adoptionis, qualia sunt orationes puri hominis iusti cum effectu conducentes ad hunc finem, oriuntur ex intentione efficaci dandi gloriam æternam illi, pro quo funduntur, atque ideò non sunt causa adæquatæ prædestinationis, sed effectus intentionis efficaciæ alterum salvandi.

## DISPUTATIO XVII.

*De reprobatione.*

**S**ECUNDUM fidem confitemur aliquos esse condempnandos Deumque velle & ab æterno cognovisse, quod ii à fine æternæ vitæ deficerent, eo quod in peccatis essent decessuri, quod idem est ac reprobare, quæ vox & in sacris litteris fundata est 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè dum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar* 2. Cor. 13. v. 5. & 6. *Aanon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est, nisi fortè reprobi estis, spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.*

## QUÆSTIO I.

*An in Deo detur reprobatio & in quo consistat?*

**D**ICO. *Sicut prædestinatio est pars providentiæ respectu eorum, qui divinitus ordinantur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt* S. Th. hic Q. 23. a. 3. O.

Explicatur conclusio applicando ea, quæ dicta sunt de prædestinatione, cum ferè omnia applicari possint

sint ad oppositum prædestinationis vid. reprobationem.

Primo. Aliquas creaturas rationales reprobari id est ad æterna supplicia deputari tam ex hominibus quam Angelis constat ex illo Matth. 25, v. 14. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus; cujus rationem dat S. D. loc. cit.* quod, sicut ad generalem providentiam pertinet aliquem defectum in rebus permittere, ita spectat ad specialem providentiam, ut non tantum aliquos ordinet ad vitam æternam, sed etiam ad manifestandam magnitudinem misericordiarum in electis, gratiarum necessitatem, arbitrii creati defectibilitatem & justitiarum suarum pulchritudinem, ut permittat aliquos ab isto fine vitæ æternæ deficere, de quo Apostolus ad Rom 9, *Deus sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiarum, quæ præparavit in gloriam.*

Secundo. Reprobatio hæc positivè accepta est pars objectiva divinæ providentiæ; sicut enim effectus glorificationis aliquorum debet præexistere in divinâ providentiâ prædestinante, ita effectus damnationis aliquorum in divinâ providentiâ reproban-te.

Tertio. Reprobatio formaliter consistit in actu immanente intellectus practici, qui imperium vocatur, permissionem peccati & finalis impœnitentiæ ordinantis in ostensionem divinæ justitiæ præsupposito tamen & connotato duplici actu voluntatis, quorum unus dicitur decretum ex lusivum à gloriâ, alter decretum permissivum tam primi quam ultimi peccati sive finalis impœnitentiæ.

Quarto. Certitudo reprobationis nititur eisdem fundamentis, quæ de præscientiâ & providentiâ divinâ superius statuta sunt, videlicet, decretis permissivis, in quibus peccata reprobi ac finalem impœnitenti-

niten-

nitentiam Deus certò videt, ideòque hæc certitudo non est causalitas mediorum, sicut certitudo prædestinationis, sed logicæ illationis: eò quod decreta permissiva non causent peccatum, uti e contra decreta prædefinitiva prædestinationis merita Electorum causant.

## QUÆSTIO II.

*An & quomodo reprobatio ante prævisa demerita fiat?*

**S**uppono 1. Per primi hominis prævaricationem omnes homines fuisse factos unam massam perditionis, ità ut justo Dei iudicio negatâ omni gratia potuissent in æternum in dictâ massâ relinqui, ex qua massa licet homines sint erepti, non tamen omnes, sed aliqui justo Dei iudicio in eadem sunt relictæ.

*Suppono 2.* Quod peccatum originale, quo damnationis massa est constituta, possit considerari dupliciter. Primò ut est infectio naturæ sive in quantum est peccatum, quo omnes in Adam peccavimus. Secundò ut est infectio personæ, in quantum est peccatum, quo nascendo inficimur; peccatum originale, in quantum est infectio personæ per Baptismum tollitur, peccatum in quantum est infectio naturæ, manet in baptizato, etenim post Baptismum manet verum, quod baptizatus sit ex genere humano, quod totum in Adamo per peccatum originale fuit vitiatum; hanc distinctionem docet S. Aug. dum sæpius repetit, quod peccatum, quo omnes in Adam peccavimus, fuit peccatum tantum, peccatum verò, quo omnes nascendo inficimur, sit ità peccatum, ut etiam sit pœna peccati.

*Suppono 3.* Quod reprobatio dividatur in positivam & negativam; negativa est decretum denegativum gloriæ tanquam beneficii indebiti, & dicitur

re-



negativa, non ex eo, quati negatio sit ex parte Dei & actus, sed quia pro objecto habet negationem gloriæ sive exclusionem à gloria, hæc opponitur electioni ad gloriam, in eodem quippe signo rationis, in quo unus misericorditer eligitur ad gloriam, alius iusta Dei voluntate relinquitur in massa perditionis id est cumulo hominum vi peccati originalis ab hæreditate æterna exclusorum, reprobatio positiva & punitiva includit decretum infligendi pœnam æternam.

*Suppono 4.* Inter Theologos convenire, quod reprobatio accepta pro voluntate sive decreto, quo Deus post præscientiam finalis perseverantiæ reprobatorum in peccatis statuit illis infligere pœnam æternam tam damni, quam sensus, pro motiva causa habeat omnia peccata sive originale sive actualia sive utraque, in quibus reprobi moriuntur, quæstio ergo hic est de causa motiva reprobationis acceptæ pro voluntate, qua Deus in illo signo, quo alios ex massa perditionis liberavit per efficacem voluntatem dandi gloriam, cæteros voluit in massa perditionis relinquare.

*Suppono 5.* Etiam distinguendum esse inter reprobationem comparativam, qua unus potius reprobatur quam alius & inter absolutam sive comparatione ad alium, certum autem est, quod reprobatio comparativa nullam habeat causam ex parte reprobi, sed unicam ex parte Dei occultissimam nimirum rationabilem tamen voluntatem, ad quam confugit Apostolus ad Rom. 9. juxta expositionem S. Th. hic. Q. 23. A. 5. ad 3 quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem his præmissi.

DICO. *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam & inferendi damnationis*

*Part 1. Theol. Schol.*

S

*pœnam*

*pœnam pro culpâ.* S. Th. hic Q. 23 a. 3. O. Sive reprobatio negativa Angelorum fuit ante prævisum demerita. Sed reprobatio hominum fuit post prævisum peccatum, quo omnes in Adam peccaverunt, non verò, quo nascendo inficiuntur.

Explicantur Conclusionis singula puncta:

**1**um: reprobatio Angelorum fuit sine prævisione demeriti occasio tamen illius fuit defectibilitas liberi arbitrii.

**1**ma Pars Probatur: effectus reprobationis non est causa reprobationis; atqui permissio peccati fuit effectus reprobationis: finis enim intentus erat Angelos reprobos excludere à gloriâ ad ostensionem suæ justitiæ & misericordiæ in electis, ergo permissio non fuit ante reprobationem & consequenter neque prævisum peccatum ante reprobationem.

**2**da Pars Probatur: eandem habet occasionem reprobatio, quam habet permissio peccati; permissio autem peccati occasionem habuit ex defectibilitate arbitrii: permisit enim Deus aliquos cadere in culpam, ut in iis manifestaretur defectibilitas liberi arbitrii, & quia ista defectibilitas nusquam magis relucet, quam ubi maxima fuit arbitrii potestas, ut Deus ostenderet, quid valeat liberum arbitrium non adjutum, permisit illos cadere, qui erant maximè potentes tum ob naturæ sanitatem nullo eis interiùs concupiscentialiter resistente; tum ob plenitudinem sapientiæ & castissimum Dei amorem, in quibus conditi fuerant tam in naturalibus quam supernaturalibus.

Secundum: peccatum originale, quo omnes in Adam peccavimus, est causa reprobationis hominum.

Probatur **1**. Apost. ad Rom. 9. v. 13. exprimit reprobationem nomine odii; *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; Atqui Deus in homine nihil odit nisi

pec-

peccatum, causa autem odii ex quo reprobatur, non est peccatum actuale; ergo originale.

2. S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Et qui Evangelium non audierunt & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt & qui Evangelio audito venire ad Christum hoc est in eum credere noluerunt . . . & qui per atatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxâ sola possent Lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illâ conspergione discreti, quam constat esse damnatam euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Quibus in omnibus reprobis assignatur unica causa reprobationis vid. damnatio massæ, à quâ non fuerunt discreti euntibus omnibus in uno id est propter unius delictum, in quo omnes peccarunt, in condemnationem.

3. S. Th. Q. 6. de verit. a. 2. ad 9. dicit. *Electio Dei, quâ unum eligit & alium reprobatur, rationalis est, nec tamen oportet, quod ratio electionis sit meritum sed in ipsâ electione ratio est divina bonitas, ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale.*

4. Ratione: reprobatio negativa promotivo habet ostensionem justitiæ punitivæ & primus effectus reprobationis est pœna peccati, primum enim docet S. Th. hic Q. 23. a. 5. ad 3. *Sic igitur consideremus totum genus humanum sicut totam rerum universitatem, voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam representare bonitatem per modum misericordie parcendo & quantum ad aliquos, quos reprobatur, per modum justitiæ puniendo & hæc est ratio quare Deus quosdam reprobatur & hanc causam assignat Apostolus ad Rom 9. dicens volens Deus ostendere iram id est vindictam justitiæ*

Et notam facere potentiam suam sustinuit id est permisit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriâ, permissionem etiam primi peccati pœnam esse docet S. D. 2. 2. Q. 2. a. 5. ad 1. Quod quidem auxilium (ad evitandum peccatum) quibuscunque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur ex justitiâ non datur in pœnam præcedentis aut saltem originalis peccati ut Aug. dicit in lib. de corrept. & grat. Atqui in instanti reprobationis respectu omnium reproborum nihil aliud erat puniendum quam peccatum originale, neque enim prævidebantur personalia, quorum permissio est effectus reprobationis & quando permittitur primum peccatum, negatio auxilii non potest esse pœna peccati actualis; ergo peccatum originale est causa reprobationis & primi effectus reprobationis.

Ex quo sequitur notabilis distinctio inter reprobationem hominum & Angelorum 1. quod reprobatio hominum oriatur ex voluntate puniendi peccatum massæ, ex quo sequitur permissio peccati, quod est unicuique proprium, reprobatio autem Angelorum non oriatur ex voluntate puniendi nec sit actus justitiæ. 2. dō Quod primus effectus reprobationis in hominibus sit denegatio gratiæ liberantis à massâ damnationis sive juxta S. Th. derelictio in miseriâ, quæ denegatio sive derelictio fit in tempore per quamlibet permissionem cujuslibet peccati, cui denegatur gratia liberans, sive cui Deus non vult parcere: nam quantumcunque aliquis justificetur, si tamen permittatur cadere in culpam, cui Deus non vult parcere, non est à massâ damnationis liberatus, effectus autem primus reprobationis Angelorum est denegatio gratiæ tanquam beneficii indebiti.

Tertium: Peccatum originale, quo omnes nascendo inficimur, non est causa reprobationis hominum.

*Probat*ur: Peccatum originale, quo omnes nascendo inficimur, in aliquibus remittitur, in aliquibus non remittitur: in neutris est causa reprobationis negativæ; imprimis non in illis in quibus non remittitur: quia peccatum: cujus permissio est effectus reprobationis, illud non est causa reprobationis, quia illud non est ante reprobationem futurum; atqui permissio peccati originalis, in quibus illud non remittitur, est effectus reprobationis: quia permissio peccati æternâ pœnâ puniendi est effectus reprobationis negativæ: ideo enim permittit vel vult permittere Deus in reprobo peccatum æternâ pœnâ puniendum, quia illum exclusit à Regno Dei; atqui permissio peccati originalis in illo, cui illud nunquam remittitur, est permissio peccati æternâ pœnâ puniendi; ergo.

*Deinde*: peccatum originale remissum non est causa reprobationis: quia quod est causa reprobationis, non est etiam causa primi effectus reprobationis, sed peccatum originale remissum non est amplius punibile, puniretur autem, si in pœnam peccati originalis jam remissi permitteretur lapsus in peccatum æternâ pœnâ puniendum; esset in Baptizato aliquod debitum æternæ damnationis: siquidem esset debitum permissionis peccati æternâ pœnâ puniendi, quod repugnat Trid. sess. 5. Can. 5. de peccat. orig. definienti: nihil damnationis remanere in his, qui per Baptismum renovantur. Ex his.

*Colliges*: qualiter concilientur sententiæ oppositæ, dùm dicitur: quod peccatum originale, ut est infectio personæ, non sit causa reprobationis hominum, sit tamen causa ut est infectio naturæ: quia tam permissio peccati originalis ut est infectio personæ, quam denegatio gratiæ à peccato liberantis in illis, qui

propter originale damnantur, est pœna peccati originalis, quo in adam omnes peccavimus, in illis autem, qui propter peccata actualia damnantur, eorum permissio & denegatio gratiæ ab illis liberantis est pœna peccati originalis, quo omnes in adam peccavimus.

*Dices.* Ipsum peccatum actuale potest esse causa permissionis peccati: est enim prius permissione in genere causæ materialis.

*R.* N. ass. quia permissio peccati nihil est amplius quam denegatio gratiæ ad actum bonum, hæc autem dupliciter considerari potest 1. ut antecedens peccatum, quia si Deus præveniret voluntatem & illam determinaret, ipsa voluntas se non determinaret ad amorem creaturæ, & hæc denegatio antecedens est ipsa permissio peccati. 2. Negatio gratiæ prædeterminantis est concomitans peccatum: quia dum voluntas peccat determinando se ad amorem creaturæ, non prædeterminatur actu à Deo ad actum bonum & denegatio prædeterminationis hoc modo considerata non est permissio peccati sed à peccato causatur sicut ab obice & impedimento; licet igitur peccatum sit causa denegationis gratiæ concomitantis sive licet sit causa, quod voluntas non prædeterminetur ad actum bonum, non est tamen causa denegationis antecedentis, id est, non est causa, quod voluntas non fuerit prædeterminata ad actum bonum, antequam se voluntas determinaret ad amorem creaturæ.

*Obj.* 1. Peccatum originale est effectus reprobationis in illis, qui in peccato originali moriuntur: quia hi propter peccatum originale damnantur; ergo non est motivum reprobationis.

2. Distinguendo peccatum originale, in quantum est infectio personæ, est effectus reprobationis **Con.** in quantum est infectio naturæ N. hæc distinctio

distinctio

Distinctio sumitur ex littera S. Th. 3. P. Q. 8. A. 5. ad 1. dicendum, quod peccatum originale in Adam, quod est peccatum naturæ derivatum est à peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale, quia in eo persona corrumpit naturam, quâ corruptione mediante peccatum primi hominis derivatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam.

Obj. 2. S. Th. hic loc. in concl. cit. ponit: reprobationem esse actum providentiæ divinæ; atqui si esset pœna peccati originalis non esset actus providentiæ divinæ, sed divinæ justitiæ: punire enim pertinet ad divinam justitiam, omnia verò ordinare in finem suum ad divinam providentiam.

R. Reprobationem esse actum providentiæ formaliter & divinæ justitiæ materialiter: in quantum enim excludit Deus à regno cœlesti reprobos in pœnam peccati originalis inficientis naturam, est actus divinæ justitiæ, in quantum autem hunc actum divinæ justitiæ ordinat ad manifestandam suam justitiam & misericordiam, sic est actus providentiæ divinæ.

Obj. 3. S. Th. l. cit. ad 1. illa verba: Esau autem odio habui: explicat in sensu improprio, ita ut odium non significet propriè odium sed negationem boni sive beneficii; atqui si reprobatio esset in pœnam, essent intelligenda in sensu proprio: propriè enim peccatores Deus odio habet & ex hoc odio punit.

R. S. Th. loqui ibidem de reprobatione prout est communis ad reprobationem Angelorum & hominum: reprobatio enim Angelorum non est facta ex odio propriè dicto, at de reprobatione hominum in specie loquitur Lect. 5. super cap. 9. ad Rom. ubi odium in proprio sensu intelligit.

Obj. 4. S. Th. cit. Q. 23. A. 5. ad 3. &

alibi sæpius hominum reprobationem seu aliquorum à regno cœlesti exclusionem soli Dei beneplacito attribuit; ergo non est facta propter peccatum originale.

3. Tunc loqui S. D. de reprobatione respectiva ut seipsum explicat lect. 4. in cap. 9. ad Rom. circa electionem bonorum & reprobationem malorum duplex questio potest moveri, una quidem in generali, quare Deus velit quosdam indurare & quorundam misereri, alia vero in speciali, quare velit hujus misereri & hunc vel illum indurare. & potest quidem ratio hujus questionis assignari. Secunda autem questionis non potest assignari ratio nisi simplex Dei voluntas. ex dictis.

Colliges: licet Deus absolute potuisset homines reprobare & excludere à gloriâ tanquam beneficio indebito, convenientius tamen id dici factum propter peccatum originale totam massam generis humani inficiens. Primò quia id conformius doctrinæ S. Aug. & S. Th. Secundò quia prævisio & præscientia peccati originalis inficientis naturam fuit prior in mente divinâ prædestinatione Christi, & ideo ante prædestinationem hominum, & consequenter ante reproborum reprobationem, quæ fuit vel prædestinatione posterior vel simul cum illa, & ità, quia peccatum originale ponebat in hominibus indignitatem, reddebatque totum humanum genus exolum, sufficiens motivum Deo præbuit, ut voluerit propter illud aliquos à gloriâ excludere. Tertio si ità reprobatio explicetur resplendet major misericordia in prædestinatione, majorque justitia in reprobatione, dum illi à massa perditionis ex solâ misericordiâ extrahuntur, isti justè in illa massa relinquuntur & relucet magis ratio supremi domini, dum è duobus æqualibus in æquali damnatione existenti

istenti



ffertibus Deus vult uni dare gloriam & alterum excludere à gloriâ.

### QUÆSTIO III.

*Quinam sunt effectus reprobationis?*

**U**T aliquid sit effectus reprobationis etiam tria requiruntur. Primum quod sit à Deo, Secundò quod cum effectu conducat ad finem reprobationis exclusionem scilicet à regno cœlesti, Tertiò quod ex intentione talis finis sit à Deo volitum & ordinatum.

DICO, *Reprobatio non est causa ejus, quod est in presenti scilicet culpa, sed est causa derelictionis à Deo. Est tamen causa ejus, quod redditur in futuro scilicet pena eterna.* S. Th. hic Q. 23. A. 3. ad 2.

Explicatur & probatur adducendo singulos reprobationis effectus.

Primo permissio peccati originalis prout est infectio personæ & quatenus à reprobo per generationem contrahitur supposito, quod nunquam remittatur, est effectus reprobationis, ratio est: quidquid conducit ad finem reprobationis, est effectus illius, dummodo ab illâ producat & imperetur; atqui permissio peccati originalis prout est infectio personæ, si nunquam remittatur, conducit ad finem reprobationis videlicet exclusionem à regno cœlesti & sub tali ratione non est causa reprobationis, sed illam subsequens & ex fine reprobationis imperata, ergo sub tali ratione in illis, quibus peccatum originale non remittitur, est effectus reprobationis.

Secundò permissio peccati actualis per pœnitentiam non deleti est effectus reprobationis non tamen permissio illius, quod per pœnitentiam est deletum, Ratio est: quia prima permissio est à Deo, efficaciter conducens ad finem reprobationis, non autem

secunda ; cum remissa semel peccata per subsequen-  
tem culpam non redeant ut docetur in 3. P. Dis-  
putatione XXXII. de Sacram. pœnit.

*Dices.* potest hic remitti homini peccatum per  
Sacramentum pœnitentiæ quoad culpam, & ante  
pœnam solutam reincidere in peccatum cum finali  
impœnitentiâ, in tali casu peccatum illud remis-  
sum conducet ad finem reprobationis videlicet ad  
inflictionem pœnæ, quia in inferno propter pœ-  
nam non solutam peccati remissi quoad culpam pu-  
nietur gravius,

2. Vel finem reprobationis esse pœnam æternam,  
peccatum autem illud remissum quoad culpam non  
puniri pœnâ æternâ, ut videtur docere S. Th. in  
4. dist. 22. Q. 1. A. 1. ad 5. vel illud solum  
per accidens puniri pœnâ æternâ de quo 1. 2.  
Disput. XVII.

Tertiò derelictio, excæcatio. obduratio repro-  
bi sunt reprobationis effectus, ratio est: quia sunt  
denegatio gratiæ & consequenter sunt à Deo & de  
facto conducunt ad æternam damnationem & divi-  
næ justitiæ manifestationem, ergo habent quidquid  
requiritur ad effectum reprobationis.

Quartò materiale peccati non autem formale est  
effectus reprobationis.

Ratio primæ partis est: quia materiale causatur à  
Deo, & conducit ad finem reprobationis, & pro-  
ut sic causatur à Deo & ad ipsum sequitur, non qui-  
dem sequelâ physicâ & causalitatis, sed logicâ & il-  
lationis exclusio à gloriâ, ac proinde ex voluntate  
efficaci talis exclusionis procedit.

Ratio secundæ partis est: quia licet formale ad fi-  
nem reprobationis conducatur nempe exclusionem à  
gloriâ, quia tamen sub hac ratione non potest esse à  
Deo volitum nec causatum, nequit esse effectus re-  
probationis.

Quintò

Quintò æterna peccatoris damnatio est ultimus & præcipuus reprobationis effectus ratio est; sicut enim ultimus prædestinationis effectus est consecutio gloriæ, ità ultimus effectus reprobationis est exclusio à gloriâ & æterna damnatio unde S. Aug. lib. 15. de civit. Dei cap. 1. dicit *duas esse societates hominum quarum una est, que prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum supplicium subire cum Diabolo.*

Ultimò substantia reproborum non est effectus reprobationis. Ratio est: quia decretum reprobationis supponit decretum creationis, cum omnes prius fuerint prævisi in massa perditionis; deinde etsi admitteretur substantiam prædestinatorum esse effectum prædestinationis, eò quod gloria, quæ est finis prædestinationis perficiat substantiam prædestinati, non potest tamen idem dici de substantia reproborum: quia exclusio à regno non est finis perficiens substantiam reproborum, licet & ipsa exclusio à regno cælorum à Deo ordinetur ad bonum finem juxta illud Prov. 16. v. 4. *universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum, à quo nos omnes liberare dignetur Deus unus vivus & verus, qui est benedictus in sæcula.*

#### QUÆSTIO IV.

*An ex parte reprobi detur causa primi effectus reprobationis.*

**D**ICO. *Voluit Deus in hominibus... suam representare bonitatem... quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo & hac est ratio, quare Deus quosdam reprobat S. Th. hic Q. 23. A. 5. ad 3. sive primi effectus reprobationis ex parte reprobi nulla datur causa.*

Ex-

Explicatur: effectus reprobationis sunt primò permissio peccati sive negatio gratiæ, quâ denegatâ homo infallibiliter in peccatum incidit. Secundò mors hominis in peccato mortali existentis. Tertio æterna damnatio; primi hujus effectus ex parte reprobî causâ nulla esse potest: quia talis causâ foret peccatum; atqui permissio peccati omne peccatum antecedit; sicuti igitur in prædestinatione primum effectum prædestinationis videl. primam gratiam nullum meritum prædestinati antecedit, ita primum effectum reprobationis nullum demeritum personale tempore antecedit. *Dixi primò.* Nullum demeritum personale: quia in homine reprobo propter peccatum originale Deus gratiam denegare & consequenter peccatum permittere potest. *Dixi secundo tempore:* quia peccatum naturâ in genere causâ materialis denegationem gratiæ antecedit.

*Obj. 1.* Juxta Cõn. Trid. sess. 6. de justis, cap. 11. *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur?* atqui permissio peccati est Dei desertio, ergo permissio peccati ex parte peccantis causam habet.

2. Textus ille Trid. intelligi potest vel de gratiâ habituali, vel de gratiâ actuali, si intelligatur de gratiâ habituali, tunc sensus est: Deus à nemine justificato aufert gratiam sanctificantem, quin prius mortaliter peccando Deum deseruerit; si intelligatur de gratiâ actuali, sensus est: Deus nemini negat gratiam sufficientem aut etiam efficacem, nisi peccator ponendo impedimentum in ipso peccato Deum deserat; ut supra ex S. Th. deductum est.

*Obj. 2.* Ergo à libero arbitrio dependet habere gratiam sicut à libero arbitrio claudentis oculos sole illuminante dependet non videre solem & consequenter permissio peccati habet causam ex parte reprobî.

3. Hoc ipsum, quod aliquis non ponat obstaculum

luni

lum gratiæ datur per misericordiam Dei, ideoque quod à quibusdam non ponatur gratiæ obstaculum, hoc est ex misericordiâ Dei, quod autem à quibusdam ponatur obstaculum, hoc est ex justitiâ Dei permittentis peccatum, ergo permissionem peccati præcedit peccatum in genere causæ materialis, non autem in genere causæ efficientis,

## DISPUTATIO XIX.

*De mysterio sanctissime Trinitatis,*

**H**ucusque cum S. Th. secundum ordinem facultatis consideravimus Deum ut unum ejusque proprietates & actiones internas essentielles toti Ss. Trinitati communes, nunc considerandus Deus ut trius, de quo S. Th. incipit tractare Q. 27.

Mysterium Ss. Trinitatis, cui tota fides Christiana innititur, in hoc consistit, quod una indivisa & singularis essentia subsistat in tribus personis à se invicem realiter distinctis & reciprocè tres personæ: Pater, Filius & Spiritus sanctus; à se invicem realiter distinctæ sunt unius & ejusdem substantiæ. Mysterium hoc variè impugnarunt hæreses, quarum prima *Arriana* negavit filium æqualem & consubstantialem Patri, sed aliquando non fuisse, ideoque productum ex nihilo mutationis capacem, creaturam & opificium Dei, quo velut instrumento usus est Pater ad productionem aliarum creaturarum. Damnata est hæc hæresis primò in Con. Nicæno, quando Symbolo Apostolico præter alia addita particula: *consubstantialis*. Altera hæresis fuit *Sabelliana*, quæ omnem substantialem distinctionem personarum in divinis sustulit & verbum ac Spiritum sanctum nonnisi denominativè & accidentaliter secundum diversa officia & munia voluit à personâ Patris distingui. Tertia hæresis fuit *Macedo-*

donianorum, qui divinitatem Spiritûs sancti negârunt ; præter juratos hosce hostes Ss Trinitatis illam impugnant adhuc hodie Mahometani , qui cum Judæis & Arrianis filio Dei abnegant divinitatem Duce impiissimo Mahomete , qui suum alcoranum consultoribus uno Judæo , altero Monacho Arriano congeffit ex superstitionibus Judaicis & blasphemis Arrianis. Ecclesia Catholica fidem hanc de hoc mysterio expressit in symbolo Athanasii *ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur neque confundentes personas neque substantiam separantes*, licet autem mysterium hoc probari non possit ità ex veteri testamento uti ex novo ubi 1. Joan. 5. v. 7. clarè dicitur : *Tres sunt , qui testimonium dant in cælo Pater , verbum & Spiritus sanctus & hi tres unum sunt* , possunt tamen contrà Judæos etiam aliqua argumenta formari ex veteri testamento , uti ex illo Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* , ubi *faciamus* pluralitatem suppositorum, creantium distinctionem significat Genes. 18. v. 1. & sequ. *Apparuit Dominus Abraham. . . cumque elevasset oculos , apparuerunt ei tres viri stantes propè eum : quos cum vidisset , cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi , & adoravit in terram & dixit : Domine , si inveni gratiam in oculis tuis , in quem locum S. Aug lib. 3. cont maximinum cap. 26. *Tres videt & non dominos sed dominum appellat , quoniam Trinitas tres quidem personæ sunt , sed unus Dominus Deus. II. 6. v. 3. Seraphim clamabant alter ad alterum & dicebant : sanctus , sanctus , sanctus Dominus Deus exercituum.**

\* \*  
\*

QUÆS.

## QUÆSTIO I.

*An & quomodo mysterium sanctissima Trinitatis possit cognosci?*

**D**ICO. *Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire* S. Th. hic Q. 32. a. 1. in O.

Probatur: quamvis enim mysterium hoc non sit contrarium rationi naturali: cum impossibile sit, quod verum vero repugnet, est tamen supra omnem rationem naturalem, ideoque non potest aliquis ratione naturali per discursum vel evidentem vel positivè probabilem in notitiam Ss. Trinitatis pervenire, quod videtur ipse Christus expressisse Matth. 11. v. 27. *Nemo novit filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi filius & cui voluerit filius revelare.* cap. 16. v. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Possunt etiam adduci quædam congruentiæ quæ suppositâ fide mysterium hoc probabiliter persuadent: ut primò in ente perfectissimo debet esse societas & amicitia perfectissima; cum sint perfectiones simpliciter simplices, talis autem amicitia perfectissima non habetur, nisi sit substantialis personarum pluralitas. 2dò. Sicut in sole est lux & à luce oritur splendor & ab utroque procedit calor, sic Pater est lux, à quo filius splendor & ab utroque procedit Spiritus S. calor, 3tiò. In homine est intellectus & ab hoc voluntas & ab utrisque memoria.

*Obj. 1.* Implicat unum esse Trinum, unitatem esse trinitatem: Deus est unus & Deitas est unitas, ergo implicat Deum esse trinum, Deitatem esse Trinitatem.

*R.* Distinguendo maj. Implicat idem secundum idem esse unum & trinum Con. Secundum diversa N. Deus secundum essentiam est unus, secundum perso-

nas

nas est trinus, Deitas secundum prædicata absolute est unitas secundum prædicata respectiva & personalitates est trinitas.

*Obj. 2.* Myſterium Ss. Trinitatis repugnat principiis lumine naturæ nois: ut: quæ sunt eadem unitio sunt eadem inter se. 2dò de eodem secundum idem non possunt verificari duo contradictoria.

*ꝛ.* Principium primum solum verificatur in illis quæ sunt adæquatè idem cum uno tertio, quod in Myſterio præſenti non est, cum tres Personæ non sint idem adæquatè eum essentiâ divinâ, quia essentia divina est communicabilis tribus & non quidquid est essentia divina est Pater. Idè non valet Syllogismus; Pater est essentia divina, Filius est essentia divina, ergo Filius est Pater. Secundum principium tantum tenetur, dum verificantur contradictoria de eodem & realiter & virtualiter, omnia verò, de quibus in divinis verificantur contradictoria vel sunt realiter vel virtualiter diversa.

## QUÆSTIO II.

*An S quare processio verbi in divinis sit S processio Spiritus sancti non sit generatio?*

**S**uppono 1. Processio est emanatio vel origo unius ab alio tanquam principio producente, & si illa origo unius ab alio consideretur ex parte termini procedentis, dicitur processio passiva, si verò consideretur ex parte principii producentis, dicitur processio activa, quod si terminus productus sit extrâ producentem vocatur processio transiens ad extrâ, quomodo à Deo procedunt creaturæ transeunter ad extrâ, si verò terminus productus sit intrâ producentem, vocatur processio immanens & ad intrâ.

*Suppono 2.* Dantur in Deo reales processiones ut constat ex Symbolo Nicæno: *Deum de Deo lumen ac*



lumine, qui ex Patre filioque procedit & ex Symbolo Athanasii: *Filius à Patre solo est non factus nec creatus sed genitus, Spiritus sanctus à Patre & filio non factus nec creatus nec genitus sed procedens* Joan. 8. v. 24. *Ego ex Deo processi.* Joan. 16. v. 28. *Exivi à Patre & veni in mundum* Joan. 15. v. 26. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

*Suppono 3.* In divinis sunt duæ tantum processiones: quia sunt duæ tantum personæ procedentes videl. verbum & Spiritus sanctus ideoque sunt tantum duæ processiones, quarum una est actus intellectûs, qui affectus relatione paternitatis est dictio, & actus voluntatis, qui affectus relatione spiratoris est spiratio.

*Suppono 4.* Quod generatio prout est propria viventibus definitur: origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ, per quam definitionem explicantur omnes causæ generationis. 1<sup>mo</sup> explicatur causa effectiva origo viventis à vivente. 2<sup>do</sup>. Causa materialis vel quasi materialis à principio conjuncto. 3<sup>io</sup>. Causa finalis in similitudinem naturæ, quia finis generationis est propagatio naturæ in alio simili, unde actio generativa per se & ex proprio modo tendit ad similitudinem formandam in termino, quare ad rationem generationis non sufficit recipere naturam quomocunque, sed modo assimilativo, quâ de causâ Abel est filius Adam & Eva non est ejus filia, quamvis ex ejus costâ formata, licet enim utrique fuerit communicata natura humana, non tamen eodem modo, Abeli enim est communicata per actionem generativam & assimilativam, non verò tali actione Evæ est communicata natura humana. His suppositis

DICO. *Processio, qua attenditur secundum rationem intellectûs est secundum rationem similitudinis, & tantum potest habere rationem generationis: quia omne generans generat sibi simile, processio autem, quâ*

*attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis & moventis in aliquid, & ideo quod procedit in divinis per modum amoris non procedit ut genitum vel ut filius sed magis procedit ut Spiritus. S.D. hic Q. 27. a. 4. in O.*

Probatur vel explicatur conclusio: processio verbi & Spiritus sancti in his conveniunt: 1<sup>o</sup> Utraque est origo viventis à vivente & quidem ut tali: quia tam Filius quam Spiritus sanctus procedunt per actionem vitalem, Filius per intellectionem, Spiritus sanctus per spirationem. 2<sup>o</sup> procedunt à vivente conjuncto: quia tam verbum quam Spiritus sanctus sunt terminus actionis immanentis, quæ manet intrâ dicentem & spirantem in hoc autem differunt, quod verbum sit in similitudinem naturæ & non Spiritus sanctus: verbum enim ex vi & modo suæ processiois recipit naturam similem suo principio non autem Spiritus sanctus, illa enim est natura actionis intellectualis, ut similitudinem objecti producat; natura autem actionis voluntatis est, ut impulsum in objectum amatum producat. Ergo licet tam per processioem verbi, quam per processioem amoris communicetur naturæ: utraque enim est processio divina, ac proinde Deitatem communicat, tamen non communicatur natura ex vi & modo processiois nisi per processioem verbi, quia actio intellectus est per se assimilativa seu producens similitudinem in termino suo, sicut actio voluntatis est impulsiva seu producens pondus in objectum amatum, quia igitur actio intellectus ex propriâ differentiali ratione est assimilativa non autem actio voluntatis, actio productiva verbi est generativa, non autem actio productiva Spiritus sancti.

*Obj. 1.* Quod vi processiois accipit naturam divinam, procedit in similitudinem naturæ vi processiois,

&amp;

& consequenter procedit per generationem ; atqui Spiritus sanctus vi processionis suæ accipit naturam divinam : procedit enim ut Deus , & ut persona divina per se, non per accidens ; aliàs esset Deus per accidens ; ergo procedit per generationem.

**R.** Distinguendo mi. Spiritus sanctus accipit vi processionis naturam divinam identicè **Con.** Formaliter **N.** De ratione formali amoris est producere impulsum, non verò communicare naturam : quia autem, quidquid intrinsecè est in Deo, est Deus, hinc ille impulsus in Deo ratione subjecti exigentis, ut quidquid est in ipso, sit Deus, est natura divina ; at vero intellectio ex propriâ ratione intellectionis terminatur ad producendum simile sibi , adeoque perfectissima intellectio tendit ad perfectissimam similitudinem, ut docet S.Th. hic Q. 27. a. 1. ad 2. *Intellectus secundum hoc, quod actus intelligit, secundum hoc fit magis unum cum intellecto, unde, cum divinum intelligere sit in fine perfectionis, necesse est, quod verbum divinum sit perfectè unum cum eo, à quo procedit.*

**R. 2.** Spiritus sanctus procedit ut Deus & ut persona divina per actionem assimilativam **N.** Per actionem spirativam **Con.** Sic Eva processit ab Adamo, ut persona subsistens in natura humana, non tamen processit ut nata & genita : quia non fuit formata per actionem generativam ; & homo qui per artem procederet, non esset filius artificis : quia non procederet ut persona genita, sed ut artefacta.

**Obj. 2.** Spiritui sancto vi processionis communicatur existentia : cum productio terminetur ad esse ; sed existentia divina non distinguitur virtualiter à naturâ divinâ ; ergo vi processionis communicatur natura divina.

**R.** Distinguendo maj. Spiritui sancto communicatur existentia vi processionis ut conditio generalis requisita

ad omnem productionem Con. Tanquam terminus formalis amoris N. Sic calidum producit quidem existens, sed terminus formalis calefactionis non est existentia sed calor.

*Obj. 3.* Omne agens intendit producere sibi simile; ergo principium spirans per spirationem intendit producere sibi simile.

*R.* Distinguendo aut. Omne agens per actionem per se institutam & destinata à naturâ ad communicandam substantiam generantis intendit producere sibi simile Con. Omne agens per aliam actionem N. Actio, quæ in Deo ex suâ ratione formali est communicativa naturæ & assimilativa, est intellectio, non amor qui est tantum impulsivus & communicat quidem naturam sed ut spiratam non ut genitam vel habitam modo assimilativo, quod requiritur ad generationem, unde Spiritus sanctus non habet eandem naturam cum spirante, nisi identicè.

### Q U Æ S T I O III.

*An 3 quot relationes dentur in Deo?*

**S**upponitur Ex Philosophia: 1. relatio est respectus, quo unum respicit aliud, relatio rationis est respectus, quem noster intellectus adinvenit in rebus, quæ ad invicem à parte rei non referuntur. Relatio realis est respectus, quo unum à parte rei respicit aliud. 2. relatio realis alia est prædicamentalis, alia transcendentalis; prædicamentalis est respectus realis, quo aliquid respicit aliud ut terminum purè sibi coexistentem; relatio transcendentalis est respectus, quo unum respicit aliud, ut causam, ut effectum, ut objectum. 3. In relatione prædicamentali duæ distinguuntur rationes, ratio in & ratio ad; secundum rationem *in* relatio respicit subjectum, in quo est, quod est commune omnibus accidentibus, quæ sunt entis

entia

entia vel entia inhærentia subjecto, ratio ad est distinctiva relationis ab aliis accidentibus: quia per hoc distinguitur à quantitate, qualitate, quod relatio referat subjectum ad aliud. 4. Ad relationem realem requiruntur quatuor conditiones: prima est, quod subjectum, cui inhæret relatio, sit reale realiter existens. Secunda, quod ratio fundandi sit realis & distincta in extremis. Tertia, quod terminus sit realis & realiter existens. 4ta, Quod sit distinctio realis inter extrema.

DICO 1. *Relationes quadam sunt in divinis realiter* S. Th hic Q. 28. a. 1. O.

Ità est definitum contrà hæreticos: contrà Arrium, qui filium volebat esse creaturam; contrà Macedonium, qui Spiritum Sanctum negabat esse Deum, contrà Sabellium, qui negabat distinctionem realem personarum: quia in divinis sunt personæ realiter distinctæ, quarum una est Pater, una Filius, alia Spiritus sanctus, quæ distinctio fit per relationes reales: Pater enim dicitur à paternitate, quæ si non sit realis, non est realis Pater, & ità relativa oppositio est unicum fundamentum distinctionis personarum, juxtà illud Theologorum proloquium: in Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.

DICO 2. *Relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo non extrà sed intrà, hujusmodi autem processiones sunt dua tantum. . . Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis à principio, & alia ipsius principii* S. Th. hic Q. 28. a. 4. O.

Explicatur Conclusio, quæ probationem involvit: imprimis sunt in divinis 4. relationes: paternitas, quâ Pater respicit filium, filiatio, quâ filius respicit Patrem, spiratio, quâ Pater & Filius respicit Spiritum san-

T 3

ctum

ctum, & processio, quâ Spiritus sanctus respicit Patrem & filium: quia sunt in Deo duæ processiones, ergo quatuor relationes: quia quælibet processio fundat duas relationes, unam quâ producens respicit, & distinguitur à producto, & econtrâ productum respicit & distinguitur à producente; quod autem in Deo duæ tantum dentur processiones. Ratio est: quia in Deo sunt duæ actiones immanentes videl. intelligere & velle, adeoque duæ processiones per intellectum & voluntatem; quod autem non sint plures relationes in divinis quam quatuor, ratio est: quia relationes in divinis non possunt fundari nisi in actione & passione: tria enim sunt genera fundamentorum seu rationum fundandi relationem prædicamentalem: Primum est unitas & numerus. Secundum actio & passio, Tertium mensura & mensurabile; duo autem illa genera primum & tertium involvunt imperfectionem; nam primum est aliquid absolutum distinctum saltem numero in utroque extremo, in divinis autem absolutis nulla est distinctio realis; Tertium genus supponit extrema esse diversi ordinis, quorum unum sit mensura alterius, quod etiam in divinis non reperitur, ubi omnia sunt supremi ordinis; ergo in divinis tantum datur secundum genus: actio & passio sive productio aut processio activa per intellectum, processio passiva per intellectum, processio activa per voluntatem, processio passiva per voluntatem, quibus quatuor relationes correspondent.

*Obj. I.* Præter assignatas relationes datur in divinis relatio identitatis & similitudinis in naturâ: licet enim sit eadem natura in tribus personis, est tamen diversimodè modificata per substantias personales, quod videtur sufficere ad relationem realem; sic etiam est relatio similitudinis inter speciem intelligibilem & objectum repræsentatum, licet sit eadem natura in utroque, sed

sed diverso modo, in objecto representato modo naturali, in specie modo intelligibili.

R. Negando ant. ad cujus probationem dicitur: quod personalitates modificantes naturam sint extrâ naturam, & idè non sufficiunt, ut fundent relationem realem similitudinis vel identitatis naturæ.

Obj. 2. Una relatio in divinis potest esse fundamentum alterius; ergo possunt dari plures relationes; probatur antecedens: relatio spirationis activæ fundatur in paternitate & filiatione. Ergo.

R. Neg. ant. & ejus probat: quia relatio spirationis activæ fundatur non in paternitate & filiatione, sed in actione spirativâ, ad quam prærequiruntur necessariò ut conditiones paternitas & filiatio utpote constitutivæ personarum Patris & Filii Spirantium.

#### Q U Æ S T I O I V.

*Quomodo relationes distinguantur inter se & ab essentiâ?*

**D**ICO I. *Cum in Deo realiter sit relatio ... oportet quod realiter sit ibi oppositio; relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem, S. Th. hic Q. 28. a. 3. O. Sive paternitas, filiatio & processio distinguuntur realiter.*

*Probatur Ratione, quam conclusio includit: quæ dicunt mutuam oppositionem relativam, inter se realiter distinguuntur: quia oppositio relativa in sui ratione includit realem distinctionem: ex oppositis enim relativis unum non potest esse aliud; atqui paternitas, filiatio & processio opponuntur relativè. Probatur mi. quæ se mutuò respiciunt, relativè opponuntur; atqui hæ relationes se mutuò respiciunt, & quidem paternitas immediatè filiationem & paternitas & filiatio immediatè processionem & processio immediatè spirationem;*

nem; ergo paternitas, filiatio, processio distinguuntur ab invicem realiter, sicut & spiratio à processione.

*Obj. 1.* Si relationes inter se distinguantur realiter, potest formari syllogismus bonus, in quo antecedens sit verum & consequens falsum: hæc essentia est Pater, hæc essentia est Filius; ergo Filius est Pater.

*R.* Syllogismum bonum non esse: cum medium vid. essentia non sit terminus perfectè singularis, sed habeat aliquid termini communis, in quantum est communis communitate rei pluribus suppositis; debet igitur terminus ille sumi distributivè hoc modo: hæc essentia prout est in tribus personis est Pater, hæc essentia prout est in tribus personis est Filius; ergo Filius est Pater; vel ità: omnis essentia quæ est res divina est Pater, Filius est hæc essentia quæ est res divina; ergo Filius est Pater. Et tunc apparet falsitas præmissarum.

*Obj. 2.* Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; atqui relationes sunt idem cum tertio videl. essentiâ divinâ; ergo sunt eadem inter se.

*R. 1.* Cum S. Th. hic loc. cit. ad 1. principium illud intelligendum esse de iis, quæ sunt idem tertio re & ratione, non autem semper in his, quæ differunt ratione; illa autem sunt idem tertio re & ratione, quæ ità sunt idem tertio, ut inter se non habeant rationes oppositas, quarum una excludit aliam, sicut se excludunt paternitas & filiatio: quia realis identificatio duorum extremorum cum tertio, sicut non destruit rationes formales illorum, ità nec formalem eorum distinctionem.

*R. 2.* Principium illud intelligendum esse, quando aliqua sunt eadem cum tertio adæquatè & convertibiliter, non tamen quando sunt eadem cum illo inadæquatè & non convertibiliter, ut in præsentī contingit: Paternitas enim non est adæquatè idem cum divinâ essentiâ, nec convertitur cum illâ, quamvis econtra essentia idem.



identificet sibi adæquatè quamlibet ex relationibus, unde licet valeat in divinis: hæc realitas est paternitas; ergo est essentia divina, non tamen econtra; hæc realitas est essentia divina; ergo est paternitas: siquidem realitas filiationis est essentia divina, non tamen est paternitas.

**DICO 2.** *Cum sola oppositio relativa faciat pluralitatem realem in divinis, plures proprietates unius personæ, cum non opponantur ad invicem relativè, non differunt realiter.* S. Th. hic Q. 32. a. 3. ad 3. Sive spiratio activa non distinguitur realiter aut ex naturâ rei vel secluso intellectu à paternitate & filiatione, sed tantum virtualiter. Est communior contrâ scholam Scoti.

**1<sup>a</sup> Pars Probatur 1.** Ex cap. damnamus de Sum. Trin. ubi damnatur, quod sint in Deo quatuor res, si autem spiratio activa realiter distingueretur à paternitate & filiatione, tunc deberent dari in divinis quatuor res: nimirum tres relationes personales, & ipsa spiratio activa, quæ ab omnibus illis realiter distinguitur.

**Probatur 2.** Si spiratio activa distinguitur realiter à paternitate & filiatione, distinguetur etiam realiter à Patre & Filio; cum Pater & Filius sint paternitas & filiatio subsistens, & cum ipsa spiratio activa sit etiam relatio subsistens distincta à Spiritu Sancto, cui relativè opponitur, consequenter dabuntur quatuor personæ.

**Probatur 3.** Ratione conclusionis: juxta principium commune definitum in Con. florent. In divinis omnia sunt unum, ubi non occurrit oppositio relativa; atqui spiratio activa non opponitur relativè paternitati & filiationi; ergo non distinguitur actualiter à paternitate & filiatione; sic schola S. Thomæ cum Ang. Doct. probat Spiritum Sanctum non distingui realiter à Filio, si non ab eò procederet, & ita esset eadem re-

latio filiationis & processiois ; quia non haberent oppositionem relativam.

*2da Pars Probatur* : Relationes paternitatis & spirationis activæ respiciunt terminos specie distinctos ; ergo distinguuntur virtualiter ; summa enim eminentia, quæ reperitur in objectis divinis, est fundamentum intellectui creato, ut actu distinguat, quæ sunt realiter idem in Deo, quæ tamen in se dicuntur distincta virtualiter, inquantum plures rationes formales pertinentes ad diversas lineas & in creaturis distinctæ in Deo realiter identificantur, & hoc modo distinguitur spiratio à paternitate & filiatione.

*Obj. 1.* Eadem relatio realis non potest terminari ad duos terminos totales realiter distinctos nullo intellectu cogitante ; quia relationes accipiunt suam specificationem & distinctionem à terminis totalibus ; atqui relatio paternitatis terminatur ad filiationem tanquam terminam totalem, & relatio spirationis ad processioem realiter distinctam à filiatione ; ergo.

*R.* Distinguendo maj. eadem relatio creata non potest terminari ad duos terminos totales Con. eadem relatio divina N. ratio disparitatis est ; quia relationes creatæ distinguuntur realiter non solum ex oppositione, sed etiam ex limitatione propriâ, ratione cujus non possunt terminari ad diversos specie terminos totales, ac esse in duplici specie ; relationes autem divinæ distinguuntur realiter ex solâ oppositione, & quia sunt infinitæ ob summam eminentiam communem omnibus formalitatibus divinis, pertinent ad plures quasi species, ex quo non inferitur major distinctio, quam virtualis.

*Obj. 2.* In divinis juxtâ omnes dantur quatuor relationes reales ; ergo illæ distinguuntur inter se, aliàs etiam non essent quatuor reales.

*R.* N. consequentiam vel distinguendo ant. dan-

tur

tur quatuor relationes reales, ita ut <sup>quatuor</sup> cadat ad relationes Con. ut cadat ad reales N. ad hoc ut dentur quatuor relationes, sufficit, quod tres illarum inter se distinguantur, & quarta scilicet spiratio distinguatur realiter ab unâ ex illis tribus, unde in Deo verè sunt quatuor relationes, non autem quatuor res relativæ: quia *ly res* absolutè sumptum potius denotat subjectum relationis, quam ipsam relationem.

*Obj. 3.* S. Th. hic. Q. 32. A. 3. ad 3. negat paternitatem & spirationem posse de se invicem prædicari; ergo non sunt realiter idem.

R. Non possunt invicem prædicari prædicatione formali Con. prædicatione materiali & identicâ N. sicut enim non possum dicere: attributum justitiæ est attributum misericordiæ: ita neque relatio paternitatis est relatio spirationis: bene tamen: misericordia est justitia: paternitas est spiratio.

*Obj. 4.* Relatio producentis realiter distinguitur à relatione producti: atqui relatio spirationis est relatio producentis, relatio filiationis est relatio producti; ergo spiratio distinguitur realiter à processione.

R. Distinguendo maj. relatio producentis realiter distinguitur à relatione producti respectu ejusdem productionis Con. sic filiatio non est paternitas, spiratio non est processio. Respectu diversarum productionum N. quia tunc illæ relationes producentis & per aliam relationem producti non habent oppositionem, & consequenter nec distinctionem.

*Obj. 5.* Sic se habet spirare ad generare, sicut spirari ad generari: quia sicut activum est ratio fundandi relationis producentis, sic passivum est ratio fundandi relationis in producto; atqui generari & spirari

spirari fundant distinctas realiter relationes ; ergo & generare & spirare.

R. N. maj. si sic debeat dicere omnem paritatem ; quia eadem persona potest habere duas actiones specie suo modo diversas ; sic generare & spirare conveniunt Patri, duæ verò processiones non possunt terminari ad eandem personam, si inter se habeant ordinem originis, qualem habent generari & spirari, & sic duæ actiones, uti non multiplicant personas in divinis, sic nec multiplicant realiter relationes, duæ processiones autem, uti multiplicant personas, ita multiplicant realiter relationes.

DICO. *In Deo non est aliud esse relationis & essentia, sed unum & idem* S. Th. hic Q. 28. A. 2. O.

Probatur conclusio 1. contrà Gilbertum Porretanum damnatum à Con. Rhemenfi sub Eugenio II. tempore S. Bernardi & Abbatem Joachim damnatum à Con. Latteran. sub Innoc. III. ut referatur in cap. damnamus de Sum. Trin. qui admittebant in divinis distinctionem realem inter relationes & essentiam : Non datur in Deo quaternitas ; atqui si relationes distinguerentur realiter ab essentia, daretur in Deo quaternitas videlicet darentur tres relationes realiter distinctæ, & præter has divina essentia à relationibus realiter distincta.

Deinde quod non est à parte rei essentia divina, non est à parte rei Deus ; atqui quod non est Deus, est creatura ; ergo relationes, si non essent à parte rei Deus, forent creaturæ, & consequenter res ab alio, quæ omnia sunt absurda ; quia omnia, quæ sunt in Deo, sunt Deus & veluti Deus sunt adoranda, uti facit Ecclesia in præfat. de SS: Trin. ut in personis proprietas, & in essentiâ unitas, & in Majestate adoretur æqualitas.

Probatur 2. contrà Scotum, qui admittit inter rela-

relationes & essentiam divinam distinctionem mediam ; relatio divina est ipsa essentia divina ; quia est ipsa substantia Dei ; nam quod in creaturis est accidens , in Deo est divina substantia ; ergo relatio non distinguitur ab essentiâ ex naturâ rei. Deinde persona divina constat ex relatione & essentiâ Dei, & est simplicissima ; ergo essentia non distinguitur à relatione : quod enim constat pluribus distinctis , non est simplicissimum , sed est quid compositum , cum compositio sit distinctorū unio. Demum : si relatio non est idem à parte rei cum essentiâ divinâ non est Deus : quia Deus est idem cum essentiâ divinâ propter summam simplicitatem , quæ in divinis reperitur.

*Obj. 1.* De eadem formalitate à parte rei & secluso intellectu non possunt verificari duo contradictoria ; atqui si relatio à parte rei secluso intellectu esset eadem formalitas cum essentia divina , jam de eodem nemine cogitante formarentur duo contradictoria : essentia enim divina à parte rei est communicabilis , personalitas à parte rei est incommunicabilis : essentia divina est in filio , paternitas non est in filio ; essentia divina præciso intellectu est entitas absoluta , relatio præciso intellectu non est absolutum quid , sed est entitas relativa ; implicat autem , quod duo contradictoria actu & secluso intellectu prædicentur de aliquo absque distinctione aliqua actuali.

*82.* Distinguendo maj. de eadem formalitate , quæ sit virtualiter multiplex , à parte rei non possunt verificari duo contradictoria N. quæ non sit virtualiter multiplex Con. sufficit enim distinctio virtualis ad hoc , ut de aliquo verificentur prædicata contradictoria ; quia eo ipso talia prædicata non prædicantur formalissimè de uno & eodem , ut est unum & idem ; quare cum relatio & essentia divina distinguantur

quantur virtualiter, sive actualiter per intellectum cum fundamento in re, poterunt de illis prædicata contradictoria verificari.

*Obj. 2.* Quamvis in Deo virtualiter distinguatur justitia à misericordia, tamen non potest communicari misericordia sine justitia; cum sint realiter idem; ergo si essentia possit communicari, non communicata paternitate, erit plus quam distinctio virtualis.

*R. N.* consequentiam: distinctio virtualis vel eminentia divinæ essentiæ in se conjungens & uniens formalitates ad diversas lineas spectantes, salvat semper naturas rerum, quas identificat; cum igitur non repugnet rationi justitiæ, ut communicetur, sicuti omnia absoluta sunt communicabilia, hinc non potest misericordia communicari, quin communicetur justitia; de ratione autem suppositi vel relationis est, quod sit incommunicabile, hinc hoc ipso quod essentia divina æquivalet absoluto & relativo, est communicabilis in quantum æquivalet absoluto, & incommunicabilis in quantum æquivalet relativo.

*Obj. 3.* Prædicata realiter contradictoria, quæ rei actu conveniunt ante intellectum, requirunt realem distinctionem: cum enim idem non possit simul esse & non esse, quæ sunt contradictoria, debet in illa inveniri aliqua distinctio realis; atqui communicari & non communicari, produci & non produci sunt ejusmodi prædicata, quæ independentes à nostro intellectu actu dantur in divinis; nam nemine cogitante est fidei veritas, quod essentia communicetur, paternitas non communicetur; filius producat, essentia non producat; ergo requirunt realem distinctionem.

*R.* Negando mi, nam actu à parte rei, priusquam noster intellectus præcisivo & inadæquato conceptu distinctiones formet inter essentiam & personalita-

nalitates, datur quidem fundamentum reale ipsius contradictionis, quod est divina essentia quatenus continens absolutam perfectionem naturæ se communicans & quatenus continens formam relativam paternitatis filium respiciens eumque produciens, nondum tamen datur negatio non productionis, non communicationis : hæc quippe primò superadditur ab intellectu creato unam rationem ab altera præscindente & mutuo opponente.

*Obj.* 4. Hic modus per distinctionem virtuales salvari contradictoria explicat idem per idem, ac manifestè petit principium plus involvendo quam extricando & explicando difficultatem : si enim quæram : quare in divinis non sint contradictoria ? responderetur : quia est distinctio virtualis, Quare est distinctio virtualis ? responderetur : quia idem æquivaleret pluribus perfectionibus sibi oppositis.

¶ Non peti principium, sed clarè dici, quod hæc sit ratio ultimè salvandi contradictoria : quia divinæ actualitatis eminentia formaliter continet omnes perfectiones simpliciter simplices, hinc præstat omnes denominationes illarum unitim in intellectu vidente divinam essentiam ut in se est, divisim verò in intellectu divisim & diminutim illas cognoscente, unde prout substatur ejusmodi inadæquatis conceptibus, recipere debet contradictoria, non autem prout substatur intuitivæ cognitioni ; & ità iterum : quia actus purus & ens infinitum debet sibi identificare omnem lineam entis non involventis imperfectionem, consequenter debet sibi identificare omnem formam tam absolutam quam relativam, atque etiam propria illarum formarum ; atqui proprium est formæ absolutæ simpliciter simplicis per se non excludere aliam formam & perfectionem simpliciter simplicem æque perfectam, proprium verò formæ  
relati-

relativæ est excludere à sua identitate relationem sibi terminativè & relativè oppositam, ex quibus sequitur: esse in Deo summam identitatem omnium personarum in prædicatis absolutis, esse verò distinctionem in prædicatis relativis inter se.

*Obj. 5.* Filio à parte rei secluso intellectu communicatur essentia; atqui filio à parte rei non communicatur paternitas; ergo essentia à parte rei secluso intellectu non est paternitas.

*R.* Distinguendo maj. filio à parte rei secluso intellectu communicatur essentia prout æquivalet absoluto Con. prout æquivalet relativo N. atqui filio non communicatur paternitas Con. mi. ergo essentia à parte rei secluso intellectu prout æquivalet absoluto non est paternitas Con. ergo essentia à parte rei æquivalens absoluto & relativo non est paternitas N. ubi vides esse meram æquivocationem; cum enim à parte rei essentia sit idem cum absoluto & relativo, dum dicimus illam communicari & non communicari, non sumimus illam adæquatè sed prout nos diversas rationes à parte rei in tanta eminentia identificatas distinguimus.

*Obj. 6.* Quod non identificatur adæquatè à parte rei secluso intellectu cum essentia, hoc debet à parte rei esse aliquo modo distinctum ab essentia; atqui filiatio à parte rei secluso intellectu non identificatur adæquatè cum essentia; ergo à parte rei secluso intellectu est distincta ab essentia. Probatur mi. quod à parte rei est adæquatè idem cum essentia, hoc est à parte rei idem cum omni illo, quod est essentia; atqui filiatio non est à parte rei idem cum omni illo, quod est essentia: quia essentia à parte rei est paternitas, filiatio non est paternitas.

*R.* Æquivocationem esse in termino; *adequate*: qui si intelligatur hoc modo: quod non est idem cum



cum omni illo, quod dicit essentia sub conceptu essentia, tunc minor est falsa, quia filiatio est idem cum omni illo, quod dicit essentia sub conceptu essentia, si autem *adaquatè* intelligatur hoc modo: quod non est idem cum omni illo, quod est idem cum essentia; tunc major est distinguenda; quod non est à parte rei *adaquatè* idem cum essentia, hoc distinguitur ab essentia id est; ab aliquo, quod est idem cum essentia Con. ab omni illo quod est idem cum essentia N. atqui filiatio distinguitur & quidem realiter ab aliquo, quod est idem cum essentia videlicet à paternitate.

*Obj. 7.* Filius distinguitur realiter secluso intellectu à Patre; atqui non realitate essentia; ergo realitate relationis; ergo realitas essentia non est realitas relationis.

*R.* Distinguendo *mi.* non differt realitate essentia, ut essentia distinguitur virtualiter à filiatione & dicit essentiam sub conceptu essentia sive quoad prædicata absoluta Con. ut realitas essentia dicit filiationem N. solutio patet ex dictis.

*DICO. 4.* *Relatio realiter existens in Deo est idem essentia secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentiam rationem* S. Th. loc. cit. sive relationes ab essentia distinguuntur ratione ratiocinatâ. Conclusio est clara ex præcedentibus: si enim à parte rei distinguantur virtualiter, possunt per intellectum distingui ratione ratiocinatâ

*Q.* An relationes in divinis dicant perfectiones?

*R. 1.* Relationes divinae completè & *adaquatè* conceptæ tam secundum esse *in* quam secundum esse *ad* dicunt infinitam perfectionem. Ratio est: quia esse *in* divinarum relationum est esse earundem substantiale infinitè perfectum, quod per modum transcendentis esse divinum includit; distinctio quippe,

*Pars I. Theol. Schol.*

V

quæ

quæ est inter relationes & essentiam, non est exclusivæ & exclusivæ, sed includentis & inclusivæ, ergo divinæ relationes, si adæquatè sumantur, dicunt infinitam perfectionem & eandem, quam dicit essentia per modum transcendentis in illis inclusa.

R. 2. Divinæ relationes secundum rationem *ad* vel prout respiciunt terminum, nullam dicunt perfectionem. Primò quia relatio in communi secundum rationem *ad* nullam dicit perfectionem, perfectum enim dicitur vel per actum existendi vel saltem per habitudinem ad actum existendi, sed relatio præcisè secundum rationem *ad* neque dicit ullum actum existendi nec habitudinem ad actum existendi, sed meram habitudinem ad terminum. Secundò quia omnis perfectio divina est simpliciter simplex & infinita; atqui relatio secundum rationem *ad* non est simpliciter simplex & infinita: quia perfectio infinita & simpliciter simplex non excludit actu positivè aliquam perfectionem, sed in se continet omnem perfectionem; atqui relatio v. g. paternitatis secundum esse *ad* respectivum non includit filiationem, sed eidem opponitur, & eam excludit, quæ juxtà sententiam oppositam est perfectio æqualis paternitati. Tertiò ut una divina persona non habeat aliquam perfectionem, quam habet alia: cum omnes sint infinitè perfectæ; atqui si relatio secundum rationem *ad* sit perfectio, Pater non habet perfectionem, quam habet Filius; Pater & Filius esset perfectior quam Spiritus Sanctus, Pater & Filius non essent æquales: quia non haberent easdem perfectiones, imò Pater non esset Deus, quia non haberet omnem perfectionem; ergo relationes secundum esse respectivum non dicunt perfectionem. Quartò si divinæ relationes formaliter dicerent & adderent perfectionem suprâ perfectio-

nem

nem essentia, darentur actu in Deo plures realiter & formaliter perfectiones: quia quæ competunt divinis relationibus ex formali & differentiali ratione suæ lineæ, illa multiplicantur in divinis: cum in illis sibi opponantur; atqui in Deo non dantur plures perfectiones realiter distinctæ: quia in Deo non dantur tres bonitates, tres magnitudines &c. Alias darentur tres boni, tres perfecti &c. Substantivè contrà Symbolum S. Athanasii.

*Obj. 1.* Plura loca SS. PP. in quibus in ipsis personis videntur admittere propriam perfectionem.

*R.* Illa explicari posse, quod personalitates vel personæ includant simpliciter perfectionem essentia; non autem in quantum sunt relativæ simpliciter.

*Obj. 2.* Mysterium SS. Trinitatis dicit summam perfectionem; sed illud consistit in hoc, quod tres personæ, quæ constituuntur per relationes, communicent eandem perfectionem essentia; ergo non tantum ipsa essentia, quæ communicatur, dicit perfectionem, sed etiam relationes, quibus constituuntur personæ, quæ communicant essentiam: quia si esset una essentia; & non essent tres personæ, non esset mysterium Trinitatis & consequenter tanta perfectio.

*R.* Distinguendo maj. mysterium SS. Trinitatis dicit summam perfectionem se tenentem ex parte naturæ divinæ quæ tribus personis communicatur Con. proveniente à relationibus divinis, quæ sunt termini divinæ communicationis & fecunditatis N. tota enim perfectio, quæ est in mysterio SS. Trinitatis, se tenet ex parte naturæ, quæ infinite perficit personas divinas, non verò ex parte relationum, quæ sunt puri respectus ad terminum & correlativum.

*Obj. 3.* Si in Deo non essent relationes, Deus non esset perfectus; ergo relationes pertinent ad perfectionem Dei, ergo sunt perfectiones.

*R. 1.* N. ultimam sequelam: quia potest aliquid pertinere ad perfectionem Dei, & tamen ex sua linea non esse perfectio.

*R. 2.* Distinguendo consequens: ergo sunt perfectiones Dei arguitivè Con. formaliter N. quia licet relationes divinæ nullam dicant perfectionem, arguunt tamen & indicant summam perfectionem in illo, infinitatem scilicet & fecunditatem, & sicut ex possibilitatis defectu respectu creaturarum argueretur in Deo imperfectio à posteriori, sic ex hoc, quod in Deo non daretur relatio, argueretur in Deo imperfectio videlicet infœcunditas.

*Obj. 4.* Filiatio, in quantum dicit rationem respectivam, est filiatio, ut distinguitur ab aliis relationibus divinis; atqui filiatio prout distinguitur ab aliis relationibus divinis, dicit perfectionem; ergo. Probatur mi. sic terminat naturam humanam Christi eamque perficit terminando, facit ipsam sanctam sanctitate substantiali, dignificat actiones Christi &c. quos effectus ut talis præstare non posset, si in se ut talis non esset perfecta.

*R.* Filiationem vel substantiam verbi, ut terminat naturam humanam, illam sanctificare præcisè in quantum dicit rationem ad N. quia simul imbibit & involvit implicitè essentiam divinam vel rationem in Con.



DISPUTATIO XX.

de personis divinis.

QUÆSTIO I.

An & quot personæ & quomodo reperiantur in divinis?

**S**uppono : Boëtius definit personam : rationalis naturæ individua substantia , quam definitionem communiter admittunt Theologi, si per ly *individua* intelligatur incommunicabilis, alias etiam anima rationalis vel humanitas Christi præcisa à supposito verbi & divinitas præintellecta relationibus essent personæ, persona igitur, est natura rationalis completa singularis & incommunicabilis. hoc supposito.

DICO. 1. *Conveniens est, ut hoc nomen, persona, de Deo dicatur, non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis : sed excellentiori modo S. Th. hic Q. 29. A. 3. O.*

Probat : in quo est res significata per nomen *Persona*, videl. in naturâ intellectuâli incommunicabiliter subsistens, de eo convenienter hoc nomen dicitur ; atqui in Deo est res significata per nomen *Persona* : cum sit perfectissima substantia, & quidquid perfectionis reperitur in creaturis ipse modo excellentiori contineat.

DICO. 2. *neccesse est ponere tantum tres personas in divinis. S. Th. hic. Q. 30. A. 2. O.*

Probat : Tot sunt personæ, quot sunt oppositiones relativæ, tot sunt oppositiones relativæ, quot sunt, qui referuntur ; atqui tres in divinis referuntur, Pater refertur ad Filium, Pater & Filius referuntur ad Spiritum Sanctum ; ergo tres solum sunt personæ, quod magis constabit ex sequentibus.

V 3

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

*De constitutivo & distinctivo personarum.*

**S**uppono : Ex hæcenus dictis : quod relatio divina non sit accidens inhærens subjecto, sed sit identificata cum substantiâ divinâ, ideoque ex vi propriæ lineæ sit quid substantiale & subsistens, quare Theologi cum S. Th. hic Q. 40. A. 4, in relationibus divinis ; ut in paternitate, duos conceptus seu duo munia inadæquata distinguunt scilicet formæ referentis sive puri respectus ad terminum, & formæ hypostaticæ subsistentis id est, ut loquitur S. Th. *proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter : uno modo, ut est relatio, & sic secundum intellectum præsupponit actum notionalem ; quia relatio in quantum huiusmodi fundatur super actum ; alio modo, secundum quod est constitutiva personæ, & sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut personæ agens præintelligitur actioni.* Hoc supposito.

**DICO :** *Plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter distinctæ* S. D. hic Q. 30. A. 2. in O.

Probatur : personæ divinæ distinguuntur per aliquid reale : nam cum personæ divinæ realiter distinguantur independenter à ratione, etiam illud per quod distinguuntur inter se, debet esse aliquid reale, per quod autem realiter distinguuntur, etiam constituuntur, idem est constitutivum, quod est distinctivum ; atqui ex illis rationibus, quæ inveniuntur in personæ, nulla potest esse constitutiva personæ, nisi sola relatio : illæ enim rationes, quæ inveniuntur in personis divinis sunt vel ipsa personæ  
secundum

secundum se totam spectata, vel secundum aliquid absolutum & commune tribus personis, vel secundum aliquid notionale, quod iterum est vel processio vel relatio; atqui ex omnibus illis nihil potest esse constitutum personæ, quam relatio, non enim personæ possunt constitui in ratione personæ per seipsas totas; quia per hoc constituuntur in ratione hujus personæ, per quod distinguuntur ab aliis personis, personæ autem divinæ non distinguuntur se totis; aliàs etiam differrent in essentia in quâ tamen conveniunt; deinde illud, per quod constituitur persona divina, non potest esse aliquid absolutum: quia omnia absoluta sunt communia tribus personis, & consequenter non possunt esse distinctiva unius ab aliâ; denique constitutum divinarum personarum non potest esse processio: quia persona habet ex suo conceptu esse fixum, ratum, permanens & in facto esse; cum sit terminus naturæ, quam reddit incommunicabiliter subsistentem, processio autem ex modo significandi habet rationem viæ: processio enim activa est viâ à principio, unde supponit personam à quâ egreditur, ideoque eam non constituit sed ex constituta profilit: actiones enim sunt suppositorum. Processio passiva est egressio termini à principio, ideoque præsupponitur constitutioni personæ & ita eam constituere nequit; superest ergo ut per solam relationem constituatur persona in divinis; quia illa sola personas distinguit & proinde constituit; quia sola causat oppositionem & incommunicabilitatem inter personas.

*Obj. 1.* Essentia & relatio sunt idem realiter in Patre; nam tam simplex est Pater quam paternitas; atqui paternitas nullo alio sed seipso constituitur; ergo etiam personæ nullo alio sed seipsis constituuntur.

*R.* Idem in Deo est proprietates & essentia, Paternitas

tas & Pater realiter Con. Idem est formaliter N. Relatio enim & essentia virtualiter distinguuntur, ideoque etiam paternitas & pater; quia Pater significat essentiam appropriatam Patri, Paternitas relationem Paternitatis, ideoque non est idem modus significandi in utroque nomine.

*Obj. 2.* Ideo processio non est constitutiva personæ: quia eam supponit constitutam; atqui etiam relatio supponit personam constitutivam: cum relatio sit posterior processione; fundatur enim in processione, ideo siquidem prima persona habet relationem paternitatis, quia generat, ideo verò generat, quia est persona: actiones quippe sunt suppositorum.

*R.* Relatio secundum explicitum munus & exercitium referendi præsupponit originem & processionem Con. Relatio secundum munus afficiendi subjectum & prout est forma hypostatica seu subsistens, præsupponit processionem & fundatur in illâ N. Relatio enim ut est forma hypostatica fundamento non indiget, sed est ipsamet Dei essentia ex se subsistens, ut ante dictum est, sunt duo munera in relatione nimirum afficere naturam eamque terminare, & referre subjectum ad terminum; prius munus præcedit posterius: prius enim res in se sistit, quam ad alia tendat, nec est inconveniens, quod una forma habeat plures effectus formales, quorum unum prius naturâ conferat, quam alium; sic gratia naturâ prius expellit peccatum, quam sanctificet animam; ipsa anima prius confert gradum corporis quam vegetativi. Eodem modo relatio paternitatis licet in re totum effectum communicet tamen prius naturâ intelligitur complere personam Patris, quam respicere filium: non enim respicit filium, nisi prius naturâ afficeret Patrem; cum enim referat Patrem ad filium, prius tangit patrem quam filium, ut tangit patrem constituit personam Patris, ut respicit filium.



filium, supponit personam jam constitutam, & in se  
sistentem & subsistentem.

*Obj. 3.* Relatio constituit personam, quatenus ad-  
fert incommunicabilitatem, adfert autem incommu-  
nicabilitatem, quatenus causat oppositionem; in divinis  
enim omnia sunt unum, nisi obviet relativa oppositio,  
sed solus respectus ad filium causat oppositionem: nulli  
enim opponitur relatum nisi termino, quem respicit;  
ergo relatio si constitueret personam, illam constituit se-  
cundum munus referendi.

*R.* Relatio adfert incommunicabilitatem, quatenus  
adfert oppositionem & simul præstat subsistentiam;  
Con. & non præstat subsistentiam N. Relatio enim  
creata, licet causet oppositionem, non tamen consti-  
tuit personam, quia non facit subsistere.

*Obj. 4.* Duæ sunt rationes in relatione, ratio *in*  
& ratio *ad*; secundum neutram est constitutum per-  
sonæ; non secundum rationem *ad* sic enim præsuppo-  
nit personam constitutam, nec etiam secundum ratio-  
nem *in*, quia ratio *in* est communis tribus personis;  
in hoc enim omnes relationes conveniunt, quod affi-  
ciant subjectum.

*R.* N. mi. Hæ duæ rationes ita sunt in relatione,  
ut una non excludat aliam: Paternitas enim, quatenus  
afficit primam personam & illam reddit incommunica-  
bilem, non excludit respectum ad filium, sed illum  
habere exigit, tametsi illum non exprimat, unde re-  
latio afficiens subjectum & exigens respectum ad termi-  
num non est communis, sed propria, & adfert in-  
communicabilitatem non solum, quia respicit, sed etiam  
quia afficit subjectum per ordinem ad terminum. Ex  
dictis

*Colliges I.* Personam divinam non significare de  
formali relationem, ut est formaliter respectus ad ter-  
minum, sed quatenus est forma hypostatica, ideoque  
aliter

aliter significari divinas relationes nomine divinæ personæ, quam his tribus nominibus: Pater & Filius & Spiritus sanctus: nam persona divina significat formaliter & explicitè relationes divinas sub conceptu existentium incommunicabiliter, sicut persona in communi significat subsistens incommunicabiliter in quâlibet naturâ intellectuali, implicitè verò & de materiali significat illas sub conceptu relationum & prout exercent munus referendi ad terminum seu correlativum, econtrâ verò tria prædicta nomina significant formaliter & explicitè relationem sub conceptu relationum, quatenus sunt respectus ad terminum, implicitè verò & materialiter sub conceptu subsistentium eos important.

*Colliges 2.* In divinis dari tres subsistentias relativas: quia multiplicatio concreto substantivo multiplicatur quoque forma significata & multiplicato constituto multiplicatur quoque principium constituens; atqui sunt tres subsistentes & tres personæ; ergo sicut ad multiplicationem personarum personalitates, ita ad multiplicationem subsistentium subsistentiæ multiplicantur, maximè cum personalitas & subsistentia, suppositam & persona non distinguantur: nisi in quantum personalitas & hypostasis subsistentiæ superaddunt dignitatem naturæ rationalis; quod autem illæ subsistentiæ sint relativæ, inde patet: quia nulla incommunicabilitas & distinctio in divinis provenit à formâ absolutâ: cum absoluta sint communia, & ratio distinctionis sit oppositio relativa.

### QUÆSTIO III.

#### *De subsistentia personarum.*

**S**uppono: subsistentia duo munera inadæquata habet. Primum tribuit naturæ independentiam ab alio ut sustentante non tantum ut subjecto sed etiam ut supposito

posito, redditque naturam potentem agere ut quod per modum totius in se & per se subsistentis, non verò ut quo seu per modum formæ vel partis in alio existentis & subsistentis. Secundò naturam reddit alteri incommunicabilem.

DICO I. *Sicut nos dicimus in divinis pluraliter tres personas & tres subsistentias ita Græci dicunt tres hypostases*. S. Th. hic Q. 29. a. 2. ad 2. Sive dantur in divinis tres subsistentiæ relativæ.

Probatur : tot dantur subsistentiæ relativæ quod dantur subsistentes relativè ; atqui tres sunt subsistentes relativè. Ergo.

DICO 2. *Relatio in divinis... est ipsa divina essentia, unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit*. S. Th. hic Q. 29. a. 4. O. Sive in Deo datur subsistentia absoluta communis tribus personis.

Probatur : Essentia divina præintellecta tribus personis est actus purus infinitus & ipsum esse in se à se & per se independens à quocunque alio ; ergo habet omnem perfectionem substantialem ; sed ratio subsistentiæ pertinet ad perfectionem substantiæ : substantia enim, quæ non existit per se & in se absque necessitate existendi in alio, non habet suam ultimam perfectionem nec suum ultimum complementum substantiale ; ergo essentia divina præintellecta personis habet subsistentiam absolutam, quâ Deus per se & in se subsistit nec indiget existere in alio, ratione cuius Deus sit potens intelligere amare & operari ad extrâ. neque enim id accipit à personis, sed potius id eis indivisim communicat : actiones quippe essentielles tam intrâ quam extrâ sunt communes tribus personis subindeque per se procedunt à principio, quod est commune : nimirum à Deo subsistente subsistentiâ absolutâ.

Obj. 1. Si essentia divina subsistat subsistentiâ absolutâ, non indiget subsistentiâ relativâ ; sicut, quia existit

existit existentia absolutâ, non requirit existentiam relativam.

R. Negando sequelam & paritatem : quia, licet natura divina sufficienter subsistat essentialiter per subsistentiam absolutam, non tamen per eam subsistit notionaliter, unde est disparitas inter existentiam & subsistentiam : nam personæ sufficientissimè existunt per hoc, quod habent esse naturæ divinæ ; neque enim existentia constituit principium quod agendi, sed solum facit rem esse extrâ nihil, quod omnibus personis est commune ; at verò subsistentia facit esse principium quod alicujus actionis, licet autem principium quod actionis essentialis sit commune, non tamen principium quod actionis notionalis, ideoque alia est subsistentia essentialis & communis, alia notionalis & propria, & ita natura affecta subsistentiâ absolutâ redditur subsistens notionaliter juxtâ conditionem personæ : prima redditur subsistens ut genitor & Pater, secunda ut genitus & filius, tertia ut spiritus ; non est autem inconveniens, ut natura divina subsistens subsistentiâ absolutâ subsistat deinde subsistentiâ personali non ex necessitate sed ex fecunditate.

Obj. 2. Si Deus ut præintellectus relationibus sit subsistens, etiam esset persona : persona enim non plus significat quam subsistens in naturâ rationali, adeoque essent in divinis quatuor personæ & quatuor hypostasies.

R. Quod persona non significet quomocunque sed incommunicabiliter subsistentem in naturâ rationali, & licet in creatis subsistentia utrumque hunc effectum præster, aliter tamen est in divinis, ubi neque incommunicabilitas à formâ absolutâ neque perfectio independentiæ à formâ relativâ provenire potest, ut proinde effectui independentiæ subsistentia absoluta, effectui verò incommunicabilitatis subsistentia relativa respondeat.

Obj.

*Obj. 3.* Si substantia relativa reddat in Patre v. g. naturam divinam incommunicabilem; ergo Pater non potest naturam divinam communicare Filio.

*R.* Natura divina ut terminata per paternitatem non fit adæquatè sed inadæquatè incommunicabilis, ideoque licet absolute natura divina in Patre existens sit communicabilis, fit tamen incommunicabilis eo modo. quo est in Patre, in Patre enim est natura divina ut à se habita & ut principium generandi, quomodo non est communicabilis Filio; rursus in Filio est natura divina ut ab alio habita & ut spirativè communicabilis, quomodo non communicatur Spiritui Sancto: in Spiritu Sancto denique est natura ut ab utroque habita & nullius productionis principium sicque est omnimodè incommunicabilis.

#### QUÆSTIO. IV.

*De personâ Patris, & Filii & Spiritûs Sancti.*

**D**ICO I. *In personis divinis, in quibus non est prius & posterius, invenitur principium non de principio, quod est Pater. S. Th. hic Q. 33. a. 4. O.*

Explicatur conclusio deducendo ea, quæ primæ in sanctissimâ Trinitate personæ conveniunt.

Primò convenit ei nomen & ratio Patris: quia si processio verbi sit generatio, persona à quâ procedit verbum, necessariò est genitor & Pater; sed processio verbi est generatio & quidem perfectissima: tantò enim est generatio perfectior, quantò terminus genitus est similior generanti; in generatione autem divinâ eadem est numero forma geniti & generantis; ergo prima persona SS. Trinitatis est perfectissimè Pater. Porrò nomen Patris per prius dicitur de primâ personâ notionaliter quam essentialiter seu prius convenit respectu Filii divini quam creaturarum: tum quia ab æterno

æterno Deus est Pater Filii & ex tempore Pater creaturarum; tum quia nomen Patris prius dicitur de eo, in quo perfectè reperitur ratio per nomen Filii significata, quam in quo non nisi imperfectè reperitur; ratio autem Filii perfectè reperitur in verbo æterno, imperfectè autem & deficienter in creaturis

*Dices.* Communia in Deo sunt priora propriis & essentialia notionalibus; sed nomen Patris per ordinem ad creaturas significat aliquid essentialiale & commune tribus personis, per ordinem ad filium significat aliquid notionale; ergo Deus prius est Pater creaturarum quam Filii.

*R.* Distinguendo maj. prius in Deo sunt essentialia absoluta quam notionalia Con. prius in Deo sunt essentialia respectiva, quæ dicunt respectum ad creaturas N. ratio est: quia persona divina procedens emanat ut principium productionis creaturarum; sicut enim videmus verbum conceptum in mente Artificis prius procedere ab Artifice quam artefactum, quod procedit per verbum, sic Filius æternus per prius procedit à Patre quam creaturæ, ideò dicitur ab Apost. ad Coloss. 1. v. 15. *Primogenitus omnis Creatura.*

2dò Convenit ratio principii: quia principium est id à quo est processio; sed Filius & Spiritus Sanctus à Patre procedunt; ergo Patri convenit ratio principii. Nomine autem principii intelligitur principium ad intrà, quod per se primò & veluti fundamentaliter convenit Patri respectu Filii, licet etiam conveniat Filio respectu Spiritûs Sancti; si verò sumatur ratio principii essentialiter & per ordinem ad creaturas, nomen principii appropriatur Patri, sed illi non est proprium, sed commune est respectu trium personarum.

3tiò Convenit propriè nomen & ratio ingeni sui seu innascibilis: quia in divinis personis debet admitti aliqua persona, quæ non sit ab aliâ, ne detur processus

in

in infinitum, unde debet aliqua esse à se non quidem eo sensu, quod illa persona sit à se producta: nihil enim potest seipsum producere, sed eo sensu, quod illa persona non sit ab aliâ, sicut Deus etiam dicitur ens à se vel per essentiam & in se habens & non aliunde participans omnimodam existendi necessitatem, talis autem est Pater.

*Dices 1.* Spiritus Sanctus etiam est ingenitus: quia non procedit per generationem.

*R.* Negando ant. quia nomine ingeni non intelligitur illud, quod non procedit per generationem, sed illud, quod nullam prorsus originem habet.

*Dices 2.* Essentia divina etiam est ingeni: quia non gignit nec gignitur; ergo ingeni non est nomen proprium Patri.

*R.* Negando ant. quia sicut essentia divina non dicitur genita, licet communicetur Filio, ita non dicitur ingeni: gigni enim est suppositorum, ideòque non asseritur, nisi de aliquâ personâ.

*DICO 2.* *Verbum divinum ... propriè & non metaphoricè dicitur Filius.* S. Th. hic Q. 33. a. 2. ad 3.

Explicatur conclusio adducendo quæ secundæ Sanctissimæ Trinitatis personæ propria sunt.

Dicitur 1<sup>mo</sup> hæc persona *verbum*: quia procedit ut terminus intelligibilis dictionis, & quia ex vi hujus intellectivæ dictionis procedit in similitudinem dicentis non solum intentionalem: sed etiam propter summam identitatem naturalem

Dicitur 2<sup>dò</sup> *Filius naturalis & consubstantialis.*

3<sup>tiò</sup> Dicitur *Imago*, quæ definitur: unius ab alio deducta similitudo, & duo requirit nimirum similitudinem & processionem: non enim sola similitudo sufficit ad rationem imaginis: nam duo ova sunt similia, unum tamen non est alterius imago, quia neutrum de altero

altero est expressum; atqui utraque hæc conditio perfectissimè convenit Filio: habet enim eandem sui principii naturam, eamque recipit per modum similitudinis ex vi & modo processionis intellectualis; ergo Filius est perfectissima imago Patris.

*Notandum hic:* quod alia etiam nomina vel effectus omnibus personis communes per appropriationem uni vel alteri personæ specialiter tribuantur ob specialem aliquam convenientiam cum personis earumque processionibus; sic quamvis omnipotentia toti Trinitati conveniat, specialiter tamen attribuitur Patri: quia ipse est primum principium tam ad extrâ quam ad intrâ, sapientia appropriatur Filio, quia sicut sapientia oritur ab intellectu, ita & verbum per intellectum procedit, amor Spiritui Sancto, quia est affectio voluntatis, per quam Spiritus Sanctus procedit.

Q. I. Ex quâ cognitione verbum procedit?

R. Verbum divinum per se procedit ex cognitione divinæ essentiæ, attributorum & personarum divinarum & creaturarum possibilem.

*Probat:* Verbum divinum per se procedit ex cognitione Patris, quæ sit necessaria, perfectissima & infinita & comprehensiva; verbum enim est imago consubstantialis Patri & consequenter terminus intellectiois paternæ habentis omnes prædictas condiciones; atqui cognitio necessaria, perfectissima, infinita fertur in divinam essentiam attributa personas & creaturas: nam primò cognitio necessaria per se attingit, quidquid in objecto suo necessariò relucet; in essentiâ verò divinâ, quæ est objectum motivum intellectûs divini, necessariò & non liberè relucet attributa, personæ & creaturæ posibles: illa enim non pendent in sui cognoscibilitate à libero Dei decreto; deinde cognitio perfectissima & infinita tanta est, quanta est divina cognoscibilitas, in essentiâ autem divinâ cognoscibilia

sunt



sunt attributa, personæ & creaturæ possibiles. Denique cognitio comprehensiva non est, nisi penetret attributa & relationes, quæ in essentiâ divinâ essentialiter includuntur; atqui omnipotentia divina penetrari non potest, nec cognosci quantum cognoscibilis est, nisi cognoscantur omnes creaturæ possibiles in ejus virtute contentæ; ergo cum verbum per se procedat ut verbum adæquatum, plenum, infinitum totam exhauriens dicentis fecunditatem, omnia in processione verbi cognoscuntur.

Confirmatur: verbum divinum per se & ex vi suæ Characteristicæ proprietatis repræsentat essentiam, attributa & relationes ac creaturas possibiles: quia verbum divinum procedit ut summè simile Patri, cum sit imago Dei invisibilis; sed non potest procedere ut summè simile Patri, nisi per se repræsentet essentiam, attributa, relationes & creaturas possibiles; imprimis enim imago debet per se repræsentare Patrem: imago enim per se repræsentat id, cujus est imago, non potest autem repræsentari Pater, nisi repræsentetur Filius: relativa enim sunt simul naturâ & cognitione. Deinde ut verbum procedat ut perfectè simile suo principio, debet repræsentare omne illud, quod sibi Pater in generatione communicat, & in quo assimilatur genitori, Pater autem communicat Filio essentiam, & attributa, relationem spiratoris, & omnia, quæ habet, præter esse Patrem, non potest autem repræsentari relatio spiratoris non repræsentato Spiritu Sancto: denique si repræsentat attributa, etiam exprimit divinam omnipotentiam, artem & ideas divinas, quarum terminus sunt creaturæ possibiles; ergo verbum divinum ex vi & modo suæ processions per se repræsentat essentiam, attributa & creaturas possibiles.

*Obj. 1.* Verbum procedit ex primariâ cognitione Patris: quia verbum est terminus primarius cognitio-

nis Patris, atqui primaria cognitio Dei fertur per se solum ad primum objectum, quod est essentia divina, non verò personæ, multò minùs creaturæ possibiles, quæ idèd attinguntur ab attributo distincto ab essentiâ vel intelligere divino vid. scientiâ Dei; ergo cognitio primaria Patris non fertur ad personas nec ad creaturas.

R. Cognitio Dei primaria fertur per se in objectum primum non attingendo objectum secundarium N. attingit per se objectum primum & objectum secundarium ratione objecti primarii Con. non idèd essentia divina dicitur objectum primum, quasi priùs cognoscatur essentia, quam creaturæ & personæ: hæc enim omnia simul cognoscuntur, sed quia divina essentia ratione sui cognoscitur, alia verò ratione alterius attinguntur, cæterum omnia debent attingi per se à cognitione comprehensivâ, quæ talis non esset, nisi & objectum primum & secundarium in primario necessariò inclusum primariò attingeretur.

Obj. 2. Verbum procedit per cognitionem intuitivam, cognitio autem intuitiva fertur in objectum pro illo signo præsens, in quo est cognitio; in illo autem signo, quo Pater generat Filium, nondum est Filius genitus, & consequenter nondum est præsens, multò minus Spiritus Sanctus est præsens, qui per amorem in signo posteriori est producendus; ergo cognitio intuitiva, per quam procedit Filius, solum fertur ad essentiam & Patrem, non ad Filium & Spiritum Sanctum.

R. Ad cognitionem intuitivam sufficit, quod in eodem nunc æternitatis, quo est cognitio generativa Filii, coexistat Filius & Spiritus Sanctus, ordo autem originis, qui est inter divinas personas cum simultate durationis & æternitatis consistit; verbum igitur procedit

dit

dit ex cognitione Spiritûs Sancti, licet Spiritus Sanctus sequatur ad processionem verbi: quia licet Spiritus Sanctus nondum concipiatur veltuti effectivè extrâ potentiam Patris, est tamen objectivè cognitus in essentiâ Patris & in virtute Spirativâ illius.

*Obj. 3.* Filius procedit per cognitionem beatificantem; atqui cognitio beatificans Patrem non fertur in tres personas: quia personæ non pertinent ad beatitudinem Patris, tum quia beatitudo est quid absolutum, quod Deo competeret, etiamsi per impossibile solitarius esset; tum quia in illo signo, in quo Pater producit Filium, nondum sunt omnes personæ existentes.

*R.* Cognitionem beatificam Patris videre omnes personas: quia cum inter personas non sit prioritas durationis, sed tantum ordo originis, licet una persona sit ab aliâ, nullum tamen est instans, in quo una sit sine aliâ, ideoque objectum beatificum cognitionis Patris est Deus trinus & unus: quia cognitio beatifica fertur in Deum sicut est in se, in se autem habet tres personas; ergo videt tres personas; in hypothese autem, quâ Deus esset solitarius, foret quidem beatus sine personis: quia tunc videret se, ut est in se, sine illis, nunc autem Deus non videt se sicut est, nisi videat se esse trinum. Et licet absoluta in Deo sint priora notionalibus, absoluta tamen quæ dicunt ordinem ad notionalia, non sunt priora personis; sic scientia, quâ Deus cognoscit personas, etsi sit aliquod prædicatum absolutum & commune tribus personis, tamen non præintelligitur personis.

*Obj. 4.* Filius procedit per cognitionem perfectissimam; atqui cognitio perfectissima est independens à creaturis, ita ut, si creaturæ forent impossibiles, illa adhuc invariata maneret; ergo cognitio productiva verbi non terminatur ad creaturas posibles,

R. Deus non est connexus cum possibilitate creaturarum per dependentiam sui à creaturis, sed creaturarum à se: quia possibilitas creaturarum est denominatio extrinseca petita ab omnipotentia Dei, qui ratione suæ eminentiæ infinites est participabilis à creaturis, unde deficiente possibilitate deficeret omnipotentia Dei: quia desineret participabilitas divinæ bonitatis

*Obj. 5.* Verbum procedit solùm per se ex cognitione illius, quod repræsentat; sed verbum per se non repræsentat creaturas & relationes: quia illud per se repræsentat, cuius est imago; atqui non est imago Spiritûs Sancti & creaturarum; ergo illa per se non repræsentat.

R. De ratione imaginis est non solùm, quod sit similitudo, sed etiam, quod procedat ab illo, cuius est imago; cum igitur principium quod Filii sit Pater, principium quo sit essentia habens rationem speciei fecundantis intellectum Patris, Filius est imago Patris & essentiæ; quia autem essentia, cui directè verbum assimilatur, non potest cognosci sine relationibus & creaturis uti nec sine virtute creativâ & spirativâ, hinc verbum repræsentat per se non solùm essentiam, sed etiam relationes & creaturas possibiles.

Q. 2. An verbum procedat ex cognitione creaturarum actualium?

R. Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarum futurarum.

*Probatur:* Cognitio, quâ Pater verbum producit, ea per se attingit, quæ Pater generando communicat Filio, quæ priùs origine in Patre concipiuntur; atqui decretum de rerum futuritione & cognitio creaturarum futurarum, non concipitur priùs origine esse in Patre, quam generet Filium, sed potiùs subsequitur generationem Filii & productionem Spiritus Sancti. Item verbum procedit ex cognitione necessaria & naturali: quia

quia processio est necessaria & naturalis; ergo ad productionem verbi non requiritur per se cognitio futurorum, quæ non est naturalis, sed libera: est enim ipsa scientia visionis liberum decretum præsupponens, unde, si non fuisset in Deo cognitio futurorum, invariabilem verbum maneret, sicut & scientia Patris.

*Dixi* per se: licet enim verbum divinum omnia exprimat, quæ sunt in scientiâ Patris, cum sit ejus terminus adæquatus, tamen quædam per se in illo refulcent, quædam verò solum concomitanter; per se quidem illa, quæ Pater necessariò communicat ut: essentia, virtus spirativa, ideæ creaturarum; per accidens verò & concomitanter illa, quæ potuissent non esse, quales sunt creaturæ futuræ.

*Obj.* In verbo debet per se & ex vi suæ processionis relucere, quidquid per cognitionem sui productivam attingitur: aliàs aliquid minus esset in verbo, quam in cognitione; ergo ex suppositione quod Pater cognoscit futura, per se debet verbum ex illorum cognitione procedere.

*R.* In verbo non debet relucere objectum cognitionis, nisi eo modo, quo attingitur à cognoscente; quia ergo cognitio paterna non fertur necessariò ad futura, sed tantum liberè & veluti per accidens ratione decreti decernentis futuritionem, cum potuisset decernere non futuritionem, inde verbum non repræsentat futura, nisi concomitanter ex suppositione liberæ Dei voluntatis

DICO 3. *Si accipiatur hoc, quod dico: Spiritus Sanctus in vi unius dictionis, sic ex usu Ecclesie est accommodatum ad significandam unam trium personarum, scilicet quæ procedit per modum amoris. S. Th. hic Q. 36. a 1. ad 1.*

Explicantur ad tertiam in Trinitate personam pertinentia.

Primò huic personæ tria potissimum nomina conveniunt scilicet Spiritus Sancti, amoris & doni *Dicitur 1. Spiritus*: quia nomen *Spiritus* in Corporeis significat quandam impulsionem: est autem proprium amoris, quod moveat & impellat voluntatem amantis in amatum; ergo persona illa, quæ in divinis procedit per viam amoris, convenienter Spiritus Sanctus appellatur. *Dicitur 2. Amor*: quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, sed terminus actionis voluntatis convenienter amor appellatur, & idè appellatur nexus Patris & Filii, non quod mediet inter utramque personam, quam connectit, sed quia significat rationem mutui amoris, qui est inter Patrem & Filium, qui unicâ dilectione spirant Spiritum Sanctum. *Dicitur denique. Donum*: quia habet omnes conditiones ad donum requisitas. Primò donum debet esse illius à quo donatur: nempe Patris & Filii non quidem per identitatem, quomodo essentia est Dei, à quo beatis donatur, neque per possessionem Domini, quomodo gratia & virtutes sunt Dei dona, sed per processionem & originem, quomodo Filius est Patris. 2dò Donum debet esse gratuitum; datur autem Spiritus Sanctus gratuito absque intuitu retributionis. 3tò Donum debet fieri creaturæ rationali; licet ergo etiam de Filio verissimè dicatur, quod sit nobis datus, nihilominus magis propriè Spiritui Sancto nomen doni tribuitur: èd quod ex vi suæ originis sit amor, amor autem est primum donum & ratio donandi alia; per appropriationem quoque Spiritus Sanctus dicitur bonitas: quia bonitas est objectum voluntatis, vocatur consolator, paracletus, unctio: quia per hæc significantur opera amoris & amicitiae; dicitur digitus Dei, virtus altissimi; quia nihil impulsu amoris fortius, qui vincit omnia, unde eadem virtus in die Pentecostes igne & vento valido designabatur.

Secun-

Secundò Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Est veritas fidei definita in Con. Lateran. & Florent. sub Eugenio III. cui Græci tandem subscripserunt, sed postea secuti Marcum Ephesinum ad vomitum redierunt, in cuius sceleris ultionem Urbs Constantinopolitana totumque Græcorum imperium ( juxtà quosdam Historicos in festo Pentecostes Spiritui sancto sacro ) in potestatem Turcarum est redactum.

Probatur I. Ex Script. Joan. 16. v. 14. & 15. *ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis;* atqui non potest accipere de suo nisi per communicationem suæ essentiæ, sicut omnia, quæ habet Pater, sunt filii ratione communicatæ essentiæ. Joan. 15. Christus dicitur mittere Spiritum Sanctum, nulla autem persona mittitur ab aliâ, nisi à quâ procedit ad Rom. 8. v. 9. & ad Galat. 4. v. 6. Spiritus Sanctus vocatur Spiritus Christi, Spiritus Filii Dei, atqui non potest Spiritus Sanctus aliter dici Spiritus Christi, nisi ratione originis. Ratio est: quia filio omnia communicantur à patre, in quibus Pater & Filius nullam dicunt oppositionem relativam: id enim requirit divina simplicitas & infinita actualitas; atqui in virtute spirativa Pater & Filius nullam dicunt relativam oppositionem; ergo virtus spirativa Filio communicatur à Patre.

Obj. 1. Joan. 15. v. 26. dicit Christus: *cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit;* ubi nulla fit mentio Filii.

2. Illud quod dicitur de Patre, oportet etiam intelligi de Filio, exceptis iis, in quibus Pater & Filius sibi opponuntur, dum enim Christus dicit Matth.

II. v. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater*, non excluditur, quin Filius seipsum cognoscat, sicigitur cum dicitur; Spiritus Sanctus à Patre procedit, etiamsi adderetur, quod à solo Patre procedat, non excluderetur Filius, quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater & Filius, sed solum quantum ad hoc, quod hic Pater est, & ille Filius.

*Obj. 2.* In Con. Nicæno PP. in symbolo solum expresserunt processionem à Patre: *qui à Patre procedit.*

3. Licet in Con. & Symbolo Nicæno solum explicata sit processio à Patre, alia tamen Concilia processionem à Filio expresserunt ut Lugdunense II. celebratum 1274. sub Greg. X. Lateranense IV. celebratum 1215. Romæ sub Innoc. III. Barensis celebratum 1098. sub Urbano II. cui interfuit S. Anselmus in quibus Symbolo Nicæno additæ sunt particule: *Filioque procedit.*

*Obj. 3.* Spiritus Sanctus sicut unus est & simplex, ita & ab unico principio & personâ procedit: nam si perfectè procedat ab unâ, frustra requiritur alia, à quâ procedat.

4. Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio tanquam ab unico principio, sicut etiam tres personæ sunt unicum principium creaturarum, quas unâ & communi actione producant; certè si esset distincta virtus Patris & Filii, rectè sequeretur Filium non producere Spiritum Sanctum, si à Patre perfectè produceretur, sed quia uterque unâ virtute & unâ productione producant, sequitur potius, quod si Pater perfectè producat, ergo etiam Filius: cum sit una utriusque virtus.

Q. 1. An rectè dici possit, quod Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium?



R. Affirmative, si sentus sit, non quod Spiritus Sanctus immediatè procedat à Filio & mediatè à Patre, sicut Nepos est ab Avo mediante Filio in humanis, sed quod inter Patrem & Spiritum Sanctum mediet suppositum Filii, quod prius origine procedit, & quod virtus productiva Spiritus Sancti sit una & eadem in Patre & Filio, & quia Pater dat Filio virtutem, quâ secum producit Spiritum Sanctum, Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum.

Q. 2. An Spiritus Sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet.

R. Negativè: probatur 1. quia Patres & Concilia contrâ Græcos probarunt Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, ex hoc, quod distinguitur à Patre & Filio.

probatur 2. Si Filius & Spiritus Sanctus sibi non opponantur, non distinguuntur: quia in divinis omnia sunt idem, ubi non est oppositio; atqui, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non opponeretur Filio: quia intantum opponitur Filio, in quantum refertur ad Filium; atqui si non procedat à Filio, non refertur ad Filium: fundamentum enim relationum in divinis est processio unius ab alio.

Confirmatur: ut relationes filiationis & processionis seu spirationis passivæ constituent distinctas personas, non sufficit, quod ambæ procedant à Patre, una per intellectum altera per voluntatem, sed requiritur, ut una procedat ab aliâ: quia relationes disparatæ, quæ sibi non opponuntur, possunt esse in eadem persona: in Patre enim datur paternitas & activa spiratio, in Filio datur filiatio & spiratio similiter activa, quæ ideo non inducunt distinctas personas, quia una ab aliâ non procedit; ergo si spiratio passiva non procedat à Filio, non constituit distinctam personam à Filio.

*Obj. 1.* Etiam si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, tamen adhuc procederet per voluntatem tanquam amor productus, Filius verò procederet per intellectum tanquam natus & genitus; atqui hoc sufficeret ad distinctionem utriusque; ergo Spiritus Sanctus distingueretur à Filio, tamen si ab illo non procederet.

*2.* Quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio eadem esset persona, quæ procederet per intellectum & voluntatem, & esset simul verbum & amor, persona genita & spirata sicut jam est eadem persona dicens & spirans, gignens & amans notionaliter.

*Obj. 2.* S. Anselmus lib. de process. Spiritus Sancti docet Filium & Spiritum Sanctum esse plures per hoc, quod Filius nascendo Spiritus Sanctus procedendo habeat esse; verba sunt: *Quomodo Filius existit de Deo nascendo & Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis & processionis referuntur ad invicem ut diversi & alii ab invicem*, atqui hoc esset, licet Spiritus Sanctus non procederet à Filio.

*3.* Spiritum sanctum distingui à Filio, quia Filius procedit per generationem, & Spiritus Sanctus per voluntatem, cum autem voluntas Patris sit communis Filio; quippe in quâ non relativè opponitur, in quâ solâ relativâ oppositione S. Anselmus in lib. cit. fundat distinctionem personarum, sequitur, quod, si procedat per voluntatem notionalem, etiam procedat à Filio; Filius igitur & Spiritus Sanctus distinguuntur diversitate nativitatis & processionis prout processio dicit ordinem originis à nativitate.

*Obj. 3.* Manente constitutivo personarum adhuc personæ distinguuntur: quia constitutivum est etiam distinctivum; atqui, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, maneret constitutivum utriusque personæ

personæ : maneret enim nativitas vel filiatio , quæ est constitutiva Filii , & spiratio passiva , quæ est constitutiva Spiritûs Sancti.

3. Filiatio est constitutiva Filii ità ut simul sit radicaliter spiratio , atque ità mediatè opposita spirationi passivæ Con. ut non sit radicaliter spiratio activa N.

Obj. 4. Ità se habet Spiritus Sanctus ad Filium , sicut ad Patrem , sed si per impossibile à solo Filio , non autem à Patre procederet , adhuc maneret distinctus à Patre ; ergo quamvis per impossibile à solo Patre procederet , adhuc tamen posset manere distinctus à Filio.

R. Licet de facto ità se habeat Spiritus Sanctus ad Filium sicut ad patrem : quia de facto utrumque respicit ut unum spiratorem , si tamen per impossibile non procederet à Patre , adhuc ab eo distingueretur ; licet enim tunc immediatè non procederet à Patre , ex hoc tamen , quod procederet à Filio , qui est productus à Patre , etiam mediatè procederet à Patre , eique proinde mediatè opponeretur , at si non procederet à Filio , eidem nec im - nec mediatè opponeretur.

Obj. 5. Non potest eadem persona procedere per intellectum & voluntatem ; quia eadem persona nequit produci duabus productionibus totalibus & adæquatis , quarum quælibet unam personam producit ; alias eadem persona bis produceretur , & perfectiones , quæ illi datæ sunt per intellectum , darentur de novo per voluntatem ; ergo sufficit ad distinctionem personarum , quod una procedat per intellectum ut nata , altera per voluntatem ut spirata etiam non interveniente processione unius ab aliâ.

3. In hypothefi factâ Negando assumptum , ad  
cujus

cujus probationem dicendum: si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, generatio & spiratio non erunt duæ productiones totales, sed una & eadem actio formaliter eminenter spirativa & generativa & solum virtualiter distincta & terminata ad eandem personam genitam & spiratam, sicut in Patre eadem entitas est intellectus & voluntas, generatio & spiratio activa, ideo autem de facto in hoc mysterio generatio & spiratio sunt actiones totales, quia terminantur ad personas distinctas, ideo autem sunt distinctæ, quia una procedit ab aliâ; nec sequeretur, quod una persona bis procederet, sed simul & semel terminaret actionem intellectûs & voluntatis, & uniret in eodem supposito filiationem & spirationem passivam.

Q. 3. An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio ut ab uno principio?

R. Affirmativè, probatur: nomina substantiva non multiplicantur nisi multiplicatâ formâ, quam significant, sicut nomina adjectiva non multiplicantur, nisi multiplicatis suppositis; atqui Pater & Filius, licet sint duo supposita, unicam tamen habent virtutem spirantem; ergo Pater & Filius sunt unicum principium Spiritûs sancti, sicut tres personæ sunt unicum principium productionis Creaturarum ad extrâ, quia habent eandem virtutem creandi & eandem omnipotentiam indivisam.

Q. 4. An Spiritus sanctus exigit procedere à duabus personis?

R. Affirmativè, probatur: Spiritus sanctus ex proprietate suâ personali est amor mutuus vel nexus duorum, sive terminus amoris mutui, quo duo se diligunt: est enim amor perfectissimus & consequenter amor amicitiae mutuus & reciprocus; atqui amor mutuus absque pluralitate suppositorum mutuo se amantem esse non potest, unde S. Th. hic Q. 36. a. 4.

ad

ad 1. Si considerentur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ut sunt plures: procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum.

Obj. 1. Non minus adæquata virtus spirandi convenit Patri ratione voluntatis, quam cuilibet personæ conveniat virtus creandi ratione omnipotentia; atqui quia virtus creandi personis convenit ratione omnipotentia, pluralitas personarum ad creationem se habet per accidens; ergo etiam dualitas personarum ad processionem Spiritus sancti se habet per accidens.

R. Negando consequentiam: quia adæquata ratio, cur ad productionem creaturarum Trinitas personarum se habeat per accidens, est, quod virtus adæquata creandi Deo conveniat præcisâ ratione Trinitatis, adæquata autem virtus spirandi non convenit soli Patri præcisâ ratione filiationis, sed importat in obliquo duas relationes: Spiritus sanctus enim spiratur ut nexus vel amor unitivus duorum. Disparitas igitur est, quod creaturæ per se procedant à supposito creante & omnipotente, sive sit unum, sive sint plura; at verò amor perfectissimus, qui est Spiritus sanctus per se procedit ab amante & redamante amore amicitia unitivo amicabili & perfectissimo, qui non exercetur nisi saltem inter duos.

Obj. 2. Si Spiritus sanctus per se procedat à Patre & filio, Pater & filius non essent unicum sed plura principia Spiritus sancti: nam ad actionem concurrunt non solum virtus agendi, sed etiam suppositum agens; ergo, si per se & non tantum concomitanter exigantur plura supposita ad productionem Spiritus sancti, exigentur etiam plura principia.

R. Negando ant. Ad cuius probationem dicitur: Spiritum sanctum procedere quidem à Patre & Filio, ut sunt plures personæ, sed non ut sunt plures spiratores vel plura principia: spirator enim & principium sunt

sunt nomina substantiva, quæ non multiplicantur, nisi secundum formam significatam, quæ una & eadem est in Patre & Filio, in quibus est eadem spiratio activa, unde possunt dici tantum duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo principia vel duo spiratores propter unitatem spirationis.

## DISPUTATIO XXI.

*De nominibus, notionibus, equalitate & missione personarum.*

## QUESTIO I.

*De modo, quo nomina essentialia & personalia prædicantur, & supponunt in divinis.*

**DICO.** *Ad veritatem locutionum non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi. . . unde non possumus dicere, quod essentia est generans, possumus tamen dicere, quod essentia est res generans, vel Deus generans, si res & Deus supponant pro Personâ, non autem si supponant pro essentiâ S. Th. hic Q. 39. a. 5. O. & ad 5.*

Explicatur: quia in hoc altissimo mysterio etiam ex verbis inordinate prolatis hæresis incurri potest, eaque tum de essentiâ tum de personis dicitur, aut dum mutuo personalia & essentialia prædicamus, id fieri debet secundum sequentes Regulas.

Primò Adjectiva notionalia possunt prædicari de essentialibus in concreto sumptis ut: Deus est generans, non autem de essentialibus in abstracto: falsum enim est: essentia generat, Deitas spirat. Ratio est: quia ut notionalia rectè prædicentur, debet significari persona habens formam illam notionalem; sed hæc significatur tantum nomine concreto.

Secundò. Prædicata essentialia quasi transcendentia:

DE NOM. NOTIO. ÆQUAL. & MISS. PERS. 335  
ut: infinitus, æternus, immensus, à se & alia, quæ non  
conveniunt essentiæ divinæ sub statu reduplicationis &  
exercitio distinctionis virtualis, possunt de abstractis  
notionalibus prædicari, ut: Paternitas est æterna, im-  
mensa &c. non autem illa prædicata absoluta, quæ  
essentiæ divinæ sub statu reduplicationis conveniunt;  
unde hæc præpositio est falsa: Paternitas est commu-  
nicabilis; quia communicabilitas convenit essentiæ,  
ut virtualiter distinctæ à notionibus.

Tertiò. Signa universalialia vel particularia ut: om-  
nis, aliquis, nullus: falso junguntur termino essentiali,  
bene tamen personis, idèd falsa est: omnis Deus  
creat. Et econtrà vera est: quælibet persona est Deus:  
aliqua persona est Filius: nulla persona est finita.

Quartò. Termini exclusivi: solus, tantum &c. non  
possunt conjungi termino personali respectu actûs es-  
sentialis, bene tamen respectu prædicati notionalis;  
idèd hæc propositio falsa est: solus Pater creat, econ-  
trà hæc vera est: solus Pater generat: solus filius ge-  
neratur: ratio est: quia essentialia sive absoluta sunt  
communialia, non autem notionalia.

Quintò. Prædicata, quæ personis divinis ratione  
solius essentiæ conveniunt, substantivè accepta non-  
nisi singulariter prædicantur: quia quod convenit per-  
sonis, ratione alicujus immultiplicabilis, est immul-  
tiplicabile; atqui quæ conveniunt ratione divinæ essen-  
tiæ, conveniunt ratione alicujus immultiplicabilis,  
idèd in Symbolo dicitur non tres Dii, non tres Do-  
mini, si autem talia prædicata adjectivè sumantur,  
possunt pluraliter dici, ut in Symbolo S. Athanasii:  
*Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*: quia  
singularitas vel pluralitas nominis substantivi attenditur  
secundum formam per nomen significantam, in adjecti-  
vis verò divinum quid significantibus attenditur singu-  
laritas vel pluralitas secundum supposita, hinc Pater &  
Filius

Filius sunt unus spirator, sed duo spirantes. Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt unus Deus, tres habentes Deitatem.

Sextò. Quæ omnibus divinis personis communiter conveniunt præcisè ratione proprietatis personalis, tantum pluraliter non singulariter de omnibus dicuntur. Ratio est; quia quæ conveniunt communiter ratione proprietatis personalis, conveniunt ratione alicujus multiplicabilis, ideoque non singulariter sed pluraliter dici possunt; ità falsum est: in divinis est una persona & hypostasis. Verum est: in divinis sunt tres personæ & hypostases, ipsa verò proprietates personalis, quia nonnisi unam personam constituit, non pluraliter de omnibus, sed singulariter de unâ dicitur, ut: unus est Pater, unus Filius. unus Spiritus sanctus.

Septimò. Prædicata quæ partim ratione essentiæ, partim ratione proprietatum personalium conveniunt, tam pluraliter quam singulariter in divinis dici possunt, ità verum est: divinas personas esse unam rem, unam entitatem secundum realitatem essentiæ, item: esse tres res, tres entitates secundum tres relationes.

## QUÆSTIO II.

*De notionibus seu actibus notionalibus.*

**D**ICO. Sunt quinque notiones in divinis scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio & processio S. Th. hic Q. 32. a. 3. O.

Explicatur: notio est prima ratio cognoscendi personam seu Character vel nota, quâ una persona discernitur ab alterâ, ad hanc requiruntur sequentia: primò ut significetur termino abstracto: quia sicut ratio formalis essendi vel aliquid constituendi significatur termino abstracto, ipsum verò constitutum termino concreto, ità ipsum cognitum termino concreto, ratio autem cognoscendi termino abstracto exprimitur,



DE NOM. NOTIO. ÆQUAL. & MISS. PERS. 337  
mitur. Secundò; ut sit aliquid ad originem perti-  
nens: omnis enim distinctio in divinis ex relatione  
originis oritur. Tertiò: ut non sit commune tribus  
personis: ex hoc ipso enim non esset ratio distinguendi  
unam personam ab aliâ. Quartò. Quod pertineat  
ad dignitatem personæ, quæ est subsistens in naturâ  
intellectuali dignitate propriâ.

*Probatur Conclusio:* In divinis inveniuntur quinque  
rationes, quæ habent has condiciones: videl. in  
Patre innascibilitas & Paternitas, in Filio filiatio, in  
Patre & Filio spiratio activa, in Spiritu sancto proces-  
sio seu spiratio passiva: quia cum personæ divinæ con-  
stituantur & distinguantur per relationes fundatas in  
origine, potest cognosci persona vel per hoc, quod  
est principium processionis, vel per hoc, quod est ter-  
minus processionis, vel per negationem processionis,  
& ita prima persona, quia non procedit ab aliâ, dig-  
noscitur per innascibilitatem, præterea quia producit  
filium, dignoscitur per paternitatem, & etiam quia  
cum filio producit Spiritum sanctum, dignoscitur Pa-  
ter & Filius per spirationem activam, Filius, quia est  
terminus generationis, innotescit per filiationem,  
Spiritus sanctus, quia est terminus voluntatis innotescit  
per processionem vel spirationem passivam, & ita ha-  
bentur quinque notiones.

*Obj. 1.* Si innascibilitas sit notio in Patre, inspira-  
bilitas erit notio filii, & ingenerabilitas notio Spiritus  
sancti, & consequenter erunt plures notiones, quam  
quinque.

*R.* Negando sequelam: quia per innascibilitatem  
non intelligitur sola negatio generationis, sed negatio  
omnis Processionis manifestans Patrem esse fontem &  
originem omnium divinarum emanationum; hoc  
modo autem Spiritus sanctus non est inginitus, quia  
licet non procedat per generationem, generationem

tamen filii supponit, inspirabilitas quoque involvitur in notione spirationis activæ, quæ convenit Patri & Filio; quia eo ipso, quo persona spirat, opponitur ei illa, quæ spiratur.

*Obj. 2.* In Filio præter filiationem est ratio verbi & imaginis, in Spiritu sancto ratio amoris & doni.

*R.* Nomina illa sunt quidem illis personis propria, non tamen sunt notiones, quia includuntur in unâ adæquatâ ratione Filii & Spiritus sancti.

### QUÆSTIO III.

#### *De æqualitate Personarum.*

**D**ICO. *Necesse est ponere æqualitatem in divinis Personis.* S. Th. hic Q 42. a. 1. O.

Probatur ex S. Script. ad Philip. 2. v. 6. de Filio dicitur (quod idem intelligendum de Spiritu sancto) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* Joan. 8. & 10. Pater & Filius unum esse dicitur 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo: Pater, verbum & Spiritus sanctus & hi tres unum sunt*, ex quibus eruitur hæc ratio: quæ gaudent eâdem naturâ, inter illa est perfectissima æqualitas: eò enim major & perfectior est similitudo, quò forma, in qua plura conveniunt, est magis una, non potest autem magis esse una, quam quando est eadem; atqui tres personæ habent eandem divinitatem & naturam salvâ discretionem personarum; sunt etenim consubstantiales; ergo inter Personas divinas est perfectissima æqualitas & similitudo, unde in Symbolo Athanasii: *Qualis Pater, talis Filius &c. & totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.*

*Obj. 1.* In Filio non est potentia generativa, nec potentia spirativa in Spiritu sancto; ergo Personæ non sunt æquales.

*R.* Negando sequelam; quia potentia generativa &

& spirativa significat simul relationem, cum secundum totam perfectionem absolutam æqualiter invenitur in singulis Personis; quia in singulis Personis est intelligere & velle.

*Obj. 2.* Si inter Personas detur æqualitas & similitudo; ergo dabitur relatio realis similitudinis inter illas, eò; quod primò habeat fundamentum reale vid. essentiam divinam, in quâ fundatur similitudo Personarum. Secundò. Extrema sint realiter distincta vid. Personæ, quæ sunt sibi similes. Tertiò. Quod non dependeat ab intellectu: quia ante omnem intellectum Pater est similis Filio in naturâ.

*R.* Negando sequelam, ad cuius probat. dicitur: quod ad relationem realem non sufficiat, quod fundamentum in utroque extremo sit reale, sed etiam fundamentum debet esse realiter distinctum in utroque extremo, ideò enim extrema referuntur, quia rationes fundandi realiter referuntur, ratio autem fundandi & terminandi in similitudine Personarum est indistincta: est enim natura divina.

*Inst.* Paternitas & filiatio sunt duæ relationes distinctæ & tamen habent idem fundamentum scil. divinam essentiam.

*R.* Paternitatem & filiationem secundum munus relationis & exercitium referendi fundantur in origine activâ & passivâ connotante subsistentiam personalem: persona enim producens est fundamentum paternitatis, Persona producta fundamentum filiationis & sic habent distinctum realiter fundamentum.

*Q.* An inter Personas divinas sit mutua inhabitatio & circuminfectio?

*R.* Affirmativè: hæc vox: *Circuminfectio* significat intimam & vitalem immanentiam unius Personæ in alterâ, hanc quælibet divinarum Personarum habet ex duplici capite, Primò propter identitatem essentiæ,

in quo enim aliquid intimius esse potest, quam in eo in quo est sua essentia? Secundò ratione originis suæ: dum enim Personæ productæ procedunt per modum termini immanentis, quælibet Personæ producens est in productâ sicut principium in termino, & quælibet producta est in producente tanquam terminus in suo principio, unde Christus Jois I. v. 38. *Pater in me est & ego in Patre: & Ecclesia psallit. in Patre totus Filius & totus in verbo Pater.*

#### Q U Æ S T I O I V.

*De missione Personarum.*

**D**ICO. *Missio divina Persona convenire potest, secundum quod importat ex unâ parte processionem originis à mittente, & secundum quod importat ex aliâ parte novum modum existendi in alio. S. Th. hic Q. 43. a. 1. O.*

Explicatur & probatur: missio est egressio ab aliquo cum destinatione ad certum effectum obtinendum, ideoque missio quatuor importat, primò Personam, quæ mittitur. Secundò Personam, sive principium, à quo mittitur. Tertio terminum ad quem mittitur. Quarto egressionem ejus, qui mittitur ad suam functionem obeundam, ad quam egressionem requiritur imprimis: ut Persona missa procedat à mittente vel per imperium, ut servus à Domino mittitur, vel per suasionem & inductionem, ut Rex dicitur mitti à Consiliariis ad bellum, infirmus à medico ad balneum; qui modi involvunt imperfectionem subjectionis & indigentia. Vel per originem ut flos egreditur ab arbore, fluvius à fonte, calor ab igne; deinde requiritur: ut Persona incipiat esse aut saltem novo modo esse in termino ad quem mittitur, aliàs non diceretur mitti, si ante erat & eodem modo erat; atqui utraque illa conditio convenit personis procedentibus videlicet Filio &

Spi-

Spiritui sancto : nam imprimis ambæ Personæ procedunt , Filius à Patre , Spiritus sanctus à Patre & Filio ; deinde verbum fuit novo modo in humanitate per incarnationem , Spiritus sanctus est novo modo in anima Iusti per gratiam ; ergo missio convenit Filio & Spiritui sancto , non tamen Patri , qui , quia non procedit ab alio , dicitur venire & non mitti , sed sicut prima Persona est ingenua , primum ens à se & non ab alio , ita est primum mittens , quod est immissibile .

Q. 1. Quid missio in divinis importet ?

R. Primo & per se importat Personam procedentem , secundariò connotat effectum temporalem . Ratio est : quia missio est exitus & veluti progressio rei missæ à mittente ad terminum , ad quem de novo mittitur : sed una Persona non exit ab aliâ , nisi per processionem naturalem , nec procedit ad creaturam nisi per productionem novi effectus ; ergo missio in recto importat processionem naturalem connotando in obliquo effectum de novo productum , ad eum ferè modum , quo actus liber divinæ voluntatis in recto importat amorem Dei necessarium connotando creaturas indifferentes productas ; unde missio primariò importat aliquid notionale , secundariò verò aliquid essentialiale nempe productionem effectûs .

Q. 2. Ad quos effectus sit missio ?

R. Ratione effectûs à Personâ procedente connotati dividitur missio in visibilem & invisibilem : quia nempe à Personâ procedente aliquando visibilis , aliquando invisibilis effectus connotatur ; visibilis missio Filii fuit per incarnationem , visibilis missio Spiritûs sancti fuit primò : cum in specie columbæ descendit super Christum baptizatum Matth. 3. Secundò . Cum in transfiguratione , Christi in nube lucidâ apparuit . Matth. 17. Tertiò . Cum in vento vehementi & igneis linguis

super Discipulos venit in die Pentecostes Act. 2. Mis-  
 sio invisibilis Personarum non fit nisi per gratiam  
 sanctificantem & charitatem, tunc enim divina Per-  
 sona mittitur in animam rationalem, quando novo  
 modo incipit existere in anima rationali, quod fit,  
 quando Deus specialiter possidetur à Creaturâ per cog-  
 nitionem & amorem, & Deus dominatur & reg-  
 nat in medio cordis nostri omnes motus, cogitatus  
 & actus sibi subjiciens; non igitur mittitur persona  
 divina per communicationem effectuum naturalium;  
 quia per largitionem hujusmodi beneficiorum mani-  
 festatur quidem Dei sapientia & bonitas, sed quia  
 illa dona procedunt à Deo uno & sunt indivisa Trini-  
 tati, per illa Personæ divinæ non novo & speciali mo-  
 do in nobis habitant, neque Persona mittitur in col-  
 latione gratiarum actualium aut gratiarum, quæ gratis  
 dantur, quia hæc secum compatiuntur peccatum mor-  
 tale, quo impeditur specialis præsentia & inhabitatio, sed  
 Spiritus sanctus toties invisibiliter mittitur, quoties pri-  
 mò sanctificat animam, quoties augetur gratia in nobis,  
 quod fit, dum in ferventes actus charitatis prorumpi-  
 mus vel rebus caducis efficaciter renuntiamus. Hæc  
 sufficiant de altissimo mysterio, quod magis morum  
 sanctimoniâ colendum, quam verborum eloquentiâ  
 explicandum est juxtâ Doctrinam Theologi perfectis-  
 simi Authoris Librorum de imit. Christi l. I. c. I. *Quid  
 prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas hu-  
 militate, unde displiceas Trinitati, alta verba non  
 faciunt hominem sanctum, sed bona vita efficit Deo  
 gratus.*



DISPUTATIO XXII.

*De creatione & mutatione Creaturae.*

**C**onsideratis processionibus ad intrâ , pergimus cum doctore Angelico ad processionem creaturatum , quæ secundum fidem à Deo ut primo principio omnem suam entitatem habent Joan. I. *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat,* quasi diceret: ex eo facta sunt omnia per ipsum, quia in ipso erant. Act. 17. v. 24. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt.* Pl. 145. *Qui fecit calum & terram mare & omnia quæ in eis sunt.* Rom. 11. v. 36. *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.*

QUÆSTIO I.

*An creatura possit communicari virtus creandi?*

**V**irtus creandi potest esse vel principalis, quæ sit creaturæ propria perfectio eidem permanenter communicata à Deo, quâ creare posset, vel instrumentalis quæ sit propria solius Dei perfectio sed creaturæ transeunter & vialiter impressa ad aliquid ex nihilo producendum. de utraque est difficultas, pro quâ

*Suppono 1.* Ex philosophiâ : quod productio alia sit ex præsupposito subjecto, quando videlicet ex passivâ immutatione subjecti præexistentis illud determinatur & materia ad introductionem novæ formæ disponitur, quæ positâ ultimâ dispositione resultat; & hoc modo quotidie novæ res per creaturas producuntur. Alia productio non fit ex aliquo præsupposito subjecto, sed purè ex non ente tanquam termino à quo fit ens tanquam terminus ad quem & hæc est creatio.

*Suppono 2.* De facto Deus immediatè creavit omnia ex nihilo nullâ creaturâ ad creationem concurrente, ut

constat ex Genes. I. in quo nulla creatura præcessisse declaratur, quæ cum Deo ad creationem concurrerit, alias universa non essent in principio temporis ex nihilo condita. Et Eccl. 18 v. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, si verò aliqua creatura ad creationem alterius concurrerit, hæc fuisset ante alias creata. Et in cap. firmiter de Sum. Trin. desumpto ex concilio Lateran. dicitur: *Deus ab initio temporis condidit utramque ex nihilo creaturam, temporalem & spirituales.* Igitur Quæstio est tantum de possibili.

DICO. *Impossibile est, quod alicui creaturæ conveniat creare neque virtute propria neque instrumentaliter, siue per ministerium.* S. Th. hic Q. 45. 2. 5. O.

*1ma Pars Probatur:* Creare est res producere ex nihilo tam sui quam subjecti præsuppositi; sed non potest communicari creaturæ virtus propria producendi res ex nihilo tam sui quam præsuppositi subjecti; ergo. Probatur mi. virtus propria enti primo & causæ universalissimæ nequit communicari creaturæ tanquam propria ipsi; sed virtus producendi res ex nihilo est propria primo enti; quia quo effectus est universalior, eò exigit creaturam universaliozem, res autem ut producta ex nihilo est effectus universalissimus: cum attingatur sub universalissimâ ratione entis; ergo exigit causam universalissimam, quæ est solus Deus: cum solus Deus contineat omnem plenitudinem essendi, nulla autem creatura possit continere plenitudinem essendi, sed habeat semper esse admixtum potentialitati; consequenter etiam non potest habere virtutem producendi effectum nisi admixtum potentialitati, qualis non est ens sub ratione entis: cum ens de se dicat solam actualitatem essendi & existendi.

*Confirmatur 1.* Omne agens intendit producere sibi simile vel perfectè, si sit agens univocum, vel imper-



imperfectè si sit agens æquivocum ; producit autem sibi simile in quantum assimilat effectum illi formæ, per quam agit ; atqui nulla creatura potest agere per formam, quæ sit esse ; cum forma agendi sit etiam forma essendi : nulla autem creatura potest esse suum esse sive existere ; ergo etiam nulla creatura potest effectus producere sub ratione entis ut sic, sed tantum sub ratione entis limitati & habentis admixtam potentiam.

*Confirmatur 2.* Causa producens effectus sub ratione entis, qualis debet esse causa creans, debet habere virtutem infinitam : cum omnes effectus possibiles conveniant in ratione entis ; sed nulla creatura potest habere virtutem infinitam ; ergo nulla creatura potest habere virtutem producendi ens sub ratione entis aut ex nihilo.

*2da Pars Probatur :* Causa instrumentaliter creans debet habere actionem propriam & præviã ad esse ex nihilo producendum ; sed nulla creatura potest habere actionem propriam & præviã ad esse ex nihilo producendum ; quia omnis creatura hoc ipso, quod sit immersa potentialitati, etiam petit terminum immersum potentialitati & consequenter petit operari circa effectum ex subjecto educendum, nec potest operari circa nihilum.

*Obj. 1.* Ad principaliter creandum non requiritur virtus infinita ; ergo virtus principalis creandi potest creaturæ communicari. Probatur antecedens : ad producendum effectum finitum non requiritur virtus infinita ; sed ens ex nihilo productum est effectus finitus : cum ens non habeat infinitam distantiam à non ente, ergo cum virtus illa specificetur non à nihilo ; sed ab ente producto, non requiritur virtus infinita ad ens finitum producendum ex nihilo.

*2.* Negando ass. cujus probatio distinguitur : ad

producendum effectum finitum tam ex parte modi producendi quam ex parte rei productæ non requiritur virtus infinita Con. finitum ex parte rei, infinitum ex parte modi producendi N. *Explico*: licet ens creatum sit in se finitum, si tamen comparetur cum non ente, dicit ab eo distantiam quodammodo infinitam; cum non ens dicat omnimodam negationem entis, ens autem sub conceptu entis sub se comprehendat omnia entia possibilis, unde non ens simpliciter dicit negationem entitatum infinitam. Unde S Th in 4. dist. 5. Q. 1. a. 3. ad 5. in 2. respons. ait: inter ens & non ens non esse distantiam infinitam ex parte entis nisi ens sit infinitum, sed verum esse quod dicta distantia sit quodammodo infinita ex parte non entis simpliciter, eò quod non ens determinatam distantiam ab aliquo ente signato transcendat.

*Obj. 2.* Potest creatura esse instrumentum transubstantiationis & actionis punitivæ Spirituum, sicut patet de igne infernali torquente Spiritus; ergo etiam actionis creativæ.

*R.* Disparitatem est: quod in actione transubstantiatiavâ, licet non sit subjectum commune termino à quo & termino ad quem, tamen revera est subjectum, circa quod creatura tanquam instrumentum operatur; unde non respicit terminum sub ratione entis ut sic sed sub ratione talis entis, consequenter ut immersum potentialitati, contrarium est in creatione. Item in actione, quâ puniuntur Spiritus, licet creatura elevetur extrâ Sphæram suæ activitatis, tamen semper operatur non circa nihilum sed circa subjectum, quod licet non possit contingere contactu quantitativo: cum non sit quantum, potest tamen illud contingere ut elevata à Deo entitativè: cum creatura spiritualis sit ens limitatum & participatum.

*Obj. 3.* Agens naturale potest alterando species Eucharisti-

XXII.  
DE CREATIONE & MUTATIONE CREATURÆ. 347  
charisticas producere materiam & formam aceti & consequenter creare: quia materia non per generationem sed per creationem producitur. Deinde videtur creatura posse instrumentaliter annihilare, ergò & creare: quia videtur ejusdem virtutis esse res ex nihilo producere & in nihilum redigere.

R. ad 1. Totum illud compositum ad exigentiam causarum naturalium, quæ non circa nihil sed circa accidentia miraculosè sine subjecto conservata agunt, à Deo produci in vi prioris miraculi, dicitur verò generari, eò quod dispositiones per agentia naturalia introductæ sint, ad quas sequeretur generatio novi compositi, si materia, cujus vicem subeunt accidentia, adesset, quæ jam simul cum novâ formâ producitur. Ad 2. dato antecedente negatur consequentia, annihilatio enim supponit aliquod subjectum, creatio nullum subjectum supponit. *Dixi dato*: quia probabilius videtur etiam annihilandi virtutem instrumentalem creaturæ communicari non posse: tum quia annihilatio fit per subtractionem concursûs divini rem conservantis, ad quam subtractionem creatura instrumentaliter concurrere non potest. Tum quia purum esse dependet à solo Deo, ergò & purum non esse ab eo solo dependere potest.

## Q U Æ S T I O II.

*De Paradiso, de animâ hominis & mutatione creaturæ?*

**D**ICO 1. *Paradisus fuit locus congruus habitationi humane quantum ad incorruptionem primi status.* S. Th. hic Q 102. a. 4. O.

Explicatur conclusio sequentibus.

Imò Paradisum existere apertè docet S. Script. Genes. 2. Fuisse verè visibilem & corporeum locum & non spiritualem, suadetur tum ex eo, quod verba  
S.

S. Scripturæ in sensu proprio accipienda sint, nisi sequatur inconueniens, loquitur autem S. script. de Paradiso velut loco corporeo, cum dicatur Adamus extrâ Paradisum productus, & in illo positus, ut operaretur & custodiret illum &c. tum ex eo quod Paradisus fuerit destinatus, ut homini, qui corporeus erat, in statu Innocentiæ perseveranti omnia ad felicitatem necessaria subministraret, ut narrat sacer textus. Intelligitur autem nomine Paradisi non tota terra floribus, plantis arboribusque ornata, sed locus aliquis particularis situs in partibus orientis: *Quia credendum est* (inquit S. D. hic a. 1.) *quod in nobilissimo loco totius terræ sit constitutus; cum autem oriens sit dextra cœli, us patet per Philosophum 2. de cœlo. Dextra autem est nobilior, quam sinistra, conueniens fuit, ut in orientali parte Paradisus terrenus institueretur à Deo; quis autem ille locus determinatè sit, varii varias adferunt conjecturas sed omnes sunt incertæ.*

Secundò quoad situm Paradisi: videtur verosimilius: non esse ità demissum, ut in planitie aliqua constitutus sit, quia infimus terræ locus non esset liber à ventis & vaporibus terræ, nec quatuor flumina, quæ ex illo exeunt, commodè possent totam terram irrigare, nec esse adcò elevatum, ut usque ad globum Lunæ & supremam aëris regionem pertingat, talis enim locus non esset homini salubris, tum propter ingentem ardorem ob viciniam corporum inflammatorum, tum propter defectum aëris crassioris ad respirationem & refrigerationem cordis necessarii, sed esse in supremâ hujus infimæ regionis aëris parte positum, & ferè usque ad secundam aëris regionem pertingere: quia illa videtur esse conuenientissima habitationi hominum. Magnitudo Paradisi æquè incerta est; amœnitas verò declaratur apertè à Moysè eum Paradisum voluptatis appellante

&amp;

& à sanctis Patribus mirè amœnitatem Paradisi extollentibus, ità ut quidquid ad hominis sive immortalitatum conservandam sive sensus oblectandos requireretur, affatim in illo inveniretur. præcipuè

Tertiò præter varia genera arborum duplex in Paradiso reperiebatur arbor 1. est arbor vitæ sic dicta, quod ejus fructus habebat virtutem conservandi vitam hominis, eò, quod vi caloris naturalis consumptum in priori puritate & sinceritate redintegrabat, & calorem naturalem confortabat, ut licet continuò agendo nonnihil pateretur, nunquam tamen debilitatus flaccesceret, unde senectus cum variis defectibus nascitur. Hanc virtutem fuisse naturalem videtur colligi ex eo, quod remanserit post peccatum & homini peccatori profuisset. 2. est arbor scientiæ boni & mali sic dicta: quod ex ejus fructus perceptione Adam & Eva, qui prius specularivè sciebant differentiam inter bonum & malum, etiam practicè sciverint hanc differentiam. *Quia* (ait S. Th. hic Q. 102. A. 1. ad 4.) *post ejus esum homo per experimentum pœna didicit, quid interesset inter obedientia bonum & inobedientia malum.*

Quartò Erumpit in Paradiso magnus fluvius Paradisum irrigans, qui in quatuor fluvios dividitur, quorum nomina sunt Phison (sive ut probabilius videtur) Ganges Indiæ flumen. Gehon sive Nilus transiens per Ægyptum & peragrans terram Æthiopiæ, cui dominatur magnus Abyssinorum Monarcha, quem Prete Joannem vocant. Tygris, ob velocitatem cursus ità dictus & Euphrates.

Quintò probabilius est Paradisum per aquas diluvii non deletum fuisse, sed adhuc persistere, tum Eccl. 44. v. 16. dicitur: *Henoch placuit Deo & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*

*etiam.* Tum quia illud astruunt multi SS. Patres, tum quia si esset Paradisus per aquas diluvii destructus, etiam Henoch, qui, uti dictum est, in eo asservatur, aquis diluvii periisset, consequenter, cum alii modi quibus conservatus fuisse asseratur, videantur inconuenientes, & convenientissimus sit hic, quod aquæ diluvii non pertigerint ad Paradisum, hoc quoque tanquam verosimilius asserendum est.

**DICO. 2.** *Manifestè falsum est: animam esse de substantiâ Dei.* S. Th. hic, Q. 90. A. 1. O. sive anima rationalis est substantia creata incompleta spiritualis immortalis à Deo non ante sed in corpore organizato producta.

Probatur hæc conclusio fusiùs in libris de animâ tractari solita per partes:

Primò. Anima rationalis est substantia, quia est ens per se subsistens, existentiam & subsistentiam suam communicans toti composito, & post separationem à corpore eandem retinens.

Secundò. Non est pars substantiæ Dei, sed est creata, quia est actus permixtus potentialitati, ut patet ex eo, quod non sit continuò in actu, sed transeat de potentiâ in actum, cum aliquando sit non intelligens & fiat de non intelligente intelligens, Deus autem est actus purissimus, unde quidquid est substantia Dei, est ipse Deus & consequenter actus purissimus.

Tertiò. est substantia incompleta, cum sit forma corporis ordinata ad constituendum cum corpore unum totum videlicet hominem, ut definitum in Clem. un. de sum. Trin. & fid. cath. §. 1.

Quartò. Licet sit forma corporis tamen est spiritualis, quia à sacrâ Scripturâ vocatur Spiritus Eccl. 12. v. 7. *revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Col-  
ligitur

Igitur hoc ex modo operandi animæ nempe intellectuali, quo cognoscit per modum abstractionis, universalitatis, comparationis & reflexionis; talis autem modus excedit omnia corporalia, cum versetur circa res abstractas in universali independentè à loco & tempore, imò illa abstractio, quam facit anima per intellectum, se extendit ad omnes gradus quantumcunque superiores & analogos, sub quibus comprehenduntur etiam ipsæ res spirituales.

Quintò. Est immortalis, ut constat ex jam dictis, quia spirituale non habet in se principium corruptionis: cum à materiâ primâ corruptionis radice sit independens tam in fieri quam in conservari.

Sextò. Producta est anima in corpore organizato: quia anima naturaliter est forma corporis: ergo etiam producit à Deo non ante corpus organizatum, sed in corpore organizato: quia Deus communiter se naturis rerum conformat, & juxtà earum connaturalem exigentiam operatur. Plura de his in Physicâ.

**DICO. 3.** *Cum Deus possit immediatè formam materiam imprimere, consequens est, ut possit secundum quemcunque motum corpus quodcunque movere S. Th. hic. Q. 105. A. 2. O.*

Explicatur & probatur conclusio: omnis creatura hoc ipso quo creatura est, subest perfectissimo Dei dominio, unde non tantum seipso immediatè, sed etiam mediis causis secundis potest Deus in creaturis quaslibet mutationes non implicatorias efficere & è converso illas mutationes, quas mediis causis secundis efficit, etiam seipso efficere potest; cum non tantum Dei essentia infinita eminenter contineat essentias omnium rerum, sed etiam ipsius infinita potentia eminenter contineat omnium creaturarum secundarum virtutes operativas, hinc potest Deus  
illa

illa composita, quæ producuntur per generationem, etiam se solo producere non tantum creando, sed & materiæ præexistenti formam novam sine præviis aut concomitantibus dispositionibus uniendo, potest in corporibus quoscunque motus corporales causare, mutat & movet intellectum dando ei tam naturalem quam supernaturalem virtutem intelligendi & imprimendo ei species, movet voluntatem & physicè inclinando ipsam in objectum, & moraliter in quantum ipse tanquam summum bonum voluntati ab intellectu propositum in sui prosecutionem allicit. Movet omnia agentia ad agendum tanquam prima & universalissima causa, & cum ipsis & in ipsis, intimè operatur aliquando juxtà ipsarum inclinationem & ordinem rebus inditum, aliquando suprâ vel contrâ particularem ipsorum inclinationem, unde in omnibus creaturis est potentia obediens, quæ nihil aliud est, quam ipsa entitas creata ita perfectè Deo subdita, ut in ipsa & per ipsam fieri possit, quidquid non involvit contradictionem. De quibus omnibus videatur S. Th. I. in conclusione citat.

### QUESTIO III.

*An omnia sint in tempore producta & an potuerint ab aeterno produci?*

**D**ICO. I. *Non dicuntur in principio temporis res esse creata quasi principium temporis sit creationis mensura, sed quia simul cum tempore & calum & terra creata sunt. S. Th. hic Q. 46. A. 3. ad 1. sive omnia à Deo sunt in tempore producta.*

Conclusio est de fide & probatur ex illo Gen. I. *in principio creavit Deus calum & terram* quem textum ad excludendos errores circâ creationem optimè A. cit. Q. exponit S. Doctor & concludit: qua-

qua-



Quatuor ponuntur simul creata, scilicet calum empyreum, materia corporalis, qua nomine terra intelligitur, tempus & natura angelica, sed inceptionem mundi demonstrativè probari non posse hic A. 2. O. S. Th. doctè ostendit ex eo, quod omnis demonstratio desumatur à principiis intrinsecis rei vel extrinsecis; mundus autem ex principiis intrinsecis abstrahit ab omni determinato tempore, extrinsecum verò principium esset voluntas Dei, sed ex hâc nihil demonstrari potest, nisi circa illa, quæ Deus necessariò vult, mundum autem & omnes res creatas Deus liberè vult, ut suprâ de voluntate Dei ostensum est. Unde hæc conclusio probatur ex revelatione Dei, quæ tum loc. cit. tum alibi in sacrâ Scripturâ continetur. Ps. 89. v. 2. *Præquam montes fierent aut formaretur terra & orbis.* Joannis 17. v. 5. *præquam mundus esset.*

DICO. 2. *Antequam mundus esset, erat possibile mundum esse.* S. Th. hic. Q. 46. A. 1. ad 1. si ve mundus potuit esse ab æterno quoad entia permanentia, non quoad successiva.

Prima pars probatur; entia creata permanentia esse ab æterno non implicat neque ex parte Dei creantis, neque ex parte effectus faciendi, neque ex parte creationis; ergo: imprimis non repugnat ex parte Dei creantis; quia eandem habet potentiam ab æterno quam nunc habet, & eandem virtutem agendo liberè, quam si ageret ex necessitate naturæ, sed nunc potest creare mundum, & si ageret ex necessitate naturæ, ab æterno crearet, sicut Sol, si esset ab æterno, etiam ab æterno illuminaret. Deinde non est repugnantia ex parte creaturæ: quia non minus est possibilis ab æterno quam nunc, cum in tempore non inceperit esse possibilis; nec est impossibilitas aliqua creaturæ cum æternitate, ut

*Pars I. Theol. Schol.*

Z

pate-

patebit ex solutionibus argumentorum, tum quia de facto dantur creaturæ æternæ à parte post ut creaturæ incorruptibiles, ergo etiam dari possunt ex parte ante; tum quia licet creaturæ essent ab æterno, non tamen essent æternæ æternitate essentiali sed accidentali. Deniq; non repugnat ex parte ipsius actionis: quia actio Dei non est per motum successivum, sed est instantanea, unde non requirit tempus, sed potest esse ante omne tempus, & illa actio redderet æquè creaturam dependentem à Deo liberè operante, cum reciperet esse limitatum & dependens & fieret ex nihilo & ex non esse, non quia antecederet non esse duratione, sed prioritare naturæ, quatenus illa creatura non esset à se sed ab alio & à Deo causante.

*Obj.* Repugnat entia permanentia esse ab æterno. Primò quia non esset assignabile talis entis initium. Secundò quia non fieret ex nihilo: nunquam enim verum fuisset dicere, quod non erat. Tertio quia talis creatura non esset annihilabilis per æternitatem; quia vel duratio ejus tunc esset finita vel infinita, non infinita; quia tunc in totâ illâ non annihilaretur, non finita: quia alias duratio illa ab æterno usque ad illam annihilationem esset finita. Quartò quia Deus non crearet talem creaturam liberè, non enim est liber antequam crearet, quia non daretur ante; nec cum crearet: quia non poterat simul creare & non creare; nec post: quia ad præteritum non est potentia. Quintò quia talis creatura utpote infinita in duratione esset etiam infinita in esse.

*R.* ad 1. Talem creaturam non habituram initium durationis, licet haberet initium originis & causalitatis: æque enim dependeret à Deo tanquam causâ, ac modo. Ad 2. fieret ex nihilo, non quia nihil sit tempore prius, sed quod nihil sit prius naturâ; quia

quia si sibi relinqueretur, nihil esset, & sic esset ex nihilo id est ex nullo præexistente subjecto. Ad 3. talis creatura esset annihilabilis non ab æterno, sed in tempore: supposito enim quod res creatur sine initio durationis, oportet quod sine initio duret, unde illa res non esset variabilis in æternitate, sed tantum in tempore. Ad 4. quod Deus talem creaturam liberè crearet: cum absolutè posset talem creaturam non creare, licet ex suppositione, quod crearet, non posset non creare, & sic posset non creare, antequam crearet, antecedentiâ naturæ & causalitatis, licet non antecedentiâ durationis. Ad 5, quod infinitas in duratione, si non sit essentialis, sed tantum participata, non inferat infinitatem in essentiâ aut virtute rei durantis, sed tantum in virtute conservante illam in esse.

Secunda pars probatur: entia successiva sunt motus & generationes rerum; sed hæ non potuerunt esse ab æterno; ergo probatur mi. Primò motus successivus habet partes post partes; sed non potest dari ab æterno ens habens partes post partes: hoc enim ens si daretur ab æterno, habuit partem aliquam, quæ nunquam incepit, illa verò vel durasset tempore finito vel infinito; sed neutrum dici potest: non quod duraverit tempore infinito: tunc enim toto illo tempore non esset successio, sed permanentia, consequenter nec esset motus. Non etiam quod duraverit tempore finito: tunc enim illa pars durasset solum tempore finito, & illa quæ immediatè secuta est, tunc verè incepit & sic ab illâ computando usque ad istam partem motûs, quæ modo datur, dabitur inter illam & hanc inceptio & desinitio, ante illam verò partem motûs daretur alia pars etiam finita, finitum autem additum finitò nunquam facit infinitum, Nec est paritas de mo-

tu à parte post : quia ille posset in æternum durare per hoc, quod nunquam desineret, hoc autem non est habere partem aliquam motûs, quæ infinitè duraret, sed transire partes finitas sine ullo termino finiente, quod est esse in finitum syncategorematicè, res permanens si duret in æternum à parte post, unicâ duratione infinitâ durat : quia existit permanenter & non successivè, unde ex hoc quod res permanens possit in æternum durare ex parte post, bene infertur, quod possit etiam esse ab æterno, non tamen ex eo, quod motus possit esse æternus ex parte post, bene sequitur, quod possit esse æternus ex parte ante.

Secundò. Si possent esse generationes ab æterno, posset dari infinitum in actu videlicet infiniti homines geniti. Item si essent infiniti dies, posset qualibet die creari unus Angelus aut una stella, & sic jam essent actu infiniti Angeli & stellæ; nec satisfit dicendo : Deum posse divisivè quolibet die producere Angelum non autem collectivè in omnibus diebus : ex hoc enim quod produceretur in omnibus diebus divisivè Angelus, & dies sunt infiniti & Angeli perseverant (cum sine ratione dicatur, Deum debere tunc producto novo Angelo, alium annihilare) sequitur tunc infinita collectio Angelorum.

*Obj. 1.* Ignis ab æterno applicatus stupæ combussisset stupam, sicut sol ab æterno productus statim illuminasset; sed hoc non sine motu 2. cælum potest creari cum motu circulari ab æterno; cum motus circularis careat principio. 3. S. Th. solvit rationes aliorum contra Aristotelem statuentem mundum ab æterno, sed Aristoteles voluit mundum fuisse ab æterno cum motu; ergo videtur S. Th. sensisse : motum potuisse esse ab æterno.

*Res. ad 1.* Talis combustio non fietet ab æterno sed

sed post transactam infinitam durationem in tempore, in quo prius stupa posset corrumpi; illuminatio verò solis est motus instantaneus non habens partes post partes. ad 2. motus circularis caret principio ex parte mobilis non autem ex parte durationis: quia debet pars motus etiam circularis transire, & alia succedere. ad 3: S. Th. ab opinione Aristotelis recessit in hoc, quod statuerit mundum secundum præsentem statum fuisse ab æterno, & ostendit alios Aristoteli contrarios admittentes mobilia æterna, & non motum æternum insufficienter rationibus Aristotelis respondisse, cæterum sensit S. Doctor absolutè mundum potuisse esse ab æterno quantum ad substantiam aut creaturas permanentes, sed quod generationes & motus sive quod generabilia & corruptibilia secundum præsentem incipiendi & desinendi modum potuerint esse ab æterno, nulli exprimit.

#### QUÆSTIO. IV.

*An omnia sint producta simul? an divisim & quomodo?*

**DICO.** Deus creavit omnia simul quantum ad rerum substantiam quodammodo informem, sed quantum ad formationem, quæ facta est per distinctionem & ornatum, non simul. S. Th. hic Q. 74. A. 2. ad 2. hâc ratione S. D. conciliat expositionem S. Aug. cum expositione aliorum SS. PP. nam S. Aug. sex dies, quibus Deus dicitur omnia produxisse, sumit spiritualiter pro cognitione Angelica: quia omnia, quæ produxit Deus, etiam menti Angelicæ impressit; alij verò SS. PP. intelligunt sex dies propriè, quorum expositiones ut concordentur.

*Explicatur & probatur Conclusio: Deus creavit omnia simul ut inquit Eccles. 18. cap. Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul, & etiam successivè. Simul: quia primâ die creavit terram & aquam sive omnia elementa & itâ omnes alias res potentialiter, inquantum fuit creata omnium aliarum rerum materia, sed quasi informis, non quod nullam habuerit formam, sed quia non fuit sub propriis formis v.g. animalium, plantarum &c. Sed sub formis substantialibus elementorum; successivè autem omnia creata sunt quoad distinctionem & ornatum inquantum vel illa, quæ prius erant confusa diebus sequentibus sunt separata, ut terra discooperta aquis, vel inquantum in materiam existentem sub formis elementorum fuit introducta propria forma videl. plantæ, animalis &c. & per hoc bene conciliantur textus S. Script. apparenter oppositi; sœx igitur diebus Deus omnia produxit juxtâ illud Genes. 2. *Igitur perfecti sunt cali & terra & omnis ornatu eorum, complevitque Deus die septimo opus suum, quod pararat.* Facta est autem tum productio tum distinctio & ornatu omnium corporalium ordine sequente.*

Primò. Primâ die produxit Deus Cælum id est corpora cælestia, (& ut probabilius est, simul in Cælo Æmpyreo Angelos) & terram quo nomine intelliguntur omnia Elementa, deinde produxit lucem (quam S. Th. Q. 67. probat non esse corpus cum alias deberet moveri motu locali, quoties fieret illuminatio & consequenter illuminatio non fieret in instanti, nec substantialem aliquam formam sed accidentalem non intentionalem sed naturalem) cujus quatuor congruentias adducit S. Th. 1. Quia lux est qualitas primi corporis, unde mundi informitas, quoad lucem primò fuit tollenda. 2. Quia lux est qualitas communis, in quâ in-

In Cælo &  
creavit omnia  
simul ut inquit  
Eccles. 18. cap.  
Qui vivit in aeternum,  
creavit omnia simul,  
& etiam successivè.  
Simul: quia primâ die  
creavit terram & aquam  
sive omnia elementa  
& itâ omnes alias res  
potentialiter, inquantum  
fuit creata omnium  
aliarum rerum materia,  
sed quasi informis,  
non quod nullam  
habuerit formam, sed  
quia non fuit sub  
propriis formis v.g.  
animalium, plantarum  
&c. Sed sub formis  
substantialibus  
elementorum; successivè  
autem omnia creata  
sunt quoad distinctionem  
& ornatum inquantum  
vel illa, quæ prius  
erant confusa diebus  
sequentibus sunt  
separata, ut terra  
discooperta aquis,  
vel inquantum in  
materiam existentem  
sub formis elementorum  
fuit introducta propria  
forma videl. plantæ,  
animalis &c. & per hoc  
bene conciliantur  
textus S. Script. apparenter  
oppositi; sœx igitur  
diebus Deus omnia  
produxit juxtâ illud  
Genes. 2. *Igitur  
perfecti sunt cali &  
terra & omnis ornatu  
eorum, complevitque  
Deus die septimo  
opus suum, quod  
pararat.* Facta est  
autem tum productio  
tum distinctio &  
ornatu omnium  
corporalium ordine  
sequente.

Primò. Primâ die  
produxit Deus Cælum  
id est corpora cælestia,  
( & ut probabilius est,  
simul in Cælo Æmpyreo  
Angelos) & terram  
quo nomine intelliguntur  
omnia Elementa,  
deinde produxit lucem  
(quam S. Th. Q. 67.  
probat non esse corpus  
cum alias deberet  
moveri motu locali,  
quoties fieret  
illuminatio &  
consequenter  
illuminatio non  
fieret in instanti,  
nec substantialem  
aliquam formam  
sed accidentalem  
non intentionalem  
sed naturalem) cujus  
quatuor congruentias  
adducit S. Th. 1.  
Quia lux est  
qualitas primi  
corporis, unde  
mundi informitas,  
quoad lucem primò  
fuit tollenda. 2.  
Quia lux est  
qualitas communis,  
in quâ in-

feriora corpora communicant cum superioribus, sicut autem cognitio ita & operatio incipit à communiore. 3. Ex S. Basilio quia per lucem omnia alia manifestantur. 4. Quia dies non potest esse sine luce, igitur lux debuit fieri primâ die.

*Dices*: Sol est causa lucis distinguens diem & noctem; atqui Sol fuit productus die quarta; ergo.

*R.* Distinguendo mi. Sol fuit productus die quarta quantum ad substantiam & quantum ad virtutem illuminativam in communi N. quantum ad virtutem specialem secundum quam diversificantur dies ad invicem menses & anni. Con.

Secundò. Secunda die fecit Deus firmamentum, quod divideret aquas ab aquis. Quod si nomine firmamenti intelligatur Cælum sydereum, in quo sunt stellæ fixæ, supposito, quod cælum sit Corpus essentialiter distinctum ab Elementis, est hoc intelligendum, quod firmamentum sit factum non quoad substantiam sed quoad ornatum & distinctionem & sic divideret aquas alterius rationis, quæ essent supra Cælum ab aquis quæ essent infra Cælum, sed per firmamentum intelligendo crassio rem partem aeris, in quâ condensantur nubes & quæ propter spissitudinem suam vocatur firmamentum, factum est illud quoad substantiam secundâ die & divisit aquas pluviales ab aquis maris & fluminum; dicitur autem Cælum hoc sensu, quo ac dicitur cælum, sic enim volucres aeris vocantur volucres cœli.

Tertiò. Tertia die sublata est informitas terræ: quia terra prius cooperta aquis & invisibilis nudata est, & aquæ congregatæ sunt in unum locum, ut terra esset habitabilis hominibus & animalibus terrestribus, & esset apta ad germinandam herbam & plantas, deinde terra fuit ornata herbis & plantis, vel formaliter, in quantum omnium herbarum & plantarum species sunt

productæ, quæ vel in radice vel in stipite, vel in fructu habebant virtutem feminalem similes herbas & plantas progerminandi, vel causaliter in quantum terra accepit vim ex se emittendi herbas & plantas.

Quartò. Tribus sequentibus diebus complevit Deus opus ornatûs, unde Deus quarto die produxit duo Luminaria magna (ideo sic dicta non quod sint majora quantitate aliis stellis, sed quia majora sunt aliis efficacità & virtute) vid. Solem & Lunam, non quoad substantiam, sed dando ipsis specialem & determinatam virtutem. Quinto die Deus ornavit Elementum aquæ producendo in eo pisces & animalia aquatica. Dicitur autem aqua producere talia; quia Elementum vel Elementatum accepit virtutem, ut ex ejus materiâ virtute feminis vel stellarum possint talia produci, quæ virtus in prima rerum productione communicata non fuit. Sexto die ornavit terram ultimum Elementum animalibus terrestribus, & produxit Bestias, id est animalia sæva ut urfos & leones; reptilia, id est: animalia, quæ vel non habent pedes, quibus eleventur à terrâ, ut: serpentes; vel habent pedes breves, quibus parum eleventur, ut: lacertæ vel formicæ; & quadrupedia, sub quibus reliquæ species comprehenduntur. Et ultimò omnium produxit Deus perfectissimum animal hominem ad imaginem & similitudinem suam, in quantum ei suas perfectiones proprias participative impressit dando animam spiritualem intellectu & voluntate dotatam, Corpus Adæ faciendo ex limo terræ, & Corpus Evæ ex Costâ Adæ dormientis propter mysticas rationes à Commentatoribus S. Scripturæ adduci solitas, animam verò utriusque ex nihilo produxit; Congruentia autem, quare homo sit productus ultimò, est: quia omnia alia sunt ordinata à Deo in utilitatem hominis.

Demum Deus die septimo complevit; id est: perfecit

om.



omnia opera sua quælibet in debitas operationes suas movendo, & requievit: id est: cessavit à novis Creaturis condendis: cum nihil postea fecerit, quod non aliquo modo præcesserit in primis operibus. Requievit etiam in quantum nullarum rerum indigens & nullam à rebus conditis felicitatem obtinens in seipso sibi solus sufficientissimus fuit & mansit infinite beatus. Benedixit etiam diei septimo non solum in quantum Creaturis benedixit ut multiplicarentur, sed etiam sanctificavit illum in quantum diem illum cultui suo & venerationi specialiter deputavit eò quod in illo cessaverit à productione novarum creaturarum. *Competit* (inquit S. D. hic Q. 73. a. 3. O.) *Septima diei sanctificatio: maximè enim sanctificatio cuiuslibet attenditur in hoc, quod in Deo requiescit.* Et hæc breviter dicta de Creaturarum omnium productione sufficiant. Relictâ igitur Philosophis naturalibus consideratione aliarum creaturarum solum ad præcipuas Creaturas videlicet Angelos & homines pertinentia, præcipuè illa, quæ lumen naturale excedunt, deinceps attingemus. Unde fit

## DISPUTATIO XXIII.

*De substantia & loco Angelorum.*

**S**UPREMÆ inter omnes Creaturas sunt Angeli, quos Philosophi antiqui intelligentias & substantias separatas appellant, de his plures inter Theologos sunt controversiæ, eò quod nec per rationem naturalem nec per sacram Scripturam decidi possint multa, quæ de Angelis quærentur.

## QUÆSTIO I.

*An in rerum naturâ sint Angeli incorporei & incorruptibiles?*

**S**UPPONO: Angelus nomen officii est, non naturæ, significat enim nuntium, unde in rigore non convenit

venit cœlestibus Spiritibus, nisi quando pro Deo legatione funguntur, communiter tamen illud nomen omnibus substantiis spiritualibus separatis creatis attribuitur, licet enim omnes non mittantur, omnes tamen idonei sunt ut mittantur, habent enim quatuor dotes legato necessarias. Primò Velocissimam agilitatem. Secundò. Perfectissimam rerum agendarum intelligentiam. Tertiò. Promptissimam obedientiam. Quartò. Denique inviolabilem fidelitatem.

DICO 1. *Ad perfectionem universi requiritur, quod sint aliqua Creatura intellectuales* S. Th. hic Q. 50. a. 1. O.

Probatur: Dari Angelos tam clarum est ex Scripturâ ut S. Greg. M. hom. 34. in Evang. dicat: *Esse Angelos & Archangelos penè omnes sacri eloqui pagina restantur*, eorum existentiam etiam suadent varii effectus, quos videmus in energumenis, magis, incantatoribus, qui sæpius secreta revelant, ignotis linguis loquuntur, in aëra feruntur, tempestates movent non propriis virtutibus, quas tam insoliti effectus excedunt, nec speciali Dei auxilio, qui miracula non patrat ad voluntatem iniquorum; ergo id præstant ope Spirituum corpore immunium.

Probatur etiam ex Conc. Lateran. relato in Cap. firmiter de sum. Trin. ubi dicitur: *Quod Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit Creaturam Spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam ac deinde humanam quasi communem ex corpore & Spiritu constitutam.*

DICO 2. *Licet in Angelo non sit compositio formæ & materiæ: est tamen in eo actus & potentia.* S. Th. hic Q. 5. a. 2. ad 3. Sive licet Angeli non sint puri actus hoc ipso quod creaturæ sunt, sunt tamen incorporei.

Probatur: Perfectio universi exigit naturas perfectè in-

intellectuales & pure spirituales nullum dicentes ordinem ad corpora: quia universum debet assimilari Deo secundum illud, secundum quod à Deo procedit, si talis assimilatio sit possibilis, sed universum procedit à Deo per intellectum & voluntatem; ergo in universo debent esse naturæ, quæ divinam intellectualitatem quantum possibile est, exprimant; atqui divina intellectualitas magis per naturas ab omni corpore & ab omni ordine ad corpus immunes exprimitur, ergo admittendæ sunt ejusmodi naturæ & eos Angelos nominamus.

Dices: S. Aug. lib. 83. Q. Q. Quæst. 47. Angelis tribuit corpora lucidissima & ætherea: *Angelica corpora, qualia nos habituros speramus lucidissima atque ætherea esse credendum est.* Item enarrat. in Pl. 85. de corpore humano ait: *comparatum corpori illi, quod futurum est, qualia sunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis mortuum, quamvis adhuc habens animam.*

R. 1. Si revera senserit S. Aug. locis citatis Angelos habere corpora, sententiam illam retractavit lib. 1. retract. ubi super Quæst. 47. ita: *quod dixi Angelica corpora, qualia nos speramus habituros, lucidissima atque ætherea esse credendum est, si hoc sine membris, qua nunc habemus & sine substantia quamvis incorruptibilis tamen carnis accipiatur, erratur.*

R. 2. Cum S. Th. hica. 1. ad 1. ad Autoritatem S. Joannis Damasc. *Substantia incorporea medium sunt inter Deum & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad unum extremum videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum & hâc ratione dicitur, quod Angeli Deo comparati sint materiales & corporei, non quod in eis sit aliquid de naturâ corporeâ.*

DICO 3. *Necesse est dicere, Angelos secundum suam*

*suam naturam esse incorruptibiles. S. Th. hic Q. 90.  
a 5. O.*

*Probatur:* Quod caret omni materiâ est incorruptibile: quia principium corruptionis est materia, quæ suâ potentialitate est principium corruptionis: eò quod capax sit plures formas successivè recipere, idè ejus capacitas per unam formam non expletur totaliter; atqui natura Angeli caret materiâ: si enim materiam haberet Angelus vel haberet corpoream vel spiritualem, si haberet materiam corpoream esset corporeus, cujus oppositum præcedenti conclusione probatum est; non habet etiam materiam spiritualem: quia implicat materia spiritualis: materia enim est pura potentia, spiritualitas verò est actus.

*Obj. 1.* Anima nostra quamvis sit spiritualis & incorruptibilis, non tamen propterea definit esse forma corporis; ergo similiter Angelicæ spiritualitati non oberit aptitudo ad informandum aliquam materiam.

*R.* Negando consequ. disparitas est: quod anima rationalis sit spiritualis quidem, sed ens incompletum & in infimo gradu intellectualis naturæ, unde potest esse forma corporis, Angelus autem est natura spiritualis completa in altiori gradu naturæ intellectualis.

*Obj. 2.* Angelus potest assumere corpus alienum: ut patet ex pluribus historiis sacris imò communior sententia est, apparitiones tum in veteri tum in novo testamento relatas tribuendas esse Angelis in assumptis corporibus personam Dei quandoque repræsentantibus; ergo etiam poterunt sibi naturaliter unita corpora habere.

*R.* Negando consequentiam: quia Angeli quidem possunt assumere corpora aliena, sed ea non informare; igitur assumpto corpori unitur Angelus non tanquam forma vivificans & subsistentiam suam communicans, sed tanquam motor mobili, unde corpus assumptum

assumptum ab Angelo non exercet opera vitæ, cum non habeat formam vivificantem sed solum motum imprimentem, non potest tamen assumere corpus, cui unitur physicâ unione, ex quâ resultet physica compositio, est enim Angelus forma completa. Quod si quæras ex quâ materiâ fiant corpora assumpta ab Angelis? respondetur juxta S. Th. hic Q. 51. a. 2. ad 3. materiam communiorem corporum assumptorum esse aërem, cujus signum est, quod multi voluerint secare corpora assumpta à Dæmonibus, nec potuerunt, quia statim partes continuantur; materia enim aëris facillè condensari & figurari potest & per lucidi corporis oppositionem diversimodè colorari ex variâ luminis reflexione, efficiunt autem id Angeli quandoque virtute divinâ, quandoque virtute propriâ; virtute divinâ, si figuratio talis ordinetur ad repræsentanda mysteria & effectus gratiæ; virtute verò propriâ, quando sit simplex assumptio, quæ sæpius instituitur à Dæmone ad malos fines, quibus Deus ut Author specialis cooperari non potest.

*Obj. 3.* Res materiales & corpore possunt in Angelos agere, ignis enim illos torquet in inferno, fumus piscis Tobix fugabat Dæmonium, Cythara Davidis depellebat spiritum malum à Saule; ergo Angeli habent materiam hujusmodi corporearum impressio- num patibilem & susceptivam.

æ. Corpora virtute divinâ, cujus sunt instrumenta possunt agere in Spiritus, sic ignis cruciat Diabolos, fumus piscis Tobix omne genus Dæmoniorum expellit, Melodia Cytharæ Davidis eatenus fugabat Saulis Dæmonium, quatenus atram ejus bilem temperabat, quam Dæmon ad eum vexandum permovebat & perturbabat.

*Obj. 4.* In script. Angelis tribuitur vis generandi & periculum concupiscendæ forma femineæ Gen. 6. v 2.

*Videm-*

*Fidentes Filii Dei* (vel juxtà versionem 70. *Angeli*) *Filias hominum*, quod essent pulchra, acceperunt sibi uxores ex omnibus. 1. Cor. II. Præcipit Apostolus velari mulieres in Ecclesiâ propter Angelos; ergo sunt corporei.

R. In 1mo loco per Angelos intelliguntur posteri Seth, qui propter probitatem Angeli vel Filii Dei vocantur. In 2do loco nomine Angelorum intelliguntur Sacerdotes.

*Obj. ult.* Solus Deus est immortalis & incorruptibilis; ergo Angeli non sunt immortales & incorruptibiles.

R. Immortalitas alio modo convenit Deo & alio modo Angelis, Deo à se & per essentiam, Angelis dependenter & cum non repugantiâ ad hoc, ut destruantur à Deo, à quo possunt in nihilum redigi, si Deus concursus suum subtrahat, sed quia ille concursus titulo connaturalitatis debetur naturæ incorruptibili & indefectibili non minus, quam igni concursus ad comburendum, fit inde, quod simpliciter dicantur Angeli indefectibiles & incorruptibiles.

## Q U Æ S T I O II.

*An omnes Angeli specie distinguantur?*

**S**uppono 1. Angelos esse multitudinem innumeros Dan. 7. v. 10. *Millia millium ministrabant ei.* Job. 25. v. 3. *Numquid est numerus militum ejus & quidem juxtà S. Th. numerus Angelorum excedit numerum omnium specierum sublunarium: quia quanto aliqua præcipua pars universi principaliter intenta est nobilior in modo & gradu essendi, tantò majorem habet super alia excessum in magnitudine & multitudine, ideò cœlestia corpora in magnitudine excedunt sublunaria, plura sunt individua hominum, quam species brutorum, sed Angelus in gradu essendi excedit omnes creaturas; ergo etiam omnes illarum species in numero*

mero excedit cum magnitudine utpote quantitatis ex-  
pers excedere non possit.

*Suppono 2.* Multitudo illa Angelorum dividitur in 3.  
hierarchias: hierarchia est multitudo ordinata sub uno  
sacro principe; tot igitur erunt hierarchiæ Angelicæ,  
quot modis Angeli percipiunt gubernationem supe-  
rioris, cum autem Angeli utpote Spiritus pari non  
possint aliis propriè subjici, nisi ratione cognitionis,  
triplex est gradus in cognitione Angelicâ; quidam  
enim Angeli immediatè à Deo illuminantur, alii res cog-  
noscunt in principiis universalioribus, alii denique in  
propriis & immediatis causis, sicut in monar-  
chiâ humanâ ministri regis vident regni dispositionem  
in voluntate regis, Senatores vident illam in legibus  
& sanctionibus Regni, Judices verò locorum in con-  
suetudinibus & statutis localibus; ità Angeli primæ  
hierarchiæ sunt veluti Aulici divinitatis. Angeli hierar-  
chiæ secundæ præsent regimini generali orbis. An-  
geli hierarchiæ tertiæ circa regna provincias vel perso-  
nas peculiariter operam suam navant, prima igitur  
hierarchia est Angelicus cœtus ordinatus recipiens illu-  
minationes immediatè à Deo, easque transfundens  
Angelis secundæ hierarchiæ. Secunda est Angelicus  
cœtus ordinatus recipiens illuminationes ab Angelis  
primæ hierarchiæ & illas transfundens tertiæ. Tertia  
hierarchia est Angelicus cœtus ordinatus recipiens di-  
vinas illuminationes ab Angelis secundæ hierarchiæ  
easque transfundens non Angelis sed hominibus.

*Suppono 3.* In quâlibet hierarchiâ esse tres Cho-  
ros & ordines, quia in omni multitudine bene ordinâ-  
tâ debent esse diversi ordines & gradus variis officiis  
& functionibus destinati; sicut igitur in omni civitate  
triplex ordo reperitur, quidam supremi sunt ut nobiles  
& optimates, quidam infimi, ut plebei, quidam me-  
dii, sic in quâlibet hierarchiâ Angelicâ ponitur ordo su-  
premus,

EXIII.  
em 70. Angeli  
, accerunt su  
Præcipi Apostolum  
ngent; ergo sunt  
relligunt posteri  
vel Filii dei vo-  
tum indignantur  
& incorrupti  
incorruptio  
Deo & aliis  
Angelis depen-  
ur destruantur  
, si Deus con-  
curtus titulo  
bit & inde-  
s ad combu-  
tur Angeli in-  
numeris Dan-  
rabant ei, Job  
em eius & qui-  
m excedit nu-  
m: quia quando  
aliter intenta est  
tudo majorem  
e & multitudine  
excedunt sub-  
t, quam species  
adi excedit om-  
ni species in nu-  
mero

premus, Medius & infimus. In primâ hierarchiâ, cujus est assistere Deo & rationes rerum in ipso immediatè cognoscere, sunt: *Seraphim* sic dicti, quia accensi amore Dei. *Seraphim* sunt Spiritus præ cæteris ardentes amore Dei eoque incendentes alios. *Cherubim*, qui plenitudo scientiæ dicuntur. *Cherubini* sunt Spiritus Magistri plenitudine scientiæ abundantes præ cæteris omnibus inferioribus, in quos eam transfundunt. *Throni*, in quibus residet divina Majestas. *Throni* sunt Spiritus, quibus Majestas immediatè insidet tanquam Judex. Secunda Hierarchia, cujus est considerare res in speciebus universalibus, & ad quam pertinet dispositio universalis de agendis, dividitur in *Dominationses Virtutes* & *Potestates*: quia ad gubernationem tria pertinent, distinctio & distributio agendorum, quæ pertinet ad *Dominationses*; facultas ad implendum, quam præbent *virtutes*; ordinatio exequendorum, quam intimant *potestates*; *Dominationses* sunt Spiritus dominatum exercentes in gubernatione hominum quin & Angelorum inferiorum se, quos ad obediendum habent subditos tanquam Domini, *Virtutes* sunt Spiritus in fortitudine excellentes ad patranda miracula, corroborandos inferiores Angelos ad munia sua perficienda. *Potestates* sunt Spiritus cohibentes Dæmonis potestatem eamque exercentes in Angelos inferiores ordinando agenda ab ipsis. In tertiâ hierarchiâ, quæ considerat rationes secundum determinationes speciales, & ad quam pertinet operis executio, sunt *Principatus Archangeli* & *Angeli*: quia in executione rerum alii ducunt & dirigunt, ut in bello duces, & hoc pertinet ad principatus; alii sunt partim regentes partim exequentes ut ministri subalterni exercitûs, & hoc pertinet ad Archangelos; alii denique simpliciter exequuntur, ut milites & hujusmodi sunt Angeli. *Principatus* sunt Spiritus suo moderamine principantes An-  
gelis



gelis inferioribus, terrenis quoque regnis ac principatibus, quos instituunt, custodiunt, regunt ac mutant. Archangeli sunt Spiritus nuntiantes res majoris momenti & eminentiores, eminentes inter Angelos custodes. Angeli sunt Spiritus custodes hominum privatorum & nuntii rerum minoris momenti. Contrahitur autem de his omnibus, de facto an quilibet Angelus speciem suam ita compleat, ut à quolibet alio non solo numero, sicut homo ab homine, sed per differentiam specificam distinguatur, & de possibili an plures ejusdem speciei solo numero distincti Angeli dati possent.

DICO. *Si Angeli non sunt compositi ex materia & forma... sequitur, quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei.* S. Th. hic Q. 50 a. 4. O. Sive Angeli omnes de facto sunt specie distincti, nec est possibile eos solo numero multiplicari.

*1ma Pars Probatur:* In Angelis cessat finis, quem in numericâ multiplicatione natura intendit finis enim numericæ multiplicationis est, ut species rerum corruptibilium, quæ in uno non potest conservari, in pluribus conservetur; atqui species Angeli utpote incorruptibilis in unico individuo conservatur; ergo Angeli non differunt solo numero.

*2da Pars Probatur:* ratione in conclusione adducta; in quibus idem est principium distinguens numericè, quod distinguit specificè, illa non possunt multiplicari numericè, quin simul multiplicentur specificè: quia sicut distinctio specifica provenit ex aliquo principio specifico, ita distinctio numerica provenit ex aliquo principio numerico, unde si aliud non sit principium numericum, quam specificum, multiplicato numerico hoc ipso multiplicatur principium specificum, & consequenter etiam distinctio specifica atqui in Angelis idem est principium distinguens numericè,

ricè, quod distinguit specificè: quia Angeli sunt formæ completæ per se subsistentes sine materiâ & ordine ad materiâ, ideoque non habent aliud principium individuale quam ipsam formam, quæ etiam est principium distinctionis specificæ; ergo in Angelis idem est principium distinctionis numericæ & specificæ & consequenter tot debent esse species, quot individua.

*Obj. 1.* Animæ separatæ distinguuntur numero, & tamen sunt formæ spirituales; ergo etiam Angeli licet sint formæ spirituales tamen possunt multiplicari solo numero.

*R.* Negando consequentiam: quia formæ, quæ sunt receptibiles in materiâ, individuantur per materiâ saltem connotatam, illa autem forma, quæ non est receptibilis in materia sed per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio, & ideo natura, quæ caret materiâ, licet possit esse & sit de facto una numero, hoc ipso quod caret materiâ & quantitate distinguente & multiplicante, non potest tamen esse multiplex numero: quia multiplicatio numerica est effectus formalis quantitatis; sicut igitur repugnat habere effectum formalem sine formâ saltem connotatâ, ita repugnat habere multiplicationem ejusdem naturæ sine connotatione quantitatis.

*Obj. 2.* Dantur plures cognitiones Angeli solo numero distinctæ, & tamen illæ non sunt minus spirituales quam essentia Angeli; ergo potest aliquid spirituale nullum dicens ordinem ad materiâ solo numero distingui.

*R.* Sicut forma substantialis multiplicatur numero per ordinem ad materiâ, ita accidentia individuantur per ordinem ad subjectum, accidentia materialia per subjectum materiale, spiritualia per subjectum spirituale, ideoque cognitiones Angelicæ distinguuntur numero per ordinem ad subjectum, non quidem

nudè

nudè consideratum, sed prout connotat alias & alias partes temporis Angelici invicem succedentes.

*Obj. 3.* S. Th. opusc. 16. §. 6. ferè circa medium dicit, *Dato, quod non esset de naturâ intellectus, quod multiplicaretur, non tamen propter hoc oporteret, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem;* ergo eodem modo licet Angeli de potentiâ ordinariâ non multiplicentur specie & numero, non tamen repugnabit potentiâ divinâ producere Angelos solo numero distinctos.

*R.* De mente S. Th. dubitari non posse patet tum ex conclusione tum ex Q. 75. a. 7. O ubi dicit: *Non potest intelligi, quod aliqua forma separata sit, nisi una unius speciei.* & Q. un. de spirit. Creat. a. 8. *Si Angelus est forma simplex abstracta à materiâ, impossibile est etiam fingere, quod sint plures Angeli unius speciei, quia quacunque forma, quantumcunque materialis & infima, si ponatur abstracta vel secundum esse vel secundum intellectum, non remanet nisi una in specie una.* Quibus apertè insinuat S. D. solius multiplicationis numericæ principium esse materiam, à quâ vel per ordinem ad quam dantur sub unâ specie plura individua. Ergo juxta mentem D. Ang. multiplicatio numerica Angelorum implicat. Et loco cit. loquitur de substantiâ spirituali incompletâ, quæ licet in se non habeat multiplicationis numericæ principium, tamen solo numero multiplicari potest per ordinem ad materiam, cui unibilis est.

*Obj. 4.* Quod est capax plurium personalitatum & subsistentiarum, est etiam capax plurium individuationum; subsistentia enim est terminus individuationis substantialis; sed natura Angelica est capax plurium personalitatum; posset enim natura divina assumere naturam Angelicam, & tunc destrueretur propria personalitas, & personâ divinâ iterum naturam assumptam dimittente

resultaret alia personalitas Angelica numero distincta à primâ.

32. Distinguendo mi. natura Angelica est capax plurium subsistentiarum respectu ejusdem individui, in quo sibi succedere possunt Con. in diversis individuis N. subsistentia enim non est principium individuationis sed terminus ejus, unde de se non adfert pluralitatem individuorum, sed sequitur conditionem individui, in quo est.

### QUÆSTIO III.

*Quomodo Angelus sit in loco & per quid?*

**S**Uppono: Angelos in loco esse. Patet ex script. Gen. 18. & 19. dicuntur Angeli venisse ad Abraham & Loth, Apoc. 12. dicitur de Angelis Apostatis: *Negue locus inventus est eorum amplius in cælo.* Dupliciter autem potest aliquid esse in loco: primò circumscriptivè, quod fit per commensurationem rei locatæ cum corpore locante, ita ut superficies convexa corporis locati correspondeat superficiei concavæ corporis locantis, & tota res toti loco ac partes rei partibus loci respondeant; & taliter Angelos non posse esse in loco constat, cum non sint corporei careantque quantitate molis. Secundò aliquid potest esse Analogicè in loco vel definitivè id est: ut sit simpliciter indistans à re præsentis tali loco & ità Angelus præsens potest esse in loco. Sed quæritur per quid Angelus sit definitivè in loco.

**DICO.** *Per applicationem virtutis Angelica ad aliquem locum qualitercunque dicitur Angelus esse in loco corporeo.* S. Th. hic Q. 52. a. 1. O.

*Probatur:* Ut Angelus sit præsens in loco, debet necessariò contingere locum per aliquid reale, ratione cujus reddatur intimè præsens & indistans copori locanti vel spatio, cui præsens est: sicut enim corpora for-

formaliter constituuntur in loco circumscriptivè per contactum formalem superficiei corporis Ambientis; ità Spiritus, qui solam habet quantitatem virtutis, constituitur in loco per contactum virtutis; atqui Angelus non ratione alterius quam operationis attingit locum, non enim ratione intellectûs, purè speculativè locum vel corpus locatum cognoscendo; intellectus quippe fertur in absentia. Neque ratione substantiæ Angelicæ: quia hæc utpote spiritualis nullam habet proportionem cum loco corporeo & est de se indifferens, ut sit vel non sit in loco, sit in hoc vel illo loco, & cum sit indivisibilis, non potest esse ratio, cur modò sit in majori, modò in minori loco; ergo restat, ut Angelus sit tantum in loco per suam virtutem non quidem in actu primò consideratam; cum Angelus diversum vel inæquale spatium occupans eandem habeat virtutem in actu primò, sed per virtutem in actum secundum redactam, quâ majori vel minori spatio occupatur, prout majorem vel minorem locum sibi subjicit.

*Obj. 1.* Angelus debet esse necessariò in loco: nec enim Angelus potest se eximere ab omni loco reali vel imaginario: quamvis enim fugiat, super vel intrâ vel extra mundum invenietur, licet nullatenus ad extrâ operetur.

*R.* Negando ant. ut expressè docet D. Ang. in 1. dist. 37. Q. 3. a. 1 ad 4. *Non reputo inconveniens, quod Angelus sine loco possit esse & non in loco, quando nullam operationem circà locum habet nec est inconveniens ut tunc nusquam vel in nullo loco esse dicatur, quare dicendum, si Angelus creatus fuisset ante mundum. tunc nullibi fuisset Angelus nisi in Deo, nec Deus nisi in seipso.*

*Obj. 2.* Priùs est rem esse, quam operari; ergo etiam prius est esse in loco, quam operari in loco: unum enim ex prærequisitis ad operandum immediatione sup-

A 1 ;

positi

positi est præsentia & approximatio agentis ad passum; ergo prius est Angelus in loco per substantiam antequam operetur.

**R.** Negando vel Distinguendo consequens: prius est esse in loco quam operari naturâ, & secundum quod operatio est productiva effectûs. Con. tempore & secundum quod operatio est contactiva loci N. simili modo aliud consequens distinguitur: prius est Angelus in loco, tempore & in genere causæ efficientis vel formalis N. prius est in loco naturâ aut in genere causa materialis Con. operatio duo præstat munia inadæquata. Primò quod sit conjunctiva & applicativa Angeli ad locum. Secundò quod sit productiva effectûs, juxtâ primam considerationem præsupponitur in genere causæ materialis sibi ipsi, ut acceptæ in posteriori consideratione, non est igitur necesse, ut præexigatur immediata præsentia ad passum tempore vel in omni genere causæ, sed sat est, quod per ipsam operationem fiat formaliter præsens, sicut, licet ad recipiendam animam requiratur corpus organicum, non tamen prærequiritur, sed in ipso ingressu fit organicum.

**Obj. 3.** Angelus potest quiescere in aliquo loco, ergo operatio non est ratio formalis, quâ Angelus sit præsens loco.

**R.** N. consequentiam: quia Angelus quiescit in loco non desinendo operari circâ illum, sed quiescit in uno loco, quando non movetur ad alium, non movetur verò, quamdiù circâ idem spatium actione versatur.

**Obj. 4.** Angeli Custodes sunt nobis semper præsentés, & tamen non semper circâ nos agunt; ergo operatio non est ratio præsentia.

**R.** Angelos Custodes ferè semper formalis præsentia adesse suis clientibus: quia sicut sunt assidua

dua

dua pericula corporis & animæ, ita sunt assidue operationes, quibus illa amoliuntur, quod si aliquando circa clientem suum Angelus non operetur, non ideo dicitur illum relinquere, adest enim illi non quidem localiter sed quantum ad effectum custodiæ, quia ut dicit S. D. hic. Q. 113. A. 6. ad 3. *cum est in celo, cognoscit, quid circa hominem agatur, nec indiget morâ temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.*

*Obj. 5.* Spiritus damnati sunt in inferno, & tamen ibi non agunt, sed potius patiuntur.

*R.* Damnatos in inferno multa agere & pati agunt enim alii in alios, se invicem discruciendo, agunt in animas reproborum ut tortores divinæ justitiæ, patiuntur verò ab igne, à quo violenter detinentur & alligantur, licet ergo ratio existendi in loco conaturaliter sit operatio, ratio tamen existendi in loco violenter est passio.

Inferitur ex his 1. Angelum posse occupare locum indivisibilem & divisibilem seu extensum, non tamen posse esse ubique seu in omni loco: quia cum Angelus per voluntariam virtutis suæ applicationem sit in loco, non debet illi præfigi locus indivisibilis, & quo habet majorem virtutem, eò ad majorem locum potest se extendere, verum, quia virtus illa est finita, & determinatam activitatis spheram habet, non potest esse ubique.

Inferitur 2. Angelum posse esse formaliter in duobus locis inadæquatis & à se invicem intrâ spheram activitatis distantibus. Ratio est: quia quodlibet spatium contentum intrâ spheram activitatis Angelicæ est subjectum ipsius liberæ operationi, ut pro suo libitu possit in illo operari vel non operari, nihil agendo in partes intermedias, quo casu erit simul in duobus locis inadæquatis, quod ipsum legi-

tur sæpius factum in Scripturâ, cum Angelus occidit pri-nogenita Ægypti Israelitas præteriens, cum cæcitate percussit Sodomitas ab invicem distantes: runcenim operatio Angeli fuit recepta in partibus à se invicem distantibus, non tamen potest Angelus esse in duobus locis inadæquatis, quando distantia est major sphærâ activitatis: quia Angelus non potest extrâ sphæram adæquatam suæ activitatis agere; atqui, si in locis inadæquatis ultrâ sphæram activitatis distantibus existeret, ultrâ sphæram activitatis suæ ageret v. g. si sphæra Angeli contineret spatium 20. milliarium, si illius partes pro libitu posset dividere, fieret, ut per unum milliare operaretur in Indiâ, per alterum in Germaniâ, per unum in cælo, per alterum in aère, & sic simul & semel loca distantissima occuparet, quod est contrâ Script. & SS. PP. ex quibus discimus Angelos moveri de uno loco ad alium, de cælo descendere ad terram. Et S. Damascenus lib. 2. de fide Orthod. cap. 2. dicit: *cum sint in cælo, in terrâ non sunt, & in terram à Deo missi non remanent in cælo... intellectualiter adsunt, & operantur, ubicunque jussi fuerint, & non possunt secundum idem hic & illic esse & operari.*

Infertur 3. Angelum non posse esse naturaliter in duobus locis adæquatis: quia locus adæquatus Angeli exhaurit totam virtutem naturalem; ergo illum non potest naturaliter prætergredi, alias nulla posset esse ratio, cur non posset esse in omnibus locis. Dixi: naturaliter, quia cum Angelus sit in loco per operationem, sicut potest augeri virtus operativa illius, itâ & ipse potest ultrâ locum adæquatam supernaturaliter protendi.

Infertur 4. Plures Angelos posse esse in eodem loco materiali: quia Angeli possunt in eodem spa-  
tio



tio vel effectus diversæ rationis vel etiam ejusdem tanquam causæ partiales & subordinatæ producere, sicut Mar. 5. v. 9. dicitur in eodem corpore fuisse Legionem Dæmonum. Dixi : in eodem loco materiali, quia locus formalis Angeli desumitur ex virtute operativâ determinatâ per operationem adæquatam, itâ, ut illud spatium sit formaliter unus locus, ad quod Angelus per suam virtutem operativam & operationem adæquatam potest se extendere; cum igitur idem effectus non possit simul dependere à duabus causis totalibus non subordinatis, plures Angeli non possunt esse in eodem loco formali, si nimirum quilibet agat actione totali.

Infertur 5. Unum Angelum non posse esse physicè præsentem in alterius essentiâ : quia physicus illapsus & operatio in substantiam Angeli Deo soli convenit, à quo Angelus in suo esse & conservari physicè dependet, possunt tamen Angeli fieri sibi invicem præsentem vel per accidens ratione corporum, quæ assumunt, aut in quæ agunt, vel morali quâdam præsentia, cum unus alteri loquitur, imperat, alterum illuminat.

Infertur 6. Perfectiori Angelo correspondere majorem, minus perfecto minorem locum : quia quâto perfectior est Angelus, tantò perfectior est virtus activa & major sphaera activitatis, adeoque major locus.

#### QUÆSTIO IV.

*De motu locali Angelorum & assumptione corporum.*

**S**uppono 1. Certum est Angelum posse moveri localiter : cum id tradat Scriptura Job 1. v. 7. *circumvi terram & perambulavi eam* Is. 6. v. 6. *volavit ad me unus de Seraphim* Matth. 28 v. 2

A a §

Ang-

*Angelus Domini descendit de calo & ratio est : cum Angeli non sint ubique ob suam limitatam virtutem, aliundè verò habeant intellectum, quo cognoscant res distantes, & voluntatem, quâ possunt res distantes appetere, debent etiam habere virtutem motivam, quâ possint illuc se conferre ; ergo Angelis convenit motus non tantum per accidens ad motum corporum assumptorum, sed etiam per se eliciendo operationes circa diversa loca.*

*Suppono 2. Quod motus Angelorum possit esse duplex : continuus & discretus. Motus continuus est, quando priorem locum successivè & per partes deserendo incipit alteri loco suam operationem per partes applicare ; motus discretus est, quando Angelus unum locum totaliter deserit omnem operationem suam ab illo loco simul & non per partes aufferendo moxque sine interpositâ quiete alium locum occupat, eidem suam operationem simul & non per partes applicando. His suppositis*

*DICO. 1. Angelus potest dimittere successivè locum divisibilem, in quo prius erat. Et sic motus ejus erit continuus, & potest etiam totum locum simul dimittere & toti alteri loco simul se applicare, & sic motus ejus non erit continuus S. Th. hic. Q. 53. A. 1. O.*

Explicatur & probatur prima pars : cum Angelus sit in loco per operationem, motus continuus Angeli est contactus plurium locorum, quæ successivè & non simul occupat sine intermediâ quiete ; atqui Angelus potest percurrere diversa loca continuo contactu paulatim dimittendo unum locum & prius se transferendo ad unam partem loci & postea ad aliam : licet enim Angelus non habeat partes, quibus sit formaliter extensus, habet tamen virtutem, quæ potest diversis partibus loci applicari incipiendo à partibus immediatioribus, sicut anima

in

in augmentatione & nutritione diversas partes materię informat ; ergo Angelus potest moveri motu continuo.

Secunda pars explicatur & probatur : motus non continuus sive discretus consistit in hoc , quod Angelus dimittat locum , in quo est , & toti alteri suam virtutem applicet ; atqui Angelus potest deserre simul totum locum , quem de facto occupat , potestque locum distantem totum occupare etiam non transeundo per medium ; cum enim Angelus non sit in loco per commensurationem , sed modo elevationi , ut mensurans continens & subjiciens sibi locum per operationem liberè elicitam , hinc potest se applicare loco , cui voluerit , & ab ejus libertate pendet operationem suam producere vel in extremis vel in medio : cum operatio illa non sit affixa spatio , maximè cum potentia locomotiva Angelorum non sit distincta ab intellectu & voluntate , & motio sit ipsa intellectio & volitio immanens virtualiter transiens : in substantiâ quippe spiritali non possunt esse potentie , nisi à gradu intellectuali dimanantes , quæ sunt intellectus & voluntas ; sicut igitur Angelus potest practicè apprehendere & eligere productionem effectûs in loco distantis nihil volens operari in medio , ita potest transire ad locum distantem non transeundo per medium ; unde patet disparitas inter corpus , animam rationalem & Angelum , Corpus non potest de unâ parte spatii transire ad aliam partem spatii intacto medio : quia commensuratur loco , ideoque debet una Pars relinquere locum post aliam & priùs pervenire ad partes proximas quam remotas , unde priùs tangere debet medium , antequam perveniatur ad finem . Item anima non potest informare partes extremas corporis , nisi informet priùs intermedias : quia non unitur corpori nisi dispositionibus præparato , inter quas præcipua est quantitas , at , sicut

Cor-

Corpus Christi in Eucharistiâ existens in cœlo fit realiter præsens in Altari absque hoc, quod priùs fuerit præsens in medio, quia non est in loco cum commensuratione ad locum, ita Angelus quia non commensuratur loco, nec illi subicitur, potest esse in extremâ parte spatii absque hoc, quod priùs fuerit in partibus intermediis.

*Obj. 1.* De ratione essentiali motûs est, quod moveri præcedat mutatum esse; atqui nisi Angelus in motu discreto transeat per medium, moveri non præcedet mutatum esse: non enim erit moveri, quando Angelus est in termino à quo, vel in spatio, quod deserit: quamdiu enim in illo est, ab illo non recedit; nec moveretur, quando est in termino ad quem, sive in spatio, quod acquirit: tunc enim est mutatum esse; ergo Angelus moveri non potest, nisi transeat per medium.

*R.* Distinguendo maj. De ratione motus continui est, quod moveri præcedat mutatum esse. Con. De ratione motûs discreti N. Ratio disparitatis est: quod in motu continuo motum vel mutatum esse sit terminus motûs, ideoque prius est moveri quam motum esse; in motu discreto autem motum vel mutatum esse est pars motûs: sicut enim plures unitates coordinatæ constituunt numerum discretum, sic etiam p'ura instantia sibi succedentia & per intellectum Angelicum coordinata, dum vult hoc instanti A. esse in hoc spatio & in instanti B. in isto spatio, faciunt & constituunt motum discretum Angeli, ideoque in neutro instanti seorsim sumpto, sive in quo prior locus deseritur, sive in quo posterior locus acquiritur, sed in utroque simul sumpto est motus discretus Angeli, ita ut operatio Angeli, ut ultimo ex voluntate Angeli tangit terminum à quo, habeat rationem viæ, prout verò incipit tangere terminum ad quem, habeat rationem termini motûs discreti, ideoque Angelus in instanti, quo est in termi-

mi.

mino à quo vel in spatio, quod deseritur, moveatur  
 initiativè & in instanti, quo est in termino ad quem,  
 vel in spatio quod primo occupat, moveatur consum-  
 mativè, nec ex hoc sequitur: quod instans sequatur  
 immediate instans: semper enim inter unum instans  
 & alterum, quo incipit Angelus esse in novo loco,  
 intercedit quies aliqua negativa, cui correspondent  
 partes nostri temporis, quæ interruptio simplex in ope-  
 rando non impedit motum discretum, sed potius facit  
 discontinuum & discretum.

*Obj. 2.* Angelus non potest transire de præterito  
 in futurum, nisi per præsens; ergo nec de loco ex-  
 tremum nisi per medium spatium.

*R.* Negando consequentiam: quia partes temporis  
 non sunt de facto à parte rei, idè non potest Angelus  
 eligere, quam voluerit, ut eidem coexistat, sed neces-  
 sariò debet expectare, ut sit præsens; at de facto par-  
 tes spatii sunt à parte rei, unde Angelus, cum nullis  
 loci legibus alligetur, potest sibi ad libitum passum  
 constituere, in quod operetur, & applicare se corpori,  
 cui voluerit absque dependentiâ à spatio interme-  
 dio. Ex his

*Inferitur 1.* Motum continuum Angeli non fieri in  
 instanti: quia continuitas motus importat divisibilita-  
 tem, non in Angelo, qui indivisibilis est, sed in appli-  
 catione virtutis, quæ prius uni parti, deinde alteri  
 conjungitur se retrahendo ab unâ parte & alteram suc-  
 cessivè contingendo, quod non potest fieri in in-  
 stanti.

*Inferitur 2.* Neque motum discretum Angeli posse  
 fieri in instanti: quia ad motum discretum requirun-  
 tur duæ operationes, prima, quâ Angelus sit in loco  
 derelicto, altera, quâ sit in loco acquisito: non enim  
 per hoc intelligitur moveri Angelus, quod incipiat mo-  
 vere locum sequentem præscindendo, an ante in alio  
 loco

loco fuerit: nam si Angelus de novo creetur, incipit de novo esse in loco, non tamen dicitur moveri localiter propter hoc solum, quia non relinqueret terminum à quo; & generaliter omnis motus essentialiter constat duabus partibus: cum sit necessariò transitus de uno loco ad alium; *nec obstat*: quod motus, quo forma informat materiam, lux expellit tenebras, sit instantaneus; quia illi sunt motus de non esse ad esse, motus localis est transitus de uno extremo positivo ad aliud, unde non potest fieri in instanti, sed ad minus duo instantia requirit, in quorum uno desinat esse in loco uno, & in altero incipiat esse in alio.

Infertur 3. Summam esse motus Angelici velocitatem: vel enim movetur Angelus motu discreto & tunc poterit momento de cœlo ad terram descendere, si nihil opere ut per medium, nam spatium intermedio non retardatur; vel movetur motu continuo, & tunc per minutissimam temporis partem suam virtutem applicando poterit spatium intrâ sphæram suæ activitatis contentum decurrere.

Infertur 4. Quod æqualis sit velocitas Angelorum in motu discreto: quia illa est propter independentiam suæ operationis à loco corporeo, quæ est æqualis in omnibus; at velocitas Angelorum in motu continuo non est æqualis: quia hæc est ex perfectione virtutis activæ & amplitudine sphære activitatis, quæ non est æqualis.

**DICO 2.** Corpora sensibilia divinâ virtute sic formantur ab Angelis, ut congruant ad representandum Angeli intelligibiles proprietates & hoc est Angelum assumere corpus. S. Th. hic Q. 51. a. 2 ad 2.

Explicatur & probatur: cum Angeli in sacrâ Scripturâ sæpè visibiliter hominibus apparuerint, nec habeant corpora sibi naturaliter unita, quia sunt substantiæ spirituales completæ, assumpserunt corpora formata

matâ

nata vel divinâ virtute ad repræsentanda supernaturalia mysteria, vel naturali. De quibus jam dictum est Quæst. 1.

DISPUTATIO XXIV.

De *Cognitione, Productione, Custodiâ & Locutione Angelorum.*

QUÆSTIO I.

*Quomodo Angelus seipsum Deum & Angelos cognoscat?*

**S**uppono 1. Angelos esse substantias intellectivas: cum sint substantiæ immateriales, substantiæ autem immateriales sunt intellectivæ: possunt enim formas aliarum rerum in esse intellectivo recipere, quod non potest res materialis; cum materia sit limitativa formæ, & impediatur, ne forma alterius rei recipiatur, ideoque quo substantia est magis immaterialis, eò magis est intellectiva.

**S**uppono 2. Intelligere Angelorum distingui realiter à substantiâ Angeli, Angelus enim non potest esse sua ultima actualitas in ordine operativo, aliàs foret actus purus, quod repugnat creaturæ, cui essentialè est habere aliquid admixtum potentialitatis.

**S**uppono 3. Angelum cognoscere se & alia à se, hæc enim est differentia inter esse & intelligere, quod esse sit determinatum ad certum genus & speciem, intellectus autem quandam habet infinitatem, & in tot species intellectio potest dividi, quot sunt objecta intelligibilia: cum intellectus per intellectionem transformetur quasi in rem intellectam; intelligibilia autem sunt syncategorematicè infinita: quia verum est convertibile cum omni ente possibili; unde Angelus potest cognoscere & se & alia à se; quo supposito quæritur: quo medio se & alia à se cognoscat?

DI

XXIII.  
 novo creetur, in  
 dicitur moveri  
 non relinquere  
 is motus essential  
 r necessitudo tran  
 quod motus, qu  
 xpellit tenebras, i  
 de non esse ad  
 extremo potius ad  
 anti, sed ad  
 um uno delin  
 se in alio,  
 is Angelici rel  
 motu discreto  
 tram descendens,  
 ius intermedio  
 tinuo, & tunc  
 in virtutem ap  
 suæ activitatis

ocitas Angelorum  
 ei independentiam  
 puz est æquali in  
 in motu continuo  
 perfectione virtutis  
 tatis, quæ non est

inâ virtute sic for  
 ad repræsentandum  
 uerit Angelum af  
 2 ad 2.  
 ngeli in factâ Scrip  
 pparaverint, nec b  
 us, quia sunt ub  
 plerant corporali

DICO I. *Unicuique Angelo impressa est ratio suae speciei secundum esse naturale & intellectuale simul ita scilicet, quod in natura sua speciei subsisteret, & per eam se intelligeret, aliarum verò naturarum tam spiritualium quam corporalium rationes sunt ei impressae secundum esse intellectuale tantum, ut videlicet per huiusmodi species impressas tam Creaturas corporales quam spirituales cognosceret.* S. Th. hic Q. 56. a. 2. O. Sive Angelus cognoscit se per suam essentiam ut speciem impressam, non verò expressam. Alias Creaturas etiam Angelos per species essentiae suae superadditas.

Prima Pars explicatur & probatur: non est necessaria species impressa accidentalis substantiae superaddita, sed tantum expressa, quâ Angelus cognoscat se ipsum, est enim seipso intelligibilis; ad quod tres conditiones requiruntur. Primò. Objectum debet uni-ri intellectui illique fieri praesens. Secundò. Objectum debet esse immateriale: nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Tertiò. Debet esse proportionatum intellectui; idè enim Deus, licet nobis semper praesentissimus, non tamen naturaliter videtur; quia est objectum excedens & improporionatum; atqui substantia Angeli habet triplicem illam conditionem objecti cognoscibilis absque ullâ specie impressâ superadditâ: est enim intellectui Angelico intimè praesens & unita, siquidem in illâ intellectus physicè fundatur: est etiam immaterialis & omninò proportionata; ergo non requirit speciem impressam essentiae suae superadditam. Attamen Angelus ad cognitionem sui ipsius requirit speciem expressam intellectui Angelico accidentaliter superaddi: quia esse speciei expressae est repraesentare objectum in actu intellectum; sed esse intellectum actu Angelo est accidentale: si enim esse intellectum esset Angelo substantiale, Angelus esset suum



suam intelligere & actus purus; unde latum est discrimen inter cognitionem, quâ beati vident essentiam divinam & cognitionem, quâ Angeli cognoscunt suam substantiam: beati quippe non producunt verbum; quia licet essentia divina non denominetur intellecta à beatis ab æterno, tamen ratione suæ purissimæ immaterialitatis & ultimæ actualitatis tam in esse entitativo quam intelligibili gerit vices verbi; at verò substantia Angeli non est actus purus, ideò non potest sibi identificare rationem verbi, sicut non potest sibi identificare rationem intellectiōnis.

Secunda Pars probatur: ad hoc: ut Angelus cognoscat objecta à se distincta, debent illa intrâ intellectum Angelicum fieri intentionaliter præsentia, idque per seipsa vel per essentiam Angeli, vel per species intellectui Angelico superadditas; atqui objecta ab Angelo distincta non fiunt intellectui Angelico præsentia per seipsa: nullum enim objectum præter Deum intellectui Angelico illabi, eique in esse intentionali uniri potest; non etiam fiunt præsentia per ipsam substantiam Angeli: ut enim substantia Angeli objecta à se distincta per modum imaginis repræsentaret, deberet illa in se continere, quemadmodum ideò divina essentia alia à se per modum ideæ repræsentat, quia illa eminenter in se continet; essentia autem Angeli alia à se nec eminenter nec formaliter continet: quia non nisi ens primum & illimitatum quascunque rerum differentias in se continet; ergo intellectus Angelicus res à se distinctas per species superadditas cognoscere potest.

*Si dicas*; quod substantia radicaliter intellectiva omnis entis non possit comprehensivè cognosci, nisi cognoscatur omne ens tanquam terminus suæ intellectualitatis, Angelus verò per suam substantiam absque speciebus superadditis comprehendit suam substantiam,

*Pars I. Theol. Schol.*

B b

quæ

quæ est radicaliter intellectiva omnis entis, consequenter per suam substantiam absque speciebus cognoscet omne ens. Contra est: ut substantia radicaliter intellectiva omnis entis comprehensivè cognoscatur, non est necesse, ut cognoscatur omne ens distinctè & in particulari, sed sufficit, quod cognoscatur omne ens contusè sub communi ratione entis & cognoscibilis.

*Obj. I.* Nulla substantia creata potest habere rationem formæ inhærentis; atqui si substantia Angeli haberet rationem speciei intelligibilis, haberet rationem formæ inhærentis; nam species debet inhærere intellectui; cum debeat informare intellectum; si igitur essentia Angeli habeat rationem speciei intelligibilis, simul in genere causæ formalis actuaret intellectum: quia esset species intelligibilis actuans intellectum, illum constituens in actu primo proximo ad intelligendum, & actuaretur ab intellectu in eodem genere causæ: quia forma accidentalis actuat subiectum, cui inhæret, proprietas actuat essentiam, à quâ dimanat.

*34.* Distinguendo probat, mi. Species debet inhærere intellectui, quando est accidens superadditum. Quando est ipsa substantia intelligentis. N. Species enim ex suâ naturâ non exigit inhærere intellectui, sed petit tantum uniri intellectui per modum objecti intelligibilis, ideoque ad rationem speciei intelligibilis planè per accidens se habet, quod sit accidens vel substantia; quia formale munus speciei est reddere objectum unum & præsens intellectui in esse intentionali, ad quod munus exercendum per accidens se habet, quod entitas speciei sit accidens vel substantia, modo intelligibiliter uniatur objectum intellectui, adeoque substantia Angeli, cum id faciat respectu intellectus Angelici, gerit munus speciei; & sicut substantia Angeli in esse naturali actuatur ab intellectu Angelico, qui est proprie-

DE COGN. PROD. CUST. & LOCUT. ANG. 387  
prietas ab essentiâ dimanans , sic in esse intelligibili  
essentia actuat intellectum.

*Obj. 2.* Nulla substantia potest esse immediatè ope-  
rativa ; atqui si substantia Angeli haberet munus spe-  
ciei, esset immediatè operativa : cum species sit princi-  
pium effectivum intellectionis.

*R. N. mi.* Non enim operatur intelligendo sive  
efficit intellectionem substantia Angeli nisi mediante  
intellectu , sed tantum in ratione objecti per seipsam  
immediatè complet intellectum determinatque ad sui-  
ipsius intellectionem , unde substantia Angeli tantum  
in ratione intelligibilis influit immediatè in intellectionem ,  
in ratione verò efficientis mediatè & radicaliter  
tanquam subjectum potentiæ intellectivæ , à quâ im-  
mediatè elicitur intellectio , à substantiâ vero Angeli  
mediatè tanquam à principio radicali , à quo potentia  
intellectiva dimanat.

*Obj. 3.* Licet substantia Angeli sit unita proprio in-  
tellectui per modum subjecti sustentantis ipsum, non  
tamen per modum objecti actuantis & determinantis  
intellectum ; ad hoc enim requiretetur, ut Angeli sub-  
stantia velut reflueret in intellectum, eique superveni-  
ret in genere causæ formalis.

*R.* Negando assumpt. ejusque probat. Quia hoc  
ipso , quod intellectus Angeli conjungatur substantiæ  
suz ut subjecto , substantia etiam manet illi sufficienter  
unita tanquam objectum absque novâ unitione vel in-  
formatione ; quia, cum substantia Angeli ratione suæ spi-  
ritualitatis sit intellectiva & intelligibilis , intellectus  
procedens à substantiâ non tantum proximè est intelle-  
ctivus sed etiam determinatus ad tale objectum.

*Obj. 4.* Intellectus noster dimanat ab animâ tan-  
quam à subjecto sibi intimè unito , & tamen ut in-  
tellectus substantiam animæ intelligat , indiget spe-  
cie ; ergo quod intellectus Angeli dimanat ab ejus

substantia, non probat intellectum non indigere specie intelligibili.

R. N. consequentiam: Ideò enim intellectus humanus non intelligit etiam sine specie superadditâ suam substantiam, cui intimè unitur: quia in hoc statu dependet à cognitione rerum sensibilium, ad quas debet se convertere pro hoc statu, in statu autem separationis substantiam suam per seipsam cognoscit.

Obj. 5. Saltem ex ratione conclusionis sequitur unum Angelum posse alium intelligere absque specie impressâ: nam unus Angelus alteri est præsens & indistans ab Angelo cognoscente, & etiam sat sufficienter que immaterialis.

R. Distinguendo probat. Unus Angelus alteri est præsens præsentia spatii Con. Præsentia intentionali N. Præsentia & indistans unius Angeli cum alio secundum spatium non est satis intima, ut per eam Angelus cognitus fœcundet intellectum cognoscentis: quia ad hoc requiritur transformatio objecti & potentia cognoscentis.

DICO 2. *Quia imago Dei est in ipsâ naturâ Angeli impressa, per suam essentiam Angelus Deum cognoscit, in quantum est similitudo Dei, S. Th. hic Q. 53. a. 3. O.*

Explicatur & probatur: Deum non quidem ut est in se trinus, & unus sed ut est Author naturæ cognoscit Angelus per suam essentiam: quia per effectus cognoscitur causa, ita quidem, ut, quo effectus est perfectior, eò causa perfectius cognoscatur; sed Angelus est admodum perfectus effectus Dei: cum sit signaculum similitudinis divinæ, ergo Angelus intuendo se contemplatur in semetipso relucentem divinitatem, ad cuius imaginem factus est; nec propterea cognitio illa est reflexa: quia Angelus Deum cognoscit in se tanquam in imagine; idem autem est motus in imaginem & illud

DE COGN. PROD. CUST. & LOCUT. ANG. 389  
Iud, cuius est imago, unde videndo se directè ferri potest in Deum, quem repræsentat.

Ex dictis colliges : Angelos per suam essentiam cognoscere suas proprietates, operationes & accidentia : quia cognitio perfecta & comprehensiva Angeli requirit speciem perfectam & comprehensivam, quæ repræsentet effectus in causâ, sed Angelus per suam essentiam comprehensivè cognoscit seipsum, ergo ipsa essentia repræsentat etiam omnes effectus qui in essentia radicantur vel continentur ; sed ejusmodi effectus sunt proprietates Angeli, quæ ab essentiâ dimanant, operationes, quarum essentia est radicale principium, accidentia quoque connaturaliter debita veluti species infusæ.

## Q U Æ S T I O II.

*Unde Angelus accipiat species rerum?*

**D**ICO I. *Species, per quas Angeli intelligunt, non sunt à rebus acceptæ, sed eis connaturales S. Th. hic Q. 55. a. 2. O.*

Prima Pars probatur : si Angeli acciperent speciem ab objecto, id fieret, vel quia ipse intellectus Angelicus speciem produceret & abstraheret ab objectis, ut de facto fit in homine per intellectum agentem, sed hoc non : quia quod in intellectu hominis prius à Phantasmibus abstrahantur species, est quia intellectus humanus per præviam cognitionem sensibilem determinatur, ut hujus potius quam istius objecti speciem à Phantasmate abstrahat, hoc autem in Angelis locum non habet ; vel intellectus Angelicus reciperet speciem ab objecto ex hoc, quod objectum in Angeli intellectu species produceret, uti de facto objecta sensibilia mittunt sui speciem in sensum ; sed hoc etiam non : quia objectum cognitum est vel materiale vel spirituale ; materiale non potest producere speciem spiritualem, qua-

lem requirit intellectus Angelicus ; si verò sit objectum spirituale ; illud etiam operari non potest in intellectum Angeli : operari enim in substantiam & intellectum Angeli illi soli competit , qui intrà ejus terminos illabitur suâque virtute creativâ conservat , quod est solus Deus : nam potentia sensitiva & materialis, sicut ab agente materiali fuit producta, sic etiam subest activitati objecti materialis & sensibilis, adeoque per educationem specierum sensibilium ab eo immutari potest, at intellectus spiritualis Angeli, sicut conservatur per actionem creativam Dei, ita à nullo extrinseco agente, quam Deo, se patitur immutari.

Secunda Pars probatur : quia perfectio Angeli exigit habere species infusas : intellectus enim divinus, quia est supremus, non per species advenientes sed per propriam substantiam omnia intelligit, intellectus autem humanus, quia infimus est, est de se in purâ potentiâ & quasi Tabula rasa capax omnium specierum, quibus ab initio nudus est, Angelus verò medius inter utrumque sicut Dei puritatem non habet, ita nec habet hominis nuditatem, sed habet rerum omnium species distinctas quidem, sed congenitas ; cujus ratio ulterior est : quod anima, quia est forma corporis, intelligibilem suam perfectionem consequitur ministerio sensuum corporeorum, Angelus autem quia est forma completa nullum dicens respectum ad corpus, à rebus corporeis mutuare species non indiget, sed habet à Deo infusas, quæ tamen species non sunt supernaturales, quia dantur ad exigentiam naturalem intellectûs, sicut anima ad exigentiam materiæ præparatæ infusa non dicitur nec est supernaturalis ; sed potius illæ species infusæ sunt connaturales Angelo, non quia ab essentiâ Angeli fluunt velut proprietates, sed quia à Deo infunduntur juxta intrinsecam exigentiam naturæ Angelicæ, quæ propter suam summam perfectionem petit,

DE COGN. PROD. CUST. & LOCUT. ANG. 391  
rit, ut intellectiva potentia capacitas ab initio crea-  
tionis sit per formas intelligibiles simul expleta & in  
actu primo completa.

*Obj. 1.* Est perfectio, quod noster intellectus pos-  
sit species à rebus intellectis accipere; ergo cum intel-  
lectus Angelicus sit perfectior nostro, illi etiam hæc  
perfectio non erit neganda.

R. Distinguendo ant. accipere species à rebus est  
perfectio simpliciter N. secundum quid Con. quod  
enim intellectus noster à rebus species mutuatur & ho-  
mo sit præditus intellectu agente ac virtute discursivâ  
non est perfectio simpliciter simplex, sed secundum  
quid supponens imperfectionem puræ potentia respec-  
tu objectorum.

*Obj. 2.* Est perfectio rei materialis, quod speciem  
possit mittere in sensum; ergo hæc perfectio non erit  
neganda rei spirituali, quod speciem sui possit mittere  
in intellectum.

R. Iterum esse perfectionem secundum quid, quod,  
quando res non est per se intelligibilis; fiat præsens  
per speciem sui vicariam. Unde lux, quæ est omnium  
visibilium objectum perfectissimum, non immitit  
species in oculum; Deus qui est omnium intelligibi-  
lium exemplar, immediatè absque ullâ specie videtur.  
Quare perfectio Angeli non exigit, ut sit emissiva  
speciei, sed quod speciebus rerum omnium sit ador-  
nata.

*Obj. 3.* Ex his sequeretur Angelum habere species  
infinitas: cum ejus cognitio versetur circa objecta ferè  
infinita.

R. N. seq. quia plura objecta Angelo per unam  
speciem repræsentantur v. g. Omnia individua Leonis  
per unam speciem repræsentativam Leonis. De  
quo.

DICO 2. *Quantò Angelus fueris superior, tantò*

Bb 4.

per

per pauciores species universitatem intelligibilium apprehendere poterit. S. Th. hic Q. 55. a. 3. O.

*Explicatur & probatur* : Imprimis Angelus cognoscit per species universales; substantia intellectualis eò perfectiori modo intelligit, quò est perfectior; sed Angelus est substantia spiritualis perfectior substantiâ hominis, ergo perfectiori modo intelligit quam homo; quia igitur Angelus est medius inter Deum & hominem, quorum ille omnia cognoscit per unam speciem suam videl. essentiam, iste verò per species plures à rebus acceptas, Angelus quidem intelligit per plures species, & in hoc differt à Deo, universales tamen in representando à Deo infusas à divina essentia derivatas & non à rebus acceptas, & hinc species quibus intelligit, sunt nobiliores speciebus intellectus humani.

*Deinde* quo perfectior est Angelus, eo univ ersaliores habet species; cum enim universalitas speciei sit annexa perfectioni intellectûs Angelici, major perfectio requirit majorem universalitatem, & quantò Angelus est perfectior, tantò est similior & propinquior actui puro ac proinde tantò plus participat de perfectione & modo cognoscendi intellectûs divini, in quo autem consistat hæc specierum Angelicarum universalitas, difficile est explicare, communiter specierum Angelicarum universalitas in hoc ponitur: quod plures naturas specificas representet vel aliquam naturam genericam, in quâ secundariò naturæ specificæ represententur, at tunc vix explicari potest, cum plures sint Angeli quam species rerum inferiorum in universo, quare non deveniatur ad unum Angelum superiorem infra supremum, qui omnes rerum inferiorum naturas specificas in unâ specie cognoscat, aut quare non plures Angeli inferiores æquales habeant in representando species; ad quam difficultatem evadendam aliqui Thomistæ



mistæ specierum Angelicarum universalitatem ità explicant, quod eò species sint universaliores non tantum quò plures res sub unâ ratione repræsentant, sed etiam quò plures in eâdem re rationes sive habitudines exhibent intellectui Angelico, ità ut uni Angelo plures huiusmodi habitudines vel rationes per pauciores alteri per plures species repræsententur: ut idem animal, idem homo, eadem domus quatenus dicit habitudinem & rationem multiplicem à superiore Angelo per unam ab inferiore per plures species cognoscatur ac ità universalitas specierum Angelicarum, quas juxtà S. Th. hic Q 55. a. 2. O. Angeli per intelligibilem influxum à Deo acceperunt simul cum intellectuali naturâ, quæque proinde sunt participationes divinæ essentiæ ut omnes omnium rerum rationes repræsentantis, consistat non solum in eo, quod per eandem speciem repræsententur plures res sed etiam plures rationes ejusdem rei quæ explicatio rei aliàs obscuræ & omninò incertæ fundatur in S. Th. Q. 8. de verit. a. 10. ad 2. ubi ita: *Dicuntur esse forma magis universales quantum ad cognitionem, non quia plurimum rerum cognitionem causent, sed quia per pauciores formas ad eadem cognoscenda superior intellectus perficitur, & etiam ad perfectius cognoscendum, utpote si superior Angelus per unam formam animalis omnes species animalium cognoscat, inferior autem non nisi per multas species, & præter hoc superior Angelus plures rationes intelligibiles ex eisdem rebus cognoscit.* Ex quâ explicatione responderi facile potest si quæratur: an si Deus novum Angelum crearet. is per universalio rem speciem cognosceret, quam de facto cognoscat supremus Angelus? videlicet quod vel in illâ sententiâ, quæ ponit universalitatem specierum in repræsentatione plurium rerum, in tali casu illi, qui de facto est supremus Angelus, & cognoscit omnia per unam speciem,

superadderetur alia species quâ cognosceret Angelum: superiorem de novo productum, cum Angelus de novo productus cognosceret omnia creata à se distincta per unam speciem; aut juxtâ explicationem jam datam quod plures rationes & habitudines Angelus de novo productus per pauciores species in rebus cognosceret, quas inferior per plures species cognosceret.

Q. 1. An Angelus semper intelligat actu multa?

R. Affirmativè, probatur: omnis substantia vivens semper actu habet aliquâ operationem ex naturâ suâ; sic animalia semper nutriuntur licet non semper sentiant; atqui substantiæ spirituales separatae vivunt vitâ intellectuali; ergo ex naturâ suâ sunt semper actu intelligentes, ideoque Angeli semper cognoscunt suam substantiam: nulli enim objecto connaturaliùs unitur Angelicus intellectus, & quia essentiam suam comprehendunt, vident dependentiam, quam habent à Deo, quem proinde semper cognoscunt, cognoscunt etiam semper actu ea, quæ pertinent ad suum statum & officium, ut Angeli custodes semper attendunt suis clientibus.

Q. 2. An Angelus cognoscere possit plura ut plura?

R. Sæpi Solet negativè: vel enim illa cognosceret eâdem cognitione, hoc non: quia tunc non cognoscuntur ut plura, sed ut in eâdem cognitione coordinantur; vel cognosceret per plures actus, & hoc non: quia implicat eandem potentiam ultimò terminari pluribus actualitatibus ultimis non subordinatis; nulla tamen est implicancia, quod Angelus habeat simul plures cognitiones subordinatas de objectis diversi ordinis inter se coordinatis, itâ de facto intelligit Deum per visionem beatam, se per suam substantiam, alia à se per species superadditas.

Q. 3. An Angelus omnia entia naturalia comprehendat?

R. Affirmativè, probatur: illa cognitio est comprehensiva alicujus objecti, quæ ipsum cognoscit, quantum cognoscibile est, ità ut nihil sit in tali objecto vel formaliter vel eminenter contentum, quod non attingatur per talem cognitionem, tunc enim est perfectissima adæquatio inter cognitionem & rem cognitam; atqui Angeli attingunt omnia entia naturalia, quantum sunt cognoscibilia, ità ut nihil sit in ipsis vel formaliter vel eminenter contentum, quod non penetrent; quia quælibet facultas potest comprehendere objectum suum proportionatum: hoc ipso enim, quod sit proportionatum, continetur intrà Sphæram activitatis ejus, modo potentia sit integra & non infirma; quidquid autem ad ordinem naturalem pertinet, est objectum proportionatum intellectûs Angelici. Hæc quidem nullam difficultatem habent in objectis materialibus, sed difficultas est in substantiis spiritualibus Angelo cognoscente perfectioribus, an scilicet Angelus inferior possit comprehendere Angelum superiorem?

Pro quo meliùs resolvendo nota: quod comprehensio alia sit intensiva, alia extensiva. Intensiva est, quando objectum cognoscitur tantâ claritate, quantâ potest cognosci, ità ut sit tanta claritas tamque perfectus modus cognitionis in cognoscente, quanta est claritas quamque perfectus modus cognoscibilitatis est in cognito. Extensiva comprehensio est, quando quidem clarè & distinctè cognoscitur, quidquid perfectionis & quidditatis est in cognito, modus tamen cognoscitivitatis non adæquat modum cognoscibilitatis, quo objectum in se & à se cognosci potest. Hoc notato

R. Angelus inferior superiorem comprehendit extensivè: quia ad extensivam comprehensionem sufficit, ut nihil quidditatis sit in re cognitâ, quod lateat cognoscentem; sed hoc modo Angelus inferior potest cognoscere superiorem: habet enim speciem quidditativam,

tivam, quâ simul & Angeli essentiam & omnia, quæ in ipsâ vel formaliter vel eminenter continentur cognoscit, non tamen inferior Angelus superiorem comprehendit intensivè: quia ad intensivam comprehensionem requiritur tam perfecta intellectualitas cognoscentis, quam perfecta est intelligibilitas, sed Angelus inferior non habet tam perfectam intellectualitatem, quam perfectam intelligibilitatem habet Angelus superior; quia tam intellectualitas cognoscentis, quam intelligibilitas objecti cogniti sumitur ab immaterialitate & actualitate; ergo cum Angelus superior sit majoris immaterialitatis quam Angelus inferior, est in Angelo superiore major intelligibilitas, quam in Angelo inferiore intellectualitas.

### QUÆSTIO III.

*Quis status & gratia Angelorum in primâ productione?*

**D**ICO I. *Quantum ad... beatitudinem, quam Angelus assequi virtute sua natura potuit, fuit creatus beatus... sed ultimam beatitudinem, qua facultatem naturæ excedit, Angeli non statim à principio suæ creationis habuerunt.* S. Th. hic Q. 62. a. 1. O.

*Explicatur & probatur 1<sup>a</sup> Pars:* Omnes Angeli fuerunt creati in beatitudine naturali, quia beatitudo naturalis consistit in cognitione abstractivâ maximè perfectâ, quam de Deo habere potest creatura intellectualis; atqui Angeli à primo creationis suæ instanti juxtâ suæ naturalis capacitatis proportionem habebant de Deo cognitionem perfectissimam teste Prophetâ Ezech. 28. Sub Figura principis Tyri de Angelo Apostata dicente, quod fuerit plenus sapientia ab initio conditionis suæ.

*2<sup>a</sup> Pars explicatur & probatur:* Angeli non fuerunt

runt creati in beatitudine supernaturali, quia beatitudo supernaturalis consistit in visione beata, ex qua resultat necessarius Dei amor, qui nequit consistere cum peccato; Angeli autem ab initio conditionis suæ potuerunt peccare, uti Angeli mali defacto peccaverunt & boni in statu viæ libertatem habuerunt, & meriti sunt beatitudinem supernaturalem, ergo non fuerunt creati in statu supernaturalis beatitudinis.

DICO. 2. *Statim à principio sunt Angeli creati in gratiâ S. Th. hic. Q. 62. A. 3. O.*

Probatur ex illo Ezech. 28. v. 15. *perfectus in visis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*, atqui præcipua creaturæ intellectualis perfectio ad finem supernaturalem conditæ est gratia sanctificans; ergo Lucifer cæterique Angeli à primo instanti creationis habuerunt gratiæ perfectionem, donec in illis inveniretur iniquitas.

Congruentia S. Th. qua hanc conclusionem probat, est, quod Deus omnibus rebus in primâ creatione seminales quasdam rationes indiderit, quibus alias res producere possent, gratia autem sanctificans comparatur ad gloriam sicut semen ad fructum. Probabilius autem videtur, quod hæc gratia in eâ proportione fuerit Angelis distributa, quâ proportione se invicem in perfectione naturæ excedebant, ita ut Angeli, quo perfectiores essent in naturâ, eò intensiorem reciperent gratiam. Ratio est; quia licet Angelus inferior spectatâ naturâ sit æquè ad gratiam proportionatus secundum potentiam obediencialem, quam Angelus superior, ita ut tota gratiæ inæqualitas etiam inter ipsos Angelos reduci debeat in voluntatem Dei dividendis singulis prout vult; quod tamen gratuitò voluerit Angelo perfectiori dare perfectiorem gratiam, colligitur ex S. Dion. lib. de cœl. hierarch, docente: Angelos naturâ

naturâ

naturâ perfectiores esse propinquiores Deo tum in officio, tum in splendore gratiæ & gloriæ. Denique Angelus ad gratiam in primo creationis suæ instanti acceptam sese disposuit per proprium actum charitatis. Ratio est: quia de lege ordinariâ nulli adulto viatori gratia infunditur sine propriâ liberi arbitrii dispositione & motu; sed Angeli se habent velut viatores adulti, in quibus nulla fuit rationis infantia: ergo gratia fuit illis concessa juxtâ ejuſque dispositionem; sed motus liberi arbitrii proximè disponens ad gratiam non potest alius esse quam actus charitatis, qui licet in genere causæ efficientis procedat ab ipsa gratia, attamen in genere causæ materialis est prior gratia & ad illam disponit. Ex his

Sequitur; Angelos in via habuisse Fidem Spem & Charitatem: quia istæ virtutes sicut etiam morales infusæ nec non dona Spiritus Sancti pro statu salutem viæ, imò exceptâ virtute Fidei & Spei etiam pro statu patriæ habent connaturalem connexionem cum gratiâ, unde asserendum, quod Angeli viatores per fidem infusam cognoverint *Mysterium SS. Trinitatis & incarnationis quoad substantiam*, licet ipsos latuerint circumstantiæ temporis, loci, in quibus mandandum erat executioni, ut in terminis docet S. Th. hic Q. 57. A. 5. ad 3. *quidquid Propheta cognoverunt de mysterio gratia per revelationem divinam, multò excellentius est Angelis revelatum.*

*Obj.* Si Angelus in primo instanti suæ creationis elicisset actum charitatis, non potuisset in secundo instanti peccare: quia voluntas Angeli est immutabilis, itâ, ut quod semel elegit, non possit respuere; ergo si Deum in primo instanti dilexerit, adhuc diliget.

3. Distinguendo probat. sequentiæ : Angelus, quod semel ex perfecta deliberatione & propria applicatione elegit, non potest respuere Con. quod ex imperfecta deliberatione & extrinsecâ applicatione vel Dei speciali motione elegit, non potest respuere N. in primo instanti speciali motione à Deo applicabatur voluntas Angeli, in secundo autem instanti semetipsum movit ex perfecta deliberatione.

#### QUESTIO. IV.

*An & quomodo Angeli loquuntur, illuminant, custodiunt?*

**S**uppono : Angelos inter se loqui. Ità colligitur ex illo Is. 6. v. 3. *Seraphim clamabant alter ad alterum & dicebant : Sanctus Sanctus &c.* & s. Judas in sua epist. canon. refert disputationem Angeli apostatæ cum Michael Archangelo. Et ratio est: quia mutuam communicationem, quæ fit per expressionem conceptuum, exigit commercium vitæ socialis, quod perfectius est in Angelis quam in hominibus, sed difficultas est, quomodo id fiat. De quo

**DICO.** *Ex hoc, quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli, conceptus mentis unius Angeli innotescit alteri & sic loquitur unus Angelus alteri S. D. hic Q. 107. A. 1. O.*

Probat : loqui nihil est aliud, quam conceptum mentis internum exterius manifestare; atqui per hoc quod Angelus ordinet conceptum suum ad alterum, eo ipso alteri eundem manifestat: per hoc enim sufficienter manifestatur conceptus alteri, per quod excluduntur obstacula impediencia talem manifestationem; sed positâ tali ordinatione cessant omnia obstacula, quibus impeditur manifesta-  
tio

tio conceptus : in nobis enim unus alterius conceptum videre vel intelligere non potest Primum ex propria voluntate, quæ non vult, ut suus conceptus alteri manifestetur, Secundò quia homo cognoscit dependenter à sensibus, unde, etiamsi voluntas ordinet conceptum mentis ad manifestandum alteri, non tamen statim cognoscitur ab altero, sed oportet aliquid sensibile adhibere, hoc autem obstaculum non habet Angelus, & ideo, quam citò vult manifestare conceptum suum, statim alter Angelus cognoscit illum, sicut enim Angelus per species cognoscit præsentia, quæ non cognoscebat dum adhuc erant futura, positâ solâ conditione præsentia, ita etiam mentis cogitationes positâ solâ conditione directionis attingit, quâ stante mentis conceptus pertinet ad ordinem universi & cessat jus, quod habet Angelus ad secreta cordis. In hoc modo explicandi locutiones Angelorum salvantur omnes conditiones locutionis, quarum prima est : quod debeat esse aliquid pandens internum cordis secretum : nisi enim exterius, quod internum est, manifestetur, semper manebit occultum, & hoc est directio illa manifestativa : quia per hujusmodi ordinationem ponitur internus conceptus intrâ spheram cognoscibilitatis Angeli, cui dirigitur & intrâ latitudinem rerum pertinentium ad ipsum, & jus, quod habet Angelus in conceptus suos, transfundit & transfert in alterum. Secunda est : quod debeat excitari audiens, ut loquenti attendat : ad hoc enim tendit locutio, ut communicetur alteri cognitio, quæ sicut vel non attento non communicatur ; per illam autem directionem conceptus ad alterum Angelum excitatur audiens ad auscultandum : quia tunc species innatæ Angeli, ad quem dirigitur conceptus, conceptum



ceptum illum explicitè repræsentant, sicut exhibent individua positâ conditione præsentia, quæ seclusâ præsentia non repræsentarent, non per mutationem ipsius speciei repræsentantis, ut probabilius dicendum videtur, sed per mutationem objecti repræsentati, quod est repræsentabile, si pertineat ad univèrsum & non est repræsentabile, si non pertineat, hoc ipso ergo quo Gabriel ordinat conceptum suum ad Raphaelem, tunc excitatur mens Raphaelis, ad quem conceptus ille incipit pertinere. Et dato, quod Angelus non teneatur attendere ad omnia præsentia, exigit tamen naturalis perfectio Angeli, ut ad se hic & nunc pertinentia statim intelligat, & ad illam attentionem statim divina providentia concurrat connaturaliter, sicut enim Deus sibi quodammodo legem imposuit, ut introductâ ultimâ dispositione in materia creet & infundat animam rationalem, sic constituit, ut Angelo conceptum suum ordinante alter attendat, ut in republica sit perfecta politia. Tertia est, quod exigit locutio ut possit fieri uni præ alio, tolleretur enim omne commercium, si loquens uni teneretur omnibus sua privata cogitata exponere, quod etiam hic salvatur, dirigit Angelus liberè conceptus suos & consequenter, ad quem Angelus vult, eos ordinat, qui consequenter illis erunt occulti ad quos non dirigitur. Demum ex hac locutionis angelicæ explicatione patet, quomodo Angeli mali possint mentiri, sicut de facto sæpe mentitur Dæmon, qui fuit mendax ab initio, potest enim Angelus conceptus duos formare, unum, quo exprimat veros suos affectus, alium, quo explicat aliter ac sentit, si primum non dirigat, sed apud se retineat, secundum autem conceptum ad alium ordinet, erit mendacium, potest etiam mentiri dicendo se velle

aliquid, quod non vult, vel affirmando se habuisse in mente, quod non habuit.

*Obj.* Ipsa ordinatio conceptus ad alterum est etiam actus internus & consequenter occultus; ergo per illam ordinationem non manifestabitur secretum.

*R.* Illam ordinationem esse quidem formaliter internam immanentem & occultam, sed virtualiter transeuntem & externam: quia tollit impedimentum morale, quo occultatur conceptus, qui per illam incipit pertinere ad Angelum, ad quem sermo dirigitur, nec amplius est sub jure & dominio dirigentis.

DICO. 2. *Unus Angelus dicitur illuminare alium, in quantum ei manifestat veritatem, quam ipse cognoscit.* S. Th. hic. Q. 106. A. 1. O.

Explicatur: cum omne quod manifestat intellectui veritatem, lumen dicatur, Angeli superiores ita veritates inferioribus proponentes ut ab eisdem modo sibi proprio cognosci possint, dicuntur illos illuminare, cujus illuminationis testimonia tum ex sacra Scriptura tum ex SS. PP. adducuntur. ut Ps. 23. inducuntur interrogantes Angeli inferiores: *quis est iste rex gloria & instruentes superiores: Dominus fortis & potens Dominus potens in praebio, Dominus virtutum ipse est Rex gloria: Is. 63. interrogantibus: quis est iste, qui venit de Edom? &c.* Respondetur: *iste formosus in stolâ suâ gradiens in multitudine fortitudinis suae & S. Th. A. cit. in arg.* sed contrâ adducit S. Dionysium cap. 8. de celest. hierarchia dicentem: quod Angeli secundæ hierarchiæ purgantur & illuminantur & perficiuntur per Angelos primæ hierarchiæ. Fit autem hæc illuminatio non de ipsa essentia divina, quia omnes Angeli eandem immediatè vident, sed de ipsis creaturis actualibus vel possibilibus in essentia divi-

DE COGN. PROP. CUST. & LOCUT. ANG. 403  
na à superiore visis, quas inferior non videt, deinde  
de mysteriis gratiæ perfectiori modo cognitis à supe-  
rioribus Angelis, denique de rebus naturalibus, quas  
perfectius cognoscunt superiores quam inferiores.  
Videntur tales illuminationes duraturæ, quamdiu  
erit status Ecclesiæ in terra militantis, ad cuius salutem  
promovendam ordinatæ sunt. Sed quomodo hæc  
illuminatio fiat, difficile est explicatu, melior videtur  
modus explicandi: quod illuminet Angelus supe-  
rior inferiorem proponendo ipsi objecta à se modo  
sublimiori cognita proportionatè ad species, quibus  
Angelus inferior intelligit ac ea quæ superior per  
pauciores species intelligit in multos conceptus di-  
visa ad inferiorem Angelum dirigendo. Ità videtur  
sensisse S. Th. A. cit. ubi ità: *Superior Angelus*  
*veritatem, quam universaliter accepit, quodammo-*  
*do distinguit, ut ab inferiori capi possit, & sic eam*  
*cognoscendam illi proponit, sicut etiam apud nos Docto-*  
*res, quod in summâ capiunt, multipliciter disting-*  
*nuunt, providentes capacitati aliorum. & Q. 9. de*  
*verit. A. 5. O. Superior Angelus habet cognitionem*  
*de rebus per formas magis universales. Unde inferior*  
*Angelus non est proportionatus ad accipiendam cognitio-*  
*nem à superiori Angelo: nisi superior Angelus cognitio-*  
*nem suam quodammodo dividat & distinguat, conti-*  
*piendo in se illud, de quo vult illuminare, per modum*  
*talem, quo fit comprehensibile ab inferiori Angelo &*  
*talem conceptum suum alteri Angelo manifestando il-*  
*lum illuminat & in hoc sensu videtur accipiendus*  
S. Th. dum alias dicit Angelum superiorem lumen  
suum lumini inferioris unire, videlicet veritatem à  
se cognitam secundum inferioris capacitatem eidem  
proponendo.

DICO. 3. *Singulis hominibus singuli Angeli ad custo-*  
*diam deputantur* S. Th. hic. Q. 113. A. 2. O.

Probatur 1. hominibus esse deputatos Angelos ad custodiam ex illo Gen. 48. v. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Jud. 13. v. 20. *vixit ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius & hinc euntem, & sibi commorantem, & inde huc revertentem* Ps. 33. v. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos* Ps. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

2. Singulis singulos custodes esse potissimum evincitur ex illo Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei, qui in calis est, ratio congruentiæ in utroque est: quia Deus gubernat inferiora per superiora; ergo naturam humanam dirigit & perducit in finem suum per naturam superiorem videlicet angelicam, & quia Angelorum numerus excedit numerum hominum conveniens fuit cuilibet homini singularem Angelum custodem deputari, incipit autem hæc Angelorum custodia à nativitate hominis, à quo tempore atcent Dæmones, ne quantum possunt & volunt noceant, avertunt pericula ex iisque eripiunt, & durat usque ad finem vitæ, quia tamdiu homo est in viâ & per mortem incipit esse in termino, in ordine ad quem in prædestinatis efficaciter in reprobis inefficaciter ordinatur Angelorum custodia, juxta illud Apost. Heb. 1. v. 14. *nonne omnes sunt administratores Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.**

3. Præter singularium hominum custodes, qui ex infimo Angelorum ordine sunt, cuilibet regno, Provinciæ & forte Civitati ex Archangelorum vel Principatumum ordine custodes deputati sunt, ut probatur ex illo Josue 5. ubi Angelus Josue apparens ait: *sum Princeps exercitus Domini utique*

DE COGN. PROD. CUST. & LOCUT. ANG. 405  
que Israëlitarum custos. Dan. 10. *Princeps regni  
Persarum restitit mihi viginti & uno diebus & ecce  
Mihael unus de Principibus primis &c.* quem locum  
communiter SS. PP. exponunt de custode populi  
Israëlitici agente de populo Israëlitico liberando &  
de custode Regni Persarum pro bono illius regni lon-  
giorem Israëlitarum remanſionem urgente.

## DISPUTATIO XXV.

*De peccato Angelorum & statu Demonum.*

### QUÆSTIO I.

*An Angelus vel creatura aliqua sit vel esse possit  
impeccabilis ex naturâ suâ ?*

**D**ICO. *Tam Angelus quam quaecunque creatura  
rationalis, si in suâ naturâ consideretur, potest  
peccare S. Th. hic. Q. 63. A. 1. O.*

Probatur : præterquam enim, quod de facto  
nulla creatura sit condita, quæ sit simpliciter impec-  
cabilis, siquidem non tantum de peccato hominum  
sed etiam Angelorum dicitur Job 4. *ecce, qui ser-  
viunt ei, non sunt stabiles & in Angelis suis reperit pra-  
vitatem.* Implicat creatura pura, quæ sit intrinsecè  
impeccabilis, cujus ratio fundamentalis est: omnis  
voluntas potest declinare à rectitudine sui actus &  
consequenter peccare, quæ non est sua regula, il-  
le enim actus est indeclinabiliter rectus, cujus regu-  
la est ipsa virtus agendi, ut, si manus Artificis esset  
regula incisionis, nunquam posset Artifex nisi rectè  
scindere, si vero rectitudo incisionis dependeat ab  
alia regula, poterit contingere, incisionem esse  
obliquam & non rectam; atqui nec voluntas ange-  
lica nec ulla creatura vel creabilis est sua regula, sed  
regulatur à voluntate divina, cujus legi ac imperio  
subdita est, non indefectibiliter, quia voluntas crea-

ta non est essentialiter conjuncta cum illa regula divina, sed ratione libertatis sese potest ab illa divertere vel saltem illi non attendere; ergo omnis voluntas creata etiam angelica est defectibilis saltem circa bonum supernaturalis ordinis, ad quod non est ex suis principiis intrinsicis determinata.

Q. 1. An Angelus relictus in puris naturalibus potuisset peccare?

R. Negativè, probatur: in intellectu angelico nullus potest esse defectus vel error etiam inconsiderationis circa naturalia; cum omnia simplici intuitu cognoscat; ergo intellectus angelicus non potest voluntati proponere, nisi objectum consonum regulis morum, alias defectuose objectum proponeret dicens bonum esse malum vel contrà malum bonum; atqui nullus est defectus in voluntate, nisi aliquis præcedat in intellectu, nec potest esse prava electio nisi præcedente falso dictamine; sicut enim implicat voluntatem ferri in aliquod non præcognitum, ita repugnat voluntatem ferri defectuose, nisi sit defectuose cognitum ab intellectu, cujus judicium est regula voluntatis; atqui nullus defectus potest esse in intellectu angelico circa naturalia, ergo etiam in voluntate nullus potest esse defectus circa naturalia, sed solum circa supernaturalia, quæ non plenè & perfectè attingit, quamdiu per fidem ambulat.

Confirmatur: sicut modus cognoscendi Angelicus est intelligere principia, & in iis comprehendere conclusiones, ita modus procedendi voluntatis est incipere ab amore finis, quo efficaciter amato non potest non amare media propter ipsum, nisi retrocedat à fine, à quo retrocedere non potest, quamdiu intellectus proponit & comprehendit bonitatem finis; atqui quamdiu voluntas est rectè disposita circa finem naturalium

&

& illi firmiter adhæret, non potest esse defectuosa in prosecutione mediorem: ex bonâ enim intentione non sequitur mala electio.

*Obj. 1.* Angelus potest peccare contrâ finem ultimum supernaturalem, qui est Deus ut Author gratiæ in seipso intuitivè vitibilis; ergo etiam deficere potest à Deo ut est Author naturæ, vel ut abstractivâ cognitione assequibilis: peccando enim contrâ finem ultimum supernaturalem, etiam peccat contrâ finem ultimum naturalem.

*R.* Distinguendo consequ. Ergo potest deficere à Deo ut est Author naturæ, sive peccare contrâ finem ultimum naturalem directè N. indirectè Con. directè fit peccatum contrâ finem ultimum naturalem, cum peccatum ex specie actus & objecti repugnat honestati vel præcepto naturali, indirectè autem, cum peccatum ex specie actus & objecti repugnat præcepto supernaturali, & ex consequenti etiam pugnat cum præcepto naturali, inquantum suppositâ elevatione naturæ rationalis in finem supernaturalem ipsa ratio naturalis distat, non violandum ordinem charitatis supernaturalis, per quem bonum rationis perficitur.

*Obj. 2.* De facto Dæmones peccant contrâ finem naturalem blasphemando, mentiendo, suggerendo furta & adulteria.

*R.* Vel Dæmones illa omnia nefanda patrant ex odio Dei Authoris supernaturalis, ac ita peccant directè contrâ finem supernaturalem & indirectè contrâ naturalem; vel dici potest Angelos peccantes contrâ Deum Authorem supernaturalem instabiles factos, & periisse eorum rectitudinem naturalem, quâ fini naturali erant immobiliter subordinati, ac quod proinde sæpissime contrâ legem naturalem etiam directè peccent.

*Obj. 3.* Deus Angelo in puris naturalibus constituto aliquid præcipere poterat, quod Angelus omittere pos-

set saltem ex voluntariâ inconsideratione præcepti illius, quia ejus intellectus non est determinatus ad considerandum in exercitio omnes circumstantias operis exercendi; sed tunc peccasset; ergo.

R. In illo casu intellectum Angelicum utpote re-  
ctum & incapacem defectûs semper imperaturum executionem præcepti divini, nec posset proponere voluntati voluntariam omissionem ut convenientem; aliàs ipse intellectus erraret.

Obj. 4. Ergo Angelus in puris naturalibus constitutus fuisset impeccabilis simpliciter.

R. N. consequentiam: quia poterat indirectè peccare contra legem naturalem: erat enim elevabilis ad altiorem finem, quem confuse scivisset in puris naturalibus cognoscendo se ad altiorem finem elevabilem & ab illo defectibilem.

Q. 2. An Angelus necessariò se amet & Deum magis quam se?

R. Affirmativè, probatur: si intellectus Angelicus necessariò cognoscat seipsum ut sibi convenientem, & in seipso cognoscat Deum Authorem sibi magis convenientem, necessariò etiam debet seipsum velle ut sibi convenientem, & magis velle Deum ut sibi magis convenientem: voluntas enim non fertur nisi in bonum, bonum autem dicitur quod est suppositio conveniens, frigitur Angelus necessariò cognoscat se esse bonum & Deum adhuc magis ipso esse bonam, etiam debet velle se ut bonum & magis se bonum Deum; atqui Angelus necessariò cognoscit se esse bonum & magis se bonum esse Deum: quia se comprehendit; sed an necessariò etiam quoad exercitium se & Deum ut Authorem naturæ amet, controversatur inter Thomistas, qui negativam tuentur, illius hoc dant fundamentum à priori: in proprio & connaturali statu considerata voluntas creata à nullo objecto extrâ Deum  
clare



clarè visum necessitatur quoad exercitium; est enim potentia universalissima in appetendo: quæ nullo particulari bono astringitur, sed potest se ad quodcumque protendere, sicut materia ad quamcunque formam; ergo nullum præter universalissimum bonum in se clarè visum, potest capacitatem voluntatis exple- re; sed quamdiu voluntas non est expleta, potest ad aliud bonum desiderio se divertere; ergo à nullo bono præterquam summo in se clarè viso necessitatur volun- tas ad exercitium; ergo nec à Deo lumine naturali no- to rapitur, & multò minùs à se: cum in se non vi- deat omnimodam rationem boni. à posteriori hanc dan rationem: si amor Dei esset in Angelis naturalis & necessarius quoad exercitium, maneret in damnatis Angelis, qui nulla naturalia perdiderunt; atqui dilec- tio Dei super omnia etiam naturalis nequit manere in damnatis Angelis: cum nullus possit esse aver- sus à Deo ut Authore supernaturali, qui etiam non rece- dat à Deo ut Authore naturali. Pro opposita sen- tentia

*Dices I.* Voluntas sequitur cognitionem; atqui Angelus est semper in cognitione sui: cum ipsius essen- tia sit maximè proportionatum objectum cognitionis propriæ; ergo etiam semper est in exercitio dilectionis sui ipsius.

*R.* Distinguendo mi. Angelus semper est in cog- nitione sui ipsius speculativâ Con. practicâ & ad amo- rem movente N. Tunc solùm objectum per cognitio- nem propositum rapit & pertrahit voluntatem, quando non permittit rationem dictare, quod cessatio ab exer- citio amoris sit conveniens, ideoque amor Dei clarè visi est necessarius quoad exercitium, quia in Deo cla- rè viso apparet summa ratio boni, ob quam nulla in cessatione ab illius amore apparere potest convenientia, atqui in statu viæ Angelus non videt clarè in Deo &

multò minùs in se rationem summi boni ; ergo à tali amore potest se divertere.

*Dices 2.* Juxtà S. Th. hic Q. 60. a. 5. O. & 1. 2. Q. 149. a. 3. naturali dilectione Angelus & homo plus & principalius diligunt Deum quam seipfos.

*R.* Distinguendo aff. naturali id est necessariâ N. naturali id est integræ naturæ conveniente dilectione Angelus & homo plus diligunt Deum quam seipfos. Con. & hæc est mens S. Th, l. cit. videl. naturam intellectualem in suâ integritate permanentem inclinari naturaliter ad Deum diligendum, sicut inclinatur ad bonum rationis, ideoque vitium dicitur esse contrâ naturam, quam tamen proclivitatem naturalem ad virtutem lædit peccatum.

## QUÆSTIO II.

*An Angelus in primo instanti potuerit peccare & quodnam primum peccatum ?*

**S***uppono 1.* Quod in intellectu Angeli, priusquam peccaret, non potuerit esse formalis error aut ignorantia : quia ignorantia & error contingit ex defectu alicujus principii ad perfectam cognitionem requisiti ; sed Angelus nullum ejusmodi defectum habuit neque circâ naturalia objecta, quippe quorum species perfectè repræsentativas initio suæ creationis accepit, neque circâ supernaturalia, quorum habuit sufficientem fidem & plenam revelationem, aliàs enim non fuisset plenus sapientiâ.

*Suppono 2.* Actum, quo Angelus peccavit, fuisse absolutum & efficacem, quia voluntas & deliberatio de ultimo fine, quâ quis se & omnia sua ordinat in aliquem finem ultimum, est voluntas absoluta & efficax ; sed primus actus Angeli fuit hoc modo deliberativus de ultimo fine : quia fuit actus in primo instanti perfectæ deliberationis elicitus, in quo Creatura rationalis

DE PECCATO ANGELO. & STATU DÆMON. 411  
nalis debet deliberare de ultimo fine & suâ beatitudi-  
ne, est autem naturâ prius deliberare de ultimo fine &  
suâ beatitudine, quam de finibus intermediis, cum  
fines intermedii eligantur virtute primi finis.

DICO I. *Impossibile fuit Angelum in primo instanti  
peccasse per inordinatum actum liberi arbitrii* S. Th.  
hic Q. 63. a. 5. in O.

*Probat 1.* Angelus vel fuisset conditus in statu  
naturæ puræ, vel in statu naturæ elevatæ ad finem su-  
pernaturalem, in nullo potuit peccare, non in primo  
ut supra diximus: quia Angelus circâ finem naturalem  
non potuit errare. Non in secundo: quia peccatum  
actuale non potest pro eodem instanti stare cum gra-  
tiâ; ergo Angelus in primo instanti non potuit pec-  
care.

*Probat 2.* Si Angelus in primo instanti suæ crea-  
tionis peccaret, illud peccatum esset à Deo ut causâ spe-  
ciali: ad illum enim actum Deus ut causa specialis  
concurrit, ad quem Deus solùm & unicè facultatem  
applicat; ille enim est causa specialis, præter quem  
nulla alia est assignabilis, sed in primo instanti ad pro-  
ducendum actum solus Deus applicat voluntatem: illa  
enim est causa movens & applicans voluntatem, quæ  
causat notitiam & præcticum dictamen intellectûs, ad  
quod proximè sequitur operatio; sed in primo instanti  
solus Deus potest causare notitiam & præcticum dicta-  
men intellectûs: voluntas enim Angeli non potest di-  
ctamen illud præcticum causare nisi per actum præce-  
dentem, in primo autem instanti non fuit actus volun-  
tatis præcedens; ergo sola causa extrinseca nempe Deus  
est solus, qui causat primam notitiam & iudicium præ-  
cticum, ad quod sequitur operatio; ergo si primum  
iudicium & dictamen intellectûs fuisset defectuosum  
& erroneum, illud esset specialiter causatum à Deo,  
cum enim illa mala cogitatio præcederet omnem libe-  
ram

ram electionem & determinationem voluntatis essetque omnium prima, etiam esset necessariò à Deo immissa & causata, quod implicat.

*Obj. 1.* Homo perveniens ad usum rationis in primo instanti perfectæ rationis potest peccare, si videl. se non convertat ad Deum tanquam ultimum finem; ergo etiam Angelus peccare potuit; maximè cum perfectior sit usus rationis in Angelo quam in homine.

*R.* N. consequentiam, disparitas est; quod instans primum operationis Angelicæ sit physicè & mathematicè unum, in quo voluntas Angeli applicatur ad amorem ultimi finis in particulari, unde, cum seipsum non possit ad talem actum applicare, debet applicari à principio extrinseco; instans autem usûs rationis in homine non est physicè, sed moraliter unum constitutum ex pluribus instantibus physicis: homo enim per discursum ab actibus imperfectis ad perfectos, à propositione universali ad particularem & ad ultimum iudicium practicum de ultimo fine particulari procedit. Hinc operatio, quæ correspondet instanti initiativo, in quo nempe initiatur discursus practicus hominis & excitatur cogitatio de prosequendâ beatitudine in communi, est semper bona & à Deo specialiter applicante & movente; operatio verò respondens instanti terminativo, quo videl. terminatur operatio & formatur iudicium practicum de ultimo fine in particulari, non semper est bona nec à Deo specialiter movente: voluntas enim per primam operationem in instanti initiativo sufficienter actuata potest defectuosè movere & applicate intellectum, ut in suo discursu malè subsumat, & in ultimo instanti completivo practicè inferat: ultimum finem esse collocandum in bono sensibili, & tunc defectus operationis in ipsam voluntatem hominis tanquam principium defectuosè applicans refunditur.

*Obj.*

*Obj. 2.* Angelus in primo instanti fuit liber; ergo potuit peccare.

*R.* Fuit liber libertate contrarietatis & quoad specificationem N. libertate contradictionis & quoad exercitium Con. ad peccandum autem requiritur libertas contrarietatis.

*Nec dicas:* Libertas exercitii sufficit ad meritum; ergo etiam ad demeritum; contra enim est; quod licet plus requiratur ad meritum quantum ad causas bonitatis quam ad demeritum, non tamen plus libertatis requiritur ad meritum quam demeritum: cum Christus meruerit & tamen non fuerit liber libertate contrarietatis; ad meritum quippe sufficit libertas quoad exercitium, quæ salvatur per propositionem objecti hic & nunc eligendi, ut tamen possit absolute non eligi; ad peccandum verò requiritur libertas contrarietatis ad bonum & malum.

*Obj. 3.* Prima operatio bona & supernaturalis fuit ex gratiâ speciali; ergo Deus potuit denegare illam gratiam, quâ denegatâ Angelus peccasset.

*R.* Fuit ex gratiâ speciali, quatenus est supernaturalis Con. quatenus est impeditiva peccati N. sic est enim beneficium generale debitum jure creationis, operatio enim, quæ incipit cum esse rei, tribuitur generanti & Authori naturæ.

*DICO 2.* Peccatum primum Angeli non potest esse aliud, quam superbia. S. Th. hic Q. 63. a. 2. O.

*Explicatur:* de facto primum peccatum Angeli aliud non fuit quam superbia, in quantum Angelus suæ naturalis perfectionis & excellentiæ amore absorptus illam non curavit ordinare & referre in finem & beatitudinem supernaturalem, ita non tantum hic sed etiam 3. Cont. gentes Cap. 110. expressè S. Th. *Sicut in nobis peccatum est ex hoc, quod bona inferiora scilicet corporis appetimus absque ordine rationis, ita in Diabolo*

*bolo peccatum fuit in hoc, quod proprium bonum non  
revertit ad divinum bonum.*

*Probatur 1. De facto fuisse peccatum superbiæ ex  
II. 14. v. 11. Detracta est ad inferos superbia tua,  
Ezech. 28. v. 17. Elevatum est cor tuum in decore  
tuo. 1. ad Tim. 3. v. 6. Ne in superbiam elatus in  
judicium incidat Diaboli.*

*Probatur 2. Ratione: superbia est appetitus inor-  
dinatus propriæ excellentiæ sine subjectione ad supe-  
riorem ut docet S. Th. 2. 2. Q. 162. atqui primum  
peccatum Angelorum non est nec esse potest aliud,  
quam appetitus inordinatus propriæ excellentiæ absque  
subjectione ad superiorem: peccatum enim Angeli de-  
buit necessariò esse circa ultimum finem, qui primò  
ei occurrit, ut de eo deliberaret: circa ultimum fi-  
nem autem nemo primò peccat per nolationem: quia  
intantum est nolio finis ultimi veri, inquantum est  
accessus ad alium, in quo ratio ultimi finis constitui-  
tur, unde necessariò peccatum Angeli fuit prosecutio  
boni, & quidem veri boni & non mali: quia nullum ha-  
buit in voluntate pravum habitum nec ullas sensit pas-  
siones, quibus ad malum propenderet, nec in in-  
tellectu habuit errorem vel ignorantiam, per quam  
malum pro bono acciperet, illud autem bo-  
num debuit esse spirituale: quia bona corporalia sunt  
Angelo impropportionata; ergo primum peccatum  
Angeli debuit esse prosecutio alicujus veri boni spiri-  
tualis; atqui prosecutio boni spiritualis non potuit esse  
mala nisi malitiâ superbiæ: affectus enim bonorum  
spiritualium non potest esse malus, nisi quatenus in  
eo superioris regula non servatur, vel subjectio ei de-  
bita; ergo primum peccatum Angelorum non fuit  
nec potuit esse aliud, quam amor propriæ excellentiæ,  
in quâ posuit suum ultimum finem, non quod credi-  
derit suam perfectionem & pulchritudinem naturalem  
esse*

DE PECCATO ANGEL. & STATU DÆMON. 415  
esse suum ultimum finem, is enim error fuisset cras-  
simus; sed quia ex modo, quo eam appetivit con-  
vertendo se ad proprium bonum absque ordine ad re-  
gulam superioris, practicè & in actu exercito se gessit,  
ac si bona naturalia judicâisset sibi sufficere, & se supe-  
riore Deo non egere.

*Obj. 1.* Primum peccatum Angeli fuit inobedien-  
tia, quâ præceptum subjiciendi se regulæ superioris  
est transgressus.

*R.* Negando ass. quia inobedientia formaliter com-  
mittitur, quando voluntas renuit sese subdicere superiori  
tanquam legislatori, at nolle subjici regulæ superioris  
tanquam mensuræ excellentiæ propriæ est superbia.

*Obj. 2.* Si Angelus peccâisset suam excellentiam non  
ordinando in finem supernaturalem, peccavit peccato  
omissionis contrâ præceptum charitatis, ex quo obli-  
gabatur se & omnia referre in Deum; sicut homo, si  
in primo instanti usûs rationis non eliciat actum amo-  
ris, peccat contrâ præceptum charitatis.

*R.* Si Angelus peccâisset præcisè omittendo actum  
dilectionis, quo se & omnia referret in Deum juxta po-  
sitivum præceptum charitatis, peccâisset peccato omis-  
sionis; at ille peccavit eliciendo actum dilectionis ergà  
seipsum sine ordine ad supremam dignitatem, quod  
repugnat præcepto humilitatis negativo, quo prohibe-  
mur complacentiam nostrarum perfectionum subtra-  
here superiori dignitati & excellentiæ.

*Obj. 3.* Illum appetitum inordinatum propriæ ex-  
cellentiæ debuit præcedere judicium practicum di-  
ctans, illam esse prosequendam sine ordine ad Deum  
ut ultimum finem supernaturalem; atqui tale judicium  
in Angelo esse non poterat, fuisset enim maximus  
error.

*R.* Distinguendo maj. debuit præcedere judicium,  
quo judicaret in actu exercito & ex modo tendendi,  
omit-

omittendum esse ordinem ad finem supernaturalem Con. quo iudicaret in actu signato & ex parte voliti N. Angelus in primo instanti creationis habebat iudicium practicum de amandâ sua beatitudine cum subordinatione ad finem ultimum supernaturalem, in secundo instanti in ipsâ voluntatis applicatione intellectus practicus illius neglexit attendere ad illam debitam subordinationem, quam inconsiderationem & neglectum debitæ attentionis subsecutus fuit amor inordinatus propriæ excellentiæ; unde, quia omissio debiti ordinis non proponebatur ex parte objecti ab intellectu, non erat iudicium practicum de isto ordine omittendo in actu signato, erat tamen in actu exercito, eò quia intellectus in ipso exercitio repræsentandi propriam perfectionem negligebat attendere ad superiorem regulam, qui error non est formalis sed virtualis.

*Obj. 4.* Eo proportionali modo fuit defectus in voluntate Angeli, sicut fuit in intellectu; atqui in intellectu fuit tantum omissio considerationis ad regulam superiorem; ergo etiam in voluntate fuit tantum peccatum omissionis

*R.* Distinguendo mi. fuit omissio considerationis practicæ Con. speculativæ N. inconsideratio, quæ præcessit peccatum Angelorum fuit practica & imperativa inconsideratio, non autem pura omissio; quia licet sciret, se debere uti regulâ superiori, eam tamen despexit eo ferè modo, quo artifex, qui habet ante oculos suos mensuram, quâ dirigatur artefactum, illâ neglectâ procedit ad opus, unde hæc inconsideratio erat dupliciter mala: causaliter & formaliter: quia & malè regebat voluntatem & malè imperabatur à voluntate: nec enim intellectus considerabat regulam, nec voluntas volebat considerari regulam.

*Obj. 5.* Si illa intellectûs practici inconsideratio fuit ex malâ applicatione voluntatis; ergo illam voluntatem



luntatis malè applicantis malitiam debuit præcedere alius actus intellectûs.

2. Negando sequelam : quia intellectus dirigens & voluntas applicans ad invicem exercent mutuam causalitatem, & sic voluntatis applicatio in genere causæ efficientis applicativæ præcedit defectuosum iudicium, & econtra iudicium defectuosum vel practica inconsideratio in genere causæ formalis directivæ præcedit malitiosam applicationem voluntatis.

Ex dictis sequitur 1. qualiter Angelus voluerit esse ut Deus vel æqualis Deo : quia ex modo tendendi voluit in seipso invenire felicitatem & eam absque ulteriore adiutorio adipisci, non autem reverà voluit esse æqualis Deo : Angelus enim perfectè cognoscebat hanc æqualitatem esse impossibilem : noverat enim se esse ens creatum & per participationem nec posse esse ens per essentiam, idque cognitione clarâ & comprehensivâ intelligebat.

Sequitur 2. supremum Angelorum lapsorum fuisse principem omnium Angelorum : quia cum motivum peccati Angelorum fuerit excellentia, quæ sicut fuit maxima in supremo Angelo, hinc maximè lapsus est, secuta est Luciferum tertia pars Angelorum, ut indicatur Apoc. 12. v. 4. *Cauda eius traherat tertiam partem stellarum.* Unde S. Th. hic a. 9. dicit : plures remansisse quam peccâsse : quia peccatum est contra inclinationem naturæ, quæ autem sunt contra inclinationem naturæ, sunt in paucioribus; aliud est in hominibus, in quibus prædominatur inclinatio ad bonum sensibile.

Sequitur 3. Angelos malos non fuisse bonos nisi per unicū instans indivisibile : si enim ampliùs bonum actum, protraxissent, in veritate immobiliter stetitissent : quia voluntas Angelica post plenam deliberationem est inflexibilis, ut statim dicitur.

Sequitur 4. Peccatum Angelorum plura alia peccata secum traxisse; nam peccaverunt *contra* charitatem non diligendo Deum super omnia, *contra* obedientiam contemnendo præceptum Legislatoris, *contra* spem per nimiam præsumptionem, *contra* charitatem fraternam peccato invidentiæ.

### Q U Æ S T I O III.

*De obstinatione & pœnâ Daemonum.*

**D**ICO 1. *Liberum arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem sed non post, sic igitur... Angeli... mali peccantes sunt in malo obstinati. S. D. Q. 64. a. 2. O.*

*Probatur*; ubi est immobile iudicium de objecto eligendo, ibi etiam est immobilis voluntas eligendi; quia vis appetitiva in omnibus commensuratur virtuti apprehensivæ, à quâ movetur; atqui Angelus aliquid deliberatè eligens habet iudicium immobile de re eligendâ, quia iudicium Angeli est cognitio comprehensiva attingens in objecto omnes rationes in eo contentas & omnia motiva, quæ possunt & ad amorem alligere, & ab eo retrahere; ad retractationem autem prioris voluntatis requiritur nova cognitio diversa circa objectum, quod diverso modo apparet nunc quam antea; atqui non potest de novo manifestari objectum, quod semel resolutoriè & deliberatè voluntas Angelica fuit amplexa; ergo voluntas Angeli post plenam deliberationem est inflexibilis.

*Obj. I.* Ideò voluntas Angeli ante electionem erat in utramque partem libera, quamvis comprehensivè procederet, quia intellectus præponebat tale objectum cum indifferentiâ, nullum enim objectum extrâ Deum, clarè visum potest proponi cum necessitate rapiente.

¶. Negando ass. quia, quod voluntas Angeli circa objecta

objecta creata immobiliter procedat, non est ex meritis objecti contingenter moventis, sed ex modo operandi Angelico, quo eodem actu indivisibili fertur in media & finem, sicut intellectus fertur in principia & conclusiones & ex suppositione plenè deliberatæ electionis supponentis cognitionem comprehensivam perpendentem omnia motiva & rationes objecti, nec in continuatione talis obfirmatæ voluntatis tollitur libertas: quia non est de ratione libertatis, ut possit se retractare postquam voluit, aliàs Deus non esset liber, cujus decreta sunt immutabilia; sed sufficit, quod ante resolutoriam electionem potuerit utrumque eligere & quod voluntariè se projecit in talem statum, ex quo redire nequit.

*Obj. 2.* Angeli boni possunt voluntatem mutare, ergo etiam mali. Probatum autem, Angelus custos persarum non volebat apud Prophetam Danielem liberationem populi Israelitici Angelo Gabriele illam à Deo efflagitante; ergo cum Angeli boni possint habere oppositas voluntas, illas poterunt concordare & ità non manere in unâ voluntate firmati.

*R.* Negando autem ad cuius probat dicendum: Angelos in iudicio suo quandoque procedere comprehensivè cum plenâ resolutione, quandoque verò ex conjecturis aliquid iudicando non absolutè resolvunt veritatem talis objecti, sed quàm probabilem. Sic Angelus persarum non ex plenâ deliberatione & resolutoria voluntatis divinæ cognitione agens ob Regni sibi commissi spirituale commodum volebat Judæos manere in captivitate, quam voluntatem perspecto Dei de liberatione Judæorum decreto mutavit, objecto autem comprehensivè secundum omnia motiva perspecto non potest intellectus Angelicus suum iudicium mutare, & licet in hoc ipso iudicio habeat perspecta motiva opposita, ratione quorum pro suâ libertate potuisset ad alte-

rum se determinare, nihilominus se ad alterutram partem resolvendo voluntati suæ pondus infixit faciens jam præponderare alterius partis motiva.

DICO 2. *Demonibus duplex locus pœnalis debetur, unus quidem ratione sua culpa & hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humana, & sic debetur eis caliginosus aër... licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aère isto caliginoso, tamen ex hoc ipso, quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur.* S. Th. hic Q. 64. a. 4. O. ad 3.

*Explicatur:* Sicut homines damnati ità & Dæmones duplicem ob peccatum pœnam patiuntur, damni videlicet quæ consistit in dolore ob carentiam æternæ Dei visionis, & sensûs, quam patiuntur ab igne infernali. Ratio est: quia in peccato est averfio à summo bono & huic correspondet pœna damni, & est conversio ad bonum proprium inordinatum & propter hanc meritò afflictionem patitur Angelus malus à creaturâ, & quidem in inferno, qui est locus verus corporeus specialis verosimilius in centro terræ vel prope centrum positus: quia illud significat sacra scriptura de illo loco damnatorum Angelorum & hominum in sensu proprio intellecta ut Job. 11. *Excelsior cælo est... profundior inferno.* Et Job 10. dicitur infernus terra tenebrosa & operta mortis caligine terra miseriæ & tænebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. Congruentia est: quia sicut illis spiritibus, qui Deo per amorem adhæserunt, altissimus locus convenit, qui beatitudinis sedes est, ità malis Angelis, qui peccando à Deo elongati sunt, infimus pœnarum carcer debetur.

Deinde ignem, quo Spiritus torquentur esse verè corporeum docet consensus communis Ecclesiæ & sanctorum Patrum ita S. Aug. lib. 21. de civit. Dei cap. 10.

Cur

Cur non dicamus quamvis miris, tamen veris modis etiam Spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi... adhærebunt ergo, si eis nulla sint corpora, Spiritus Dæmonum, imò Spiritus Dæmones licet incorporei corporeis ignibus cruciandi. Quod si dicant aliqui SS. PP. esse ignem incorporeum & immaterialem, intelligenti sunt, quod non indigeat corporeo pabulo, sicut noster ignis & S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 29. Teneri autem Spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur... sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporeâ flammâ crucietur. Probatum verò ex illo Matth. 25. Descendite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Marc. 9. ubi tertio repetitur: in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Apoc. 14. Cruciabatur igne, qui aliique S. script. textus absque aliquo inconvenienti in sensu proprio intelligi possunt, ergo juxtâ generalem regulam ita intelligi debent.

Porro qualiter hic ignis immateriales creaturas torqueat, incertum est, unde in varias opiniones Theologi divisi sunt. Juxta aliquos enim Dæmones igne torquentur in quantum apprehendunt illum sub ratione disconvenientis. Juxtâ alios in quantum ignis aliquam realem qualitatem in Dæmones immittit ipsos sædantem, alii aliter cruciatum hunc exponunt. S. Th. verò in conclusione ponit in hoc, quod ignis violenter detineat & alliget Dæmones velut horrendus carcer, quo impediuntur, ne liberè, ubi volunt, agant, & licet usque ad ultimum judicii diem non omnes Dæmones in inferno alligati sint, sed multi, ut homines impugnano ipsis victoriæ & meritum occasionem præbeant, in caliginoso aëre morentur, torquentur ta-

men apprehensione, qua istum ignem ut sibi debitum continuò cognoscunt & hoc sensu dicuntur, ignem illum secum portare. Cæterum in hâc incognitâ difficultate hoc unum certum est, quod S. Aug. loc. cit. dicit quod Spiritus torquentur *miris & ineffabilibus modis adhaerendo accipientes ex ignibus pœnam.*

#### QUÆSTIO IV.

*Quomodo Dæmones impugnant & tentant homines?*

**D**ICO I. *Mali Angeli impugnant homines. S. Th. hic Q. 114. a. 1. ad 1.*

*Probatur:* Imprimis homines impugnari à Dæmonibus constat ex Ap. ad Ephes. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi Rectores Tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in cælestibus;* in hâc autem impugnatione duo distinguenda sunt: ipsa impugnatio & ordo impugnationis. Primò impugnatio ipsa, qua impugnantur homines à Dæmonibus, à Dæmonum malitiâ procedit, tum quia propter invidiam nituntur hominem impedire à suâ aternâ salute; tum quia propter superbiam divinæ potestatis similitudinem appetunt, & sicut Deus Angelos bonos mittit in custodiam & protectionem hominum, ità mali Angeli superiores usurpando divinæ potestatis altitudinem deputant inferiores ad hominum impugnationem. Secundò ordo impugnationis est à Deo: quia Deus ordinatè novit malis uti ea ad bona ordinando, & in hoc est differentia inter custodiam Angelorum & impugnationem hominum: quod custodia quoad utrumque hoc est quoad se & quoad ordinem sit à Deo, impugnatio verò quoad se tantum perimitatur.

*Obj.*

*Obj. 1.* Dæmones sunt etiã ordinati à Deo, ut homines impugnent; ergo etiã ipsa impugnatione est à Deo, sive Deus per Angelos malos impugnat homines.

*R.* Impugnatione Dæmonum fit dupliciter. Primò Dæmones impugnant hominem instigando ad peccatum, & hæc impugnatione est solum à Deo permissivè, quamvis etiã Deus ordinet hanc impugnationem ad judicia sua & justitiam implendam. Secundo Dæmones impugnant hominem puniendo, inferendo ei mala in pœnam peccatorum, & hæc impugnatione est à Deo effectivè: pœna enim refertur in Deum velut primum authorem, quamvis Dæmones velut executores supplicii à Deo missi aliã intentione puniant, quam à Deo mittantur, cum illi puniant ex odio & invidiã, mittantur autem à Deo propter ejus justitiam.

*Obj. 2.* Non est æqualis conditio hominis impugnatione & Dæmonis impugnatione: homo est infirmus, Diabolus impugnatione est fortis, Diabolus sagax & astutus, homo ignarus; ergo Deus ordinatè permittere non potest homines à Dæmone impugnatione.

*R.* Distinguendo antecedens: non est æqualis conditio hominis impugnatione suis viribus naturalibus solis relictis & Dæmonis impugnatione. Con. hominis adjuti N. illa enim inæqualitas sufficienter recompensatur à Deo tum per auxilia divinæ gratiæ, tum per custodiam Angelorum, quibus infirmo & ignaro homini sufficienter contra impugnationes Dæmonum assistit Deus, & quamvis homini de suã potentiã & scientiã præsumenti justè hanc assistentiam deneget, infirmum tamen, ignarum: hoc est infirmum se veraciter tenentem & ignarum se esse agnoscentem nunquam in impugnationibus deserit Jac. 4. v. 6, *Deus superbis resistit, humilibus au-*

tem dat gratiam v. 7. subditi ergo estote Deo, resistite autem Diabolo & fugiet à vobis. 1. Pet. 5. v. 6. humiliamini sub potenti manu Dei Pl. 9. tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.

DICO. 2. Diabolus semper tentat, ut noceat in peccatum præcipitando, & secundum hoc dicitur proprium officium ejus tentare S. Th. hic Q. 114. A. 2. O.

Probatur; tentare est experimentum sumere, de aliquo, ut sciatur aliquid circa ipsum; quod potest fieri ad bonum vel malum finem, ad bonum finem nos etiam Deus tentat, ut sciatur; hoc est; faciat nos scire, qualiter erga eum affecti simus; ita Deuteron. 13. v. 3. tentat vos Dominus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima vestra. Diabolus autem semper tentat nos in malum; quia inquirit conditiones hominum ad hoc semper, ut secundum diversas hominum inclinationes illos ad diversa vitia facilius juxta pronitatem cuique familiarem inducat; tentat autem Diabolus formaliter, quia sumit experimentum de homine, ut sciatur, quomodo ei nocere possit in peccatum præcipitando, caro autem & mundus tentant materialiter, in quantum potest cognosci, qualis sit homo ex hoc, quod sequitur concupiscentiam carnis vel illi repugnat, & ex hoc, quod contemnat prospera mundi & adversa, vel econtra, tentat Diabolus tanquam agens principale, caro verò & mundus instrumentaliter, sicut quis uritur stupâ vel ferro ad accendendum vel ex lapide focario eliciendum ignem, ita Diabolus carnis concupiscentiis sive etiam prosperis mundi tanquam stupâ, timorosis autem passionibus carnis vel mundi tortoribus tanquam ferro uritur ad immittendum nos in peccatum.



Q. An omnia peccata fiant ex tentatione Diaboli?

R. Distinguendo : Diabolus est causa indirectè omnium peccatorum , quia Diabolus instigavit primum hominem ad peccatum , & ex hoc primo peccato consecuta est in toto genere humano quædam pronitas ad omnia peccata ; non tamen Dæmon est directè omnium peccatorum causa : quia etiamsi non esset , homines haberent appetitum cibi & potûs & venereorum , & circà huiusmodi appetitum multæ inordinationes contingunt ex libertate arbitrii nostri secundum rectam rationem non regulati ac ex carnis corruptione. Unde S. Jacobus non vult causam omnium peccatorum esse Diabolum Jac. 1. v. 14. *unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus* & Job. cap. 4. fit comparatio inter peccatum hominum & Angelorum. *Ecce , qui serviunt ei , non sunt stabiles , & in Angelis suis reperit pravitatem , quanto magis hi , qui habitant domos luteas , qui terrenum habent fundamentum , consumentur velut à tineâ ?* cum igitur peccatum saltem primi Angeli à nullo altero Dæmone processerit sed à suo libero arbitrio , potest etiam homo peccare solo suo libero arbitrio remotâ omni suggestione.

## DISPUTATIO XXVI.

*De homine & variis statibus naturæ humanæ.*

**N**omine statûs hic significatur quædam dispositio & habitudo naturæ humanæ ad suum ultimum finem cum aliqua consistentia seu permanentia , status itâ acceptus universaliter dividitur in statum viæ & patriæ. De statu patriæ agitur 1. 2. ubi de beatitudine. Status viæ , qui vel de facto fuit aut saltem possibilis fuit , est quintuplex. Satus innocentie aut justitiæ originalis , in quo de facto fue-

Dd 5

runt

runt nostri primi parentes. Status naturæ integræ in priori inclusus. Status naturæ puræ. Status naturæ lapsæ. Et denique naturæ reparatæ.

## QUÆSTIO I.

*De statu innocentia.*

**D**ICO. *Plurima Sanctorum auctoritates attestantur hominem in statu innocentia gratiam habuisse, sed quod fuerit conditus in gratiâ. . . videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in quâ Deus hominem fecit. S. Th. hic Q. 95. A. 1. O.*

Conclusio est contra Pelagium asserentem: infantes recens natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

Probatur 1. Ex sacra Scriptura Eccles. 7. v. 30. *Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Ephes. 4. *Renovamini Spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis: id est verâ; quibus verbis juxta communem SS. PP. & Interpretum expositionem docet Apostolus, nos renovari per merita Christi ad justitiam illam in quâ initio fuimus in Adamo.*

2. Ex Con. Trid. Sess. 5. in decreto de pecc. orig. can. 1. ita loquente: *si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse &c. Anathema sit.*

3. Ex SS. PP. sufficiat S. Aug. qui l. 12. de civit. Dei cap. 9. postquam de Angelis dixisset: *istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bonâ voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhererent, creavit simul in eis & condens naturam & largiens gratiam.* Postea subjungit: *confitendum*

*est*

est igitur cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici: quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.

Congruentia sunt 1. quia alias res condidit Deus ita perfectas, ut finem suum assequi possint, ergo etiam conveniens fuit hominem condi perfectum, ut finem aeternae vitae, ad quem destinatus est, per gratiam consequi posset.

2. Quia Angeli ita sunt conditi; ergo etiam conveniens fuit hominem Angelis simillimum, quem S. Chrysostomus Angelam terrestrem vocat, ita condi.

3. Quia si Adam non peccasset, posterius Adae erant nascituri in gratia; ergo conveniens fuit, ut in initio suo primus parens eandem perfectionem haberet & si non in primo instanti Adamo gratia fuerit infusa, aliud instans commodè assignari non potest.

Obj. S. Aug. l. QQ. novi & vet. Test. Q. 123. refellit eos, qui dicunt Adamum in sua creatione accepisse Spiritum sanctum & Filium Dei fuisse per adoptionem.

R. Illum librum non esse S. Aug. aperte colligitur ex diversitate styli in eo & aliis S. Aug. libris. Dato autem quod sit S. Aug.; dicendum quod voluerit: non eo modo in Adamo fuisse Spiritum sanctum quo nunc est in fidelibus, qui statim post mortem admittuntur ad vitae aeternae participationem. Verè autem gratia sanctificante, quae erat radix operum supernaturalium & meritoriorum fuit Adam ornatus, circa quam gratiam damnata est à Clemente XI. in Quenello propositio 34. gratia Adami non producebat nisi merita humana. 35. gratia Adami est sequela creationis, & erat debita natura sane & integra. 36. differentia essentialis inter gratiam Adami

mi

*mi & status innocentie ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria personâ recepisset; ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus* 37. *gratia Adami sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata; gratia christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens & digna Filio Dei, quibus Propositionibus vel negatur Adamo vera supernaturalis gratia, vel statui naturæ lapsæ sola efficax, naturæ integræ sola sufficiens gratia tribuitur, vel constituitur sanctificatio naturæ lapsæ in sola sanctitate & justitia Christi hominibus extrinseca, quæ omnia erronea & falsa sunt.*

Alia dona quibus Adam in statu innocentie ornatus fuit, quæque à gratia dimanabant sunt

Primò. Omnes virtutes infusæ tam morales quam Theologicæ & dona Spiritus sancti, ut patet tum ex S. Script. Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; ubi per imaginem S. Bernardus intelligit naturam intellectualem & arbitrii libertatem, per similitudinem virtutes. Tum ex hâc ratione; quia virtutes illæ & dona Spiritus sancti cum gratiâ sanctificante sunt connexa. Ubi tamen observandum quod virtutes nullam supponentes imperfectionem ut charitas & justitia; fuerint in primis Parentibus & quoad habitum & quoad actum; aliæ autem aliquam importantes imperfectionem perfectioni & felicitati status innocentie repugnantem ut pœnitentia & misericordia, quæ culpam dolorem ac miseriam præsupponunt, fuerint tantum quoad habitum non quoad actum in statu innocentie.

Secundò. Fuit in Adamo notitia tam naturalium quam supernaturalium ut docet Script. Eccles. 17. *Disciplinâ intellectûs replevit illos. Creavit illis scientiam Spiritûs, sensu implevit cor illorum & mala & bona ostendit illis.* Ratio est; quia debebat Adam alios non

tan-

tantum generare & ita esse perfectus quoad corpus sed & instruere tam in naturalibus quam in supernaturalibus, cum ad finem supernaturalem homo conditus fuerit.

Tertiò. Habuit dominium in omnia animalia & corporea ut patet ex Script. Gen. 1. v. 26. *Et præsidi piscibus maris & volatilibus cæli & bestiis uniuersæque terræ omnique reptili, quod mouetur in terrâ,* & hæc omnia debebant in utilitatem hominis seruire.

Quartò. Homo in statu innocentiae non poterat errare aut decipi, nec venialiter peccare, ut ostenditur in materiâ de peccatis. Prioris ratio est: tum quia à statu innocentiae omnis miseria exclusa fuit, tum quia error vel est involuntarius, & hic esse non poterat: quia quamdiu anima erat subiecta Deo, tamdiu in ipso homine inferiora superioribus subiciebantur. Error autem involuntarius prouenit ex Phantasiâ vel aliquo inferiore rectum rationis iudicium impediente vel est error voluntarius, quatenus voluntas applicat intellectum ad iudicium falsum vel erroneum de aliquo objecto, quod passione appetitûs sensitivi allecta inordinatè amat vel detestatur hic autem non habebat locum in statu innocentiae: cum in illo felicissimo statu nulla esset passio obscurans aut perturbans rationem & mouens voluntatem ad applicandum intellectum ad iudicium falsum & erroneum.

*Dices 1.* Eva fuit decepta à Serpente; ergo deceptio fuit in statu innocentiae,

Respondet S.Th. Q 94. a. 4. ad 1. *Quod illa seductio mulieris, etsi præcesserit peccatum operis: subsequuta tamen est peccatum interna elationis: dicit enim Aug. l. 11. super Genes. ad litt. cap. 30. Quod mulier uerbum serpentis non crederet, nisi jam inisset menti ejus amor propriae potestatis & quadam de se superba præsumptio.*

*Dices 2.* Adam non cognoscebat cogitationes hominum

minum & futura contingentia, ergo circa eorum cognitionem decipi poterat.

2. N. consequentiam : quia propter rectitudinem voluntatis suæ non applicasset Adam intellectum suum ad judicandum de futuris contingentibus & secretis hominum cogitationibus.

Quintò. In statu innocentiae homo erat immortalis ; non quod haberet impotentiam moriendi, sed quia habebat potentiam non moriendi, si legem sibi præscriptam servasset ita S. Aug testatur l 6. de Genes. ad litt. cap. 25. *Quod corpus Adam ante peccatum & mortale erat, quia poterat mori, & immortale quia poterat non mori aliud est enim (inquit) non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis.* Triplex ergo causa mortis in illo statu fuisset impedita : contrariae qualitates per vigorem gratiae & justitiae originalis fuissent in debita temperatione & æqualitate omni tempore conservatae. Deinde calor naturalis humidum continuò depascens per fructus ligni vitae fuisset ita corroboratus & confirmatus, ut non fuisset paulatim debilitatus & obtusus, & humidum semper in primigenia ejus puritate & integritate fuisset restitutum. Denique causae extrinsecæ mortem inferentes tum per humanam tum per divinam providentiam & Angelicam custodiam diligentissimè fuissent impeditæ.

Sextò. Aberat à statu innocentiae omnis ægritudo, dolor & tristitia : tum quia sunt poenae quaedam & vestigia mortis ; tum quia ille status erat quaedam inchoatio caelestis gloriae, à quâ omnes illæ miseriae absunt.



QUÆS.

## Q U Æ S T I O II.

*De statu natura integræ & reparatæ.*

**D**ICO. *In primo statu nihil erat interius impellens ad malum, sicut modo est S. Th. hic Q. 95. a. 4. ad 3.*

Explicatur conclusio 1. Status naturæ integræ fuit quidem in primis Parentibus cum statu innocentiae conjunctus, fuit tamen distinctus & potuit ab illo separari: quia status innocentiae plura dona supernaturalia includit, status autem naturæ integræ dicit perfectam subjectionem appetitûs sensitivi sub rationali in eo consistentem, ut appetitus sensitivus suâ operatione non præveniat imperium rationis, nec pergat operari contra rationis imperium, sed pro ejus nutu & arbitrio applicetur ad proprios actus, qui passionem vocantur, unde etiam distinguitur à statu naturæ puræ, quia status naturæ integræ includit omnia, quæ ad naturam pertinent, & addit aliquid ei non debitum nempe vigorem, quo appetitus sensitivus perfectè rationi subjicitur, & quia iste vigor non provenit ex principiis intrinsicis naturæ, hinc non est quidem gratia, cum non sit quid supernaturale, sed nec est debitum naturæ, unde posset dici gratia ordinis naturalis. Deinde in statu naturæ integræ propter talem vigorem homo non tantum in appetitu sensitivo non patitur motus illicitos, sed nec pati potest, quamdiu manet talis vigor & talis subiectio, natura autem pura nullo præcedente peccato potest quantum est ex suis principiis intrinsicis pati motus illicitos.

2. Circà statum naturæ reparatæ, in quo jam versamur, sciendum imprimis, quod Adam & Eva per poenitentiam peccati sui veniam fuerint consecuti & salvati, ut probatur tum ex illo Sap. 10. *Hac illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum so-*  
lus

*lus esset creatus, custodivit & eduxit illum à delicto suo; tum quia filii Adæ & Evæ per Christum sunt liberati; ergo ipsi etiam sunt liberati, atque ita sentiant sancti Patres. Deinde tota natura per mortem & passionem Christi fuit reparata, ita ut gratia per peccatum Adæ perdita sit recuperata, & omnibus quibus media à Christo ordinata applicantur, reddatur, manentibus tamen cæteris humanæ naturæ miseris, mortalitate, morbis & speciatim fomite concupiscentiæ, quo homo modo impellitur ad malum, ita ut propter rebellionem appetitûs sensitivi ad rationem nunc difficilius peretur bonum, quam in statu naturæ integræ: cum nullum tunc intrinsicum fuisset obstaculum, unde seclusis gratiæ auxiliis juxtâ plurimum sententiam etiam difficilius operatur bonum in statu naturæ lapsæ quam operatus fuisset, si fuisset relictus in statu naturæ puræ de quo infra.*

### Q U Æ S T I O III.

*De statu naturæ lapsæ.*

**P**Lura ad lapsum Adami pertinentia adducuntur 1. 2. Disp. XVI. de peccato originali.

**DICO.** *Primi Parentes fuerunt à Deo instituti... sicut quadam principia totius humane naturæ ab eis ad posterios derivanda simul cum beneficio divino preservante à morte & ideò per eorum peccatum tota humana natura in posteris tali beneficio destituta mortem incurrit. S. Th. 2.2. Q. 164. a. 1. ad 3.*

Explicatur Conclusio 1. Primi Parentes per peccatum suum sibi amiserunt justitiam originalem, gratiam sanctificantem cum cæteris donis cum gratiâ connexis, ut patet ex Con. Trid. sess. 5. de pecc. orig. Can. 1. in quo dicitur Anathema his, qui dixerint primum hominem per peccatum non amisisse sanctitatem & justitiam, in quâ conditus fuerat, idem docet S. Aug lib. 13. de Civit. Dei cap. 13. *Posteaquam præcepti facta trans.*



DE HOM. & VARIIS STATIB. NAT. HUM. 433  
*transgressio est, confestim gratiâ deserente divina de  
corporum suorum nuditate confusi sunt.*

2. Adam non tantum pro se sed etiam pro posteris  
suis gratiam aliaque dona supernaturalia amisit: cum  
enim esset caput totius humani generis prædicta dona  
à Deo acceperat cum hoc pacto & conditione, quod,  
si non peccaret, ea cum naturâ transfunderet in poste-  
ros, si verò peccaret & de fructu vitæ comederet,  
illa non solum pro se sed etiam pro omnibus suis poste-  
ris amitteret; factò igitur peccato ea pro posteris suis  
amisit & licet ipse retinuerit sibi specialiter fidem &  
spem, amisit tamen illa dona ut transfundenda in po-  
steros. Ubi tamen notandum; quod etiam si natura  
humana peccato Adæ omnibus supernaturalibus donis  
fuerit spoliata, tamen adhuc extrinsecè mansit in bea-  
titudinem supernaturalem ordinata.

3. Amisit Adam sibi suisque posteris donum integri-  
tatis: tum quia hoc eadem conditione acceperat etiam  
in posteros transfundendum si non peccaret. Tum quia  
æquum fuit rectum ordinem in potentiis hominum  
perverti & corpus Spiritui, partemque interiorem supe-  
riori reluctari, cum homo repugnans divino præcep-  
to suam voluntatem deordinaverit & à recto ordine in  
Deum ut ultimum finem distraxerit.

4. Primi Parentes eorumque posteris per peccatum  
privati sunt dono immortalitatis & impassibilitatis &  
variis ætumnis ac morti sunt redditi obnoxii. Patet ex  
Script. Genes. 3. *Quia audisti vocem uxoris tue, &  
comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne come-  
deres, maledicta terra in opere tuo, in laboribus co-  
medes ex eâ cunctis diebus vite tue. . . in sudore vultus  
tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram,  
de quâ sumptus es, quia pulvis es & in pulverem re-  
verteris.*

5. Præterea homo in naturalibus potentiis est vul-

*Pars I Theol. Schol.*

*Ec*

*nera-*

neratus ut colligitur ex Script. & PP. II. I. v. 5. & 6. *Omne caput languidum & omne cor mœrens, à plantâ pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus & livor & plaga tumens* Pl. 40. v. 5. *Sana animam meam, quia peccavi tibi in quem locum* S. Aug. *Novit, quod inspicit, novit vitium, quia ipse fecit naturam, quid ipse condidit, quid de nostrâ cupiditate accessit, discernit. Scit se sano homini præceptum dedisse, ne languorem incurreret, dixisse in Paradiso, hoc manduca, & hoc noli. Non auditur sanus medici præceptum, ut non caderet, audiat vel agrotus ut surgat.* Hæc autem vulnera ex venerabili Bedâ enumerantur quatuor: ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, in appetitu irascibili infirmitas, in concupiscibili concupiscentia.

*Q.* An propter hæc vulnera seclusis gratiæ auxiliis homo in statu naturæ lapsæ sit infirmior ad operandum bonum, quam esset in statu naturæ puræ?

Responsio affirmativa videtur probabilior.

*Probatur 1.* Quia status naturæ puræ est status naturæ consideratæ secundum sibi debita & connaturalia & consequenter non vulneratæ & infirmæ, status autem naturæ lapsæ est status naturæ vulneratæ, natura autem vulnerata est infirmior ad bonum quam natura non vulnerata.

Si dicas: vulnera hæc consistere tantum in separatione aut diminutione virtutum, quas homo habuit in statu innocentiae, non autem quas habuisset in statu naturæ puræ; Contra est: quod secundum hunc exponendi modum nil aliud foret vulnerari, quam spoliari, cum tamen ex jam dictis distinguatur vulneratio à spoliatione.

*Probatur 2.* Homo in statu naturæ lapsæ est aversus à Deo non tantum ut sine supernaturali, sed etiam  
ut

ut fine naturali: cum implicet hominem esse averſum à Deo ut fine ſupernaturali, ut non ſit ſimul averſus à Deo ut fine naturali; econtrà homo in ſtatu naturæ puræ non eſt averſus à Deo ut fine naturali: cum hæc averſio ſupponat peccatum, quod in ſtatu naturæ puræ non eſſet; ſed homo averſus à Deo eſt debilior ad bonum, quam non averſus. Sicut intellectus deordinatus circà principia eſt magis impotens ad inferendam concluſionem quam non deordinatus circà principia.

Si reſpondeatur; hanc averſionem fore etiam pro ſtatu naturæ puræ, cum hâc differentiâ, quod pro ſtatu innocentie amiſſæ ſit privativa: cum ſit carentia converſionis debitæ, & cauſata per peccatum, in ſtatu autem naturæ puræ ſit negativa: cum ſit carentia indebitæ converſionis & non cauſata per peccatum; Contra eſt: quod, quamvis homini pro ſtatu naturæ puræ non eſſet debita converſio actualis in debitum finem ultimum, tamen eſſet debita potentia moralis & expediata ad convertendum ſe in debitum finem ultimum, cum non eſſet deterioris conditionis quam ſint aliæ Creaturæ; econtrà in ſtatu naturæ lapſæ & averſionis privativæ non habet hanc potentiam moralem, cum ſe per peccatum impotentem fecerit ad illum finem efficaciſſe proſequendum & inſuper indignum reddiderit omni auxilio, ergo majores habet vires ad bonum proſequendum in naturâ purâ quam lapſâ.

*Probat 3.* Homo in ſtatu naturæ puræ vi ſolius concuſſus generalis poſſet tendere in eum ut ultimum finem naturalem, cum ad illum dicat naturalem habitudinem, in ſtatu autem naturæ lapſæ exigitur ſpeciale auxilium, cum in hoc ſtatu homo habeat intrinſecum impedimentum ſe convertendi etiam in ultimum finem naturalem, quod propriis viribus auſterre non poſſeſt nempe peccatum originale,

Ec. 2.

illo

illo autem impedimento careret natura pura nullo nec actuali nec habituali peccato impedita.

*Obj. 1.* S. Th. I. 2. Q. 85. a. 1. O. Docet per originale peccatum esse tantum ablatum bonum justitiæ originalis, per actuale verò diminuit ipsam naturalem inclinationem ad virtutem. Et Q. 87. a. 7. O. *Pœna originalis peccati est, quod natura humana sibi relinquatur destituta auxilio originalis justitiæ; ergo natura lapsa per peccatum originale non differt à naturâ purâ quantum ad vires agendi bonum.*

*R. ad 1.* S. Th. ibi attribuit peccato actuali diminutionem contrariam & positivam boni naturæ consistentis in physicâ inclinatione ad virtutem, peccato verò originali convenit tantum moralis diminutio boni naturæ consistentis in recta habitudine voluntatis ad ultimum finem nullo peccato impedita, quæ diminutio cum privatione justitiæ originalis ex peccato Adami secuta inseparabiliter connectitur. *Ad 2.* Quod natura sibi relinquatur, sed non eodem modo, ac si nunquam peccasset: quia relinquatur ut averfa ab ultimo fine.

*Obj. 2.* Ex removente prohibens non sequitur alius effectus quam ille, qui naturaliter sequi solet, sed peccatum originale est tantum removens prohibens videl. in quantum removet justitiâ originalem, cui competebar vigor potentias animæ & corporis cõhibens ab inordinatis moribus; ergo non sequitur ex peccato originali major inordinatio & debilitas potentiarum in prosecutione boni, quam conveniat ipsi naturæ secundum se.

*R. 1.* N. mi. quia etiam sequitur aversio ab ultimo fine naturali & indignitas ad omne auxilium, quo natura promoveri debet ad suam beatitudinem & ultimum finem.

*R. 2.* Distinguendo maj. Nisi illud prohibens quod

removetur etiam ipsam naturam convenienter perficiat  
 Con. Si illud prohibens perficiat ipsam naturam N.  
 Natura justitiâ originali instructa etiam simul erat perfe-  
 cta ut promptè & expeditè tenderet, atque omnia con-  
 verteret in finem ultimum naturalem, quæ prompti-  
 tudo modo positivè impedita est.

*Obj. 3.* Homo in corpore non fuit factus deterio-  
 ris conditionis quam fuisset in statu naturæ puræ; er-  
 go nec in animâ: idem enim præstabat justitiâ origina-  
 lis in corpore, quod subiciebat animæ, quod in ani-  
 mâ, quam subiciebat Deo.

r. Permissio antecedente: N. consequentiam dis-  
 paritas est: quod subjectum peccati originalis sicut &  
 moralitatis non est corpus sed anima; impedimentum  
 autem bene operandi est quid morale; sicut ergo per  
 justificationem non melioratur homo in corpore, sed  
 tantum in animâ, sic etiam per peccatum originale  
 fuit deterior redditus in animâ, ac fuisset in statu na-  
 turæ puræ.

*Obj. 4.* Non minus in homine quam in Dæmone  
 post peccatum naturalia manserunt integra.

r. Distinguendo aff. Naturalia manserunt integra  
 physicè Con. Moraliter N. Non amisit quidem Dæ-  
 mon aut homo peccans physicam potentiarum entita-  
 tem, attamen post peccatum habet potentias deordi-  
 natas & sauciatis moraliter, quæ in purâ naturâ fuif-  
 sent sine vulnere & deordinatione ab ultimo  
 fine.



## QUESTIO IV.

*De statu naturæ puræ.*

**S**uppono 1. Status naturæ puræ duo importat naturam; id est: omnes proprietates, habilitates & facultates naturales & concursum atque providentiam sibi naturaliter debitam, & hoc est positivum in natura pura; deinde puritatem, quod est negativum, id est exclusionem omnium indebitorum seu eorum, quæ ab essentiâ connaturaliter non postulantur sive bona sint sive mala, videl. ut neque peccatum habeat sibi originaliter annexum, (quod addo, quia sicut infirmitas corporis & morbi, qui sequuntur ex naturali conditione, non excluduntur à statu naturæ puræ, ità neque morbi animi, qui per liberum arbitrium contrahuntur, ab eodem statu excludendi sunt) pœnæque reatum ex illo sequentem, neque etiam affecta sit aliquibus gratiæ donis aut perfectionibus naturæ indebitis.

*Suppono 2.* nunquam reipsâ status naturæ puræ fuisse ex dictis Q. 1. pater. Sed difficultas est an status naturæ possibilis sit non solum de potentiâ Dei extraordinariâ & absolutâ: cum potuerit Deus absolutè hominem ad finem supernaturalem non ordinate subindeque ipsum creare destitutum gratiâ sanctificante aliisque donis indebitis; sed etiam de potentiâ ordinariâ seu ordinatâ id est operante juxtâ naturalem rerum creaturarum inclinationem; negatur ab aliquibus possibilitas status naturæ puræ. Contrà quos.

**DICO.** *Rectitudo, secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires. Et anima*

cor.

*Corpus . . . non erat naturalis . . . sed secundum supernaturale donum gratia.* S. Th. hic Q. 95. 2. 1. O. Sive potuit Deus totum genus humanum ante peccatum creare sine gratiâ gratum faciente illudque non ordinare ad beatitudinem supernaturalem etiam sine dono integritatis & immortalitatis proinde secundum potentiam ordinariam Dei possibilis est status naturæ puræ.

*1ma Pars probatur 1.* Ex propositionibus in Bajo damnatis 2. 1. *Humane natura sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis & proinde naturalis dicenda est non supernaturalis.* 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur; id est destitutum gratiâ sanctificante & justitiâ originali.*

*Probatur 2.* Hâc ratione: dona supernaturalia gratiæ & gloriæ & ordinatio creaturæ ad finem supernaturalem non respiciunt potentiam ejus naturalem sed tantum obedientialem: ut communiter docent Theologi; sed Deus non tenetur conferre creaturæ etiam innocenti ea ad quæ non nisi obedientialiter seu per capacitatem obedientialem perducibilis est, vel eam ad illa ordinare, ut per se patet; ergo. Imò si homo innocens naturaliter haberet gratiam & gloriam non esset servus Dei aut Filius adoptivus sed esset ei hæreditas naturaliter debita, quod repugnat in servo & Filio adoptivo & gratia tunc esset & non esset gratia utpote creaturæ innocenti debita.

*2da Pars probatur:* Sine illis homo condi potuit de potentiâ non tantum absolutâ sed etiam ordinariâ, quæ ipsi non sunt naturaliter debita sed gratuito concessa, sed dona immortalitatis & integritatis sunt illi liberaliter & gratuito concessa non naturaliter debita ut docet S. Aug. l. 6. de Genes. cap. 25. ita de primâ

hominis immortalitate in statu innocentiae dicens :  
*Mortalis erat condicione corporis animalis , immortali-  
 tis autem beneficio conditoris. Et de integritate lib.*

4. Cont. Jul. ferè in fine. *Gratia quippe Dei tibi magna erat , ubi terrenum & animale corpus bestialium libidinem non habebat. Damnavit etiam Pius V. hanc in Bajo propositionem, 78. Immortalitas primi hominis non erat gratia beneficium sed naturalis conditio & 77. Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine iustitia naturali.*

*Confirmatur :* remedium defectûs connaturalis humanæ naturæ non est ipsi connaturaliter debitum, sed mortalitas, passibilitas, inobediencia carnis adversus Spiritum sunt defectus connaturales humanæ naturæ ; ergo immortalitas & integritas, quæ sunt remedia istorum defectuum humanæ naturæ naturaliter non debentur, sed gratuito conferuntur, adeoque homo potuit sine illis remediis in statu naturæ puræ creari etiam secundum potentiam ordinariam, quæ se conformat naturali rerum exigentiæ & inclinationi, mi. Probatur: mortalitas & passibilitas consequuntur ex necessitate & exigentiâ materiæ ac corporis mixti, in quo quatuor qualitates contrariæ reperiuntur, inobediencia carnis adversus animam nihil aliud est, quam ex unâ parte boni honesti ex alterâ parte boni sensibilis contrarii bono honesto persecutio, persecutio autem utriusque boni est homini ex unâ parte quâ rationali ex altera parte quâ sensitivo connaturalis. Ergò. Hinc v.g. licet ratio dicat hic & nunc frigidam non esse bibendam febricitanti propter læsionem sanitatis, nihilominus in summo æstu per appetitum sensitivum homo naturaliter frigidam appetit, quâ sitim restinguat.

*Obj. 1. S. D. 1. 2. q. 82. a. 3. ad 1. respondet:*

*Dicen-*



Dicendum, quod quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, intantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem: concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inesset homini contra naturam. Et 3. p. q. 15. a. 2. ad 2. dicit: *Caro hominis qui est animal rationale hoc (quod sibi delectabile) concupiscit secundum modum & ordinem rationis.* Quibus videtur S. D. significare rebellionem concupiscentiæ contra Spiritum esse contra intrinsecam inclinationem naturæ humanæ, ex quo sequeretur Deum secundum potentiam ordinariam hominem in tali statu rebellionis condere non potuisse.

¶ 2. Explicando textus S. Th. loquentis de natura hominis secundum præsentem providentiam, & statum in quo conditus est, ut sensus sit: quod concupiscentia transcendens limites rationis sit contra naturam hominis quatenus in recto statu conditi & quatenus illa concupiscentia habet rationem fomitis per peccatum primi hominis causati, sicque per modum partis materialis originali peccato substernitur; non verò loquitur S. D. absolute de concupiscentia absolute transcendente limites rationis, quæ fertur in objectum homini secundum appetitum sensitivum connaturale sicut ratio fertur in honestum.

*Inst. 1.* In composito constante parte superiori & inferiori est de intrinseca inclinatione ipsius, ut pars superior sit Domina respectu inferioris; ergo est contra inclinationem ipsius partem inferiorem repugnare superiori.

¶ 2. Distinguendo aut. est de intrinseca inclinatione talis compositi, ut pars superior sit Domina respectu inferioris vel politicè (ut possit imperare parti inferiori ejusque actibus consentire vel dissentire) vel

despoticè ( ut omnes ipsius actus pro libitu possit impedire ) Con. tantum despoticè N. non est de intrinsicâ inclinatione hominis , ut appetitus sensitivus subsit rationi despoticè , sed politicè in quantum movetur à proprio objecto aliquando cum ordine aliquando sine ordine ad rationem , proinde sæpe independenter ab objecto rationis.

*Inst. 2.* Homo naturaliter inclinatus est in bonum honestum ; sed concupiscentia est contrà hanc inclinationem in bonum honestum ; ergo concupiscentia est contrà naturalem inclinationem hominis.

34. Distinguendo mi. concupiscentia est materialiter contrà inclinationem in bonum honestum Con. formaliter N. sensus est : quod quidem concupiscentia hic & nunc tendat in aliquod bonum delectabile quod à recta ratione non præsentatur , non verò quatenus illud delectabile deviat à rectâ ratione sed pure ut est delectabile.

*Obj. 2.* Homo in statu naturæ puræ non posset obtinere suum finem vid. beatitudinem ; cum hæc consistat in clara visione Dei ; hoc autem videtur inconveniens : cum homo tunc deterioris esset conditionis ac aliæ res , quæ possunt consequi suos fines ; ergo.

35. De facto in statu naturæ elevatæ consistit beatitudo in visione Dei , in statu autem naturæ puræ consisteret in optima sed tamen abstractivâ Dei contemplatione & amore conjuncto cum rectitudine voluntatis & omnium bonorum affluentia.

*Inst.* In statu naturæ puræ non posset obrineri beatitudo naturalis hæc enim includeret resurrectionem mortuorum ; quia ut anima esset beata etiam naturaliter deberet posse omnes suas operationes exercere , quod non posset in statu separationis , in quo est in statu præter naturali , sed non potest dari in statu naturæ puræ re-  
sur-

resurrectio mortuorum: cum status naturæ puræ excludat omne beneficium supernaturale & resurrectio mortuorum sit beneficium supernaturale.


R. 1. Quod in tali statu anima esset beata extra corpus eò, quod in statu naturæ puræ anima non haberet inclinationem ad reunionem cum corpore, à quo separata est.

R. 2. Dato quod talis esset obtinenda beatitudo, desineret esse status naturæ puræ, ac ità distinguitur Probatio mi. Status naturæ puræ vialiter spectatus excludit omne beneficium supernaturale Con. Terminativè N. Hocipso enim quod terminus istius status esset beatitudo naturalis, deberet status naturæ puræ in suo termino transferri in statum naturæ integræ, quod sine beneficio resurrectionis, infusionis specierum cognoscibilium & habituum &c. fieri non posset, quæ etiam beneficia essent supernaturalia non ex parte effectus & subjecti: siquidem nullus effectus supernaturalis poneretur in natura humana, sed tantum ex parte efficientis & actionis productivæ, eò quod reproductio viventis est actio excedens omnem virtutem operativam totius naturæ creatæ, sicut etiam creatio animæ rationalis hoc modo supernaturalis dici potest.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





In Theol. u. Sch. 296.

